


THEORIA
ENTIUM INSENSIBILIUM

SIVE

METAPHYSICA UNIVERSA
SACRA ET PROPHANA,

OMNIUM CAPTUI ACCOMMODATA.

Accessit rerum index alphabeticus, cujus ope totum hoc opus lexici metaphysici, seu philosophici vices gerit.

AUCTORE

ABBATE PARA DU PHANJAS.

E Gallico sermone in Latinum vertit F. T.

TOMUS TERTIUS.



VENETIIS.

APUD LAURENTIUM BASILIUM.

Superiorum Permissu, ac Privilegio

MDCCLXXXII.



THEORIA
ENTIUM INSENSIBILIUM
SIVE
METAPHYSICA UNIVERSA SACRA ET PROPHANA.

TRACTATUS QUINTUS.

THEORIA ANIMÆ HUMANÆ.

1035. OBSERVATIO. Omni ætate *anima hominis*, & *anima brutorum* gravissimum accuratissimorum naturæ studiosorum, & acutissimorum metaphysicorum meditationibus argumentum præbuerunt.

Quid igitur est intimum hoc principium animans hominem? quid intimum hoc principium animans bruta? Sunt ne ejusdem speciei, aut intrinsece, & natura ipsa diversa sunt? Est ne utrumque materia tantum diversa ratione modificata, aut utrumque substantia peculiaris intrinsece, & natura a materia omnino diversa?

Hoc *magnum illud problema* est, in quo solvendo præclarissima cujusque ætatis ingenia elaborarunt, & quod hoc, & sequenti tractatu plane, & solide solvere aggredimur.

At qua ratione, quibusve argumentis scientiæ methodo statui unquam poterit duplicis principii hominem, & bruta animantis materialitas, aut *immaterialitas*, identitas, aut *non identitas*? experientia, & analysi.

Ut apte hominis, & brutorum animam noſcere poſſimus, *utriuſque* aliquo pacto *analyſis facienda eſt* in earum operationibus, atque effectibus; utraque ſcilicet veluti cum materia comparanda eſt, ut definiamus num ſubſtantiæ tantum materiali ejus effectus congruant; tum etiam inter ſe conferendæ ſunt, ut videamus num utriuſque operationes eædem ſint, an diverſæ, unde colligamus, num hominum, & brutorum operationes in principio inviſibili, a quo emanant, identitatem indicent naturæ, an diverſitatem.

In eorum itaque operationibus, atque effectibus *bina hæc principia* hominem, & brutum animantia perſcrutabimur; neque enim alia ratione de utroque *experimentalis ſcientiæ* obtineri poteſt, qua inviſibilis eorum natura detegatur.

Hujus tractatus anima humana argumentum erit, ſequentis anima brutorum. In utroque operam dabimus, ut quidquid ambæ hæ naturæ alicujus momenti præſeferunt, id omne philoſophis exhibeatur, ſive ea ſint, in quibus ſimilia eſſe videntur, ſive ea, in quibus invicem differre deprehenduntur.

TRACTATUS HUJUS PARTITIO.

1036 OBSERVATIO. Anima humana & *in natura ſua*, & *in ſuis potentiis* conſiderari poteſt; in iis, quæ ſubſtantiam ſuam, atque naturam conſtituunt, & in activis, aut paſſivis facultatibus, quibus prædita eſt.

Hæc duo binis ſequentibus ſectionibus perpendemus; quod opportunitatem nobis præbebit ea perluſtrandi, quæ per plura ſæcula de re hac obſervata, atque excogitata ſunt; ea oppugnandi, quæ perperam deducta fuerunt; & quæ vera re ipſa conſequuntur ſtatuendi.

SE-

SECTIO PRIMA.

ANIMÆ HUMANÆ NATURA.

1037. OBSERVATIO. Quanta, & quot a Platonis ætate ad hunc usque diem de anima humana differentes philosophi scripserunt! at in his omnibus quot inania verba, quot inutilia, quam pauca vera!

I. Inter tot de anima humana lucubrationes ceteris fama antecellit Lockii liber præclarissimi inter Anglos philosophi. Nos ea ætate, qua eo magis cognitiones acquirendi cupidi sumus, quo minus earum limites deteguntur, putabamus fore, ut in Lockii libro *de Humano intellectu* adeo celebri, & sane pluribus titulis commendando innumeras novas, maximique momenti cognitiones adipisceremur. Illum itaque nobis comparavimus, avide perlegimus, ac meditati sumus. At quid ab illo didicimus?

Didicimus, animam non semper cogitare, puta, quum placido, & profundo somno sopita est: animam quum primo humanum corpus informat, ideis innumeris innatis instructam non esse, insensilibus scilicet rerum earum imaginibus, quæ olim nostrarum cognitionum objectum fieri possunt; in infantia paucas admodum ideas habere; sex menses, aut annos duos natam non admodum eruditam esse. At enimvero hæc omnia jam antea probe noveramus, aut suspicabamur; & auctor, cui studebamus, id unum præstitit, ut in iis, quæ ab instinctu, & rationis lumine jam edocti fueramus, nos magis magisque confirmaret.

Didicimus, aut potius ibi legimus, nullam esse boni, malique notionem universo humano generi communem; nulla morum præcepta na-

turæ nostræ, mentibus nostris, cordibusque insculpta: *in principiis moralibus* omnia ab educatione proficisci; quod aliqua ætate, & ab aliquibus populis virtus censetur, id ipsum alia ætate, & ab aliis populis inter vitia, & crimina recenseri. Ingenue fatebimur, nullam nos his fidem adhibuisse; & pensatis rationibus, quibus auctor sententiam suam adstruebat, mirati sumus, atque doluimus, magnum virum hæc admittere paradoxa auctoritatibus innixum, quæ ne mulierculæ quidem fucum fecissent (869).

Ibi didicimus, animam nostram ideas habere simplices, compositas, completas, incompletas, distinctas, confusas, particulares, generales. Atqui hæc omnia jam antea ferme noveramus.

Didicimus etiam nos successive, & paulatim plurimas ideas adipisci ea ratione, qua organa nostra explicantur, magisque in dies roborantur; & omnes, aut ferme omnes ideas nos sensuum ministerio acquirere. At id quoque probe noveramus.

Quod vero libentissime didicissemus est *qua ratione ideæ sensuum ministerio nobis obveniant*; seu qua ratione impressio, & motus organorum nostrorum fiant in nobis causa physica nostrarum intellectionum. Atqui hoc ipsum est, quod nullo pacto nobis explicatur (16, 461, 480).

Quid igitur utile, & alicujus momenti de animæ humanæ natura, & actionibus in Lockii opere addiscimus? Sane parum, aut ferme nihil, nisi forte hoc unum; animam nempe humanam, ut & visibilem naturam, observatione tantum, & experientia apte dignosci posse.

„ Lockius, inquit celebris Maupertuisius,
„ in inquirendis nonnullis veritatibus vitam
„ ferme totam transegit: tantoque labore id
„ tantum assequutus est, ut erroribus nostris
„ excusationem inveniret".

Complures philosophi, uti Aristoteles, Plato,

to, Cartesius, Malebranchius, fabulosam animæ historiam contexuerant. Lockius experientia, & observatione duce ejus naturalem historiam scribere studuit. At enimvero dum in humanis cognitionibus perscrutandis, & statuendis adlaborat, quum magis ad diruendum, quam ad ædificandum aptus esset, magisque scepticus esset, quam philosophus, sæpius aliorum somnia non rejicit, nisi ut sua illis sufficiat; neque præjudicia oppugnat, nisi ut dubia, & incerta proponat; magisque animam humanam nubibus obsepit, quam luce perfundat. In ejus libro plura peculiaria invenies, metaphysicas notiones plures novas illas quidem, solidas, profundas, quibus inter insignes philosophos est recensendus; at in metaphysica generatim tractanda, quam sæpius superficie tenus tantum attingit, nec apta satis, claraque methodo, non eandem profecto laudem meretur.

II. Inter opera de hominis anima sublimi quoque loco habenda est crisis perpetua, & ratione confirmata, quam de Lockii libro edidit Leibnitius, quæque toto primo suorum philosophicorum volumine continetur.

Hoc opere sæpius Leibnitius oppositam Lockio sententiam tenet; qui si semper a veritate non recedit, non illam semper assequi hic ostenditur. Nonnulli sequioris ætatis philosophi Aristotelem omnia novisse putaverunt. Nonnulli præter modum Lockii admiratores eandem illi laudem tribuerunt. Utrinque error, & insania.

III. Postquam ea omnia perlegerimus, & diutius meditati fuerimus, quæ omni ætate magis probanda de hominis anima scripta sunt, nobis visum est hoc argumentum, quod ad nos tam intime spectat, quodque apte pertractare tam arduum est, nondum ita pertractatum fuisse, ut legentibus utilitatem simul, & voluptatem afferret.

Argumenta quædam sunt, quæ novam claritatem admittere non videntur, & de quibus aliquid novi proferre desperes; quidquid enim in iis est, jamdiu notum est. Hujusmodi aliquo pacto est anima humana. Quæ quum ita sint, philosophica theoria, quam de illa hac, & sequenti sectione tradituri sumus, partim *novas* aliquas *notiones* de anima statuet; potiori vero ex parte meliori, ac clariori methodo illa proponet, quæ diversis ætatibus de anima jam innotuerunt, atque hæc ipsa nova certe semper jucunditate perlegentur, quum nova methodo, majorique claritate, soliditate, copia, atque elegantia proferentur.

Prima hac sectione quid *intrinseca* animæ *natura* sit nobis experientia, & ratione duce est inquirendum. Quid itaque anima humana, quæve ejus natura est? materialis ne est, an immaterialis? peritura ne, an æterna? libera, an necessitate devincta? Hæc omnia tribus sequentibus articulis pertractabimus; in quibus intimam animæ substantiam philosophica analysi perscrutantes, ejusque *spiritualitatem*, *immortalitatem*, *libertatem* perpendentes, eam esse substantiam spiritualem, immortalem, liberam solide ostendemus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

ANIMÆ HUMANÆ SPIRITUALITAS.

1038. OBSERVATIO. ANima humana, quæcumque ejus natura sit, ea, omnibus philosophis annuentibus, substantia est, quæ in nobis cogitans est, & sentiens.

I. Pauci admodum *philosophi materialista*, substantiam hanc in nobis cogitantem, atque sen-

ſentientem non niſi materiam organis inſtructam eſſe contendunt.

Per hos philoſophos igitur, qui hujus paradoxi rationem ullam nunquam afferre potuerunt, in homine quovis geometria, metaphyſica, phyſica doctiſſimo, ingenioque acutiſſimo prædito, in politico mentis acie plurima, atque ardua complectente, æque, ac in marmore, non niſi ſubſtantia materialis, non niſi materia eſt. Quin marmor æque, ac ingenioſiſſimus homo, cogitaret, atque ſentiret, ſi marmoris elementa eandem, quam humanum corpus, intimam organorum ſtructuram obtinerent.

II. Ii omnes, qui vere philoſophi ſunt, a Socratis, & Platonis ætate ad hos uſque dies, *ſubſtantiam* hanc in nobis cogitantem, atque ſentientem *ſpiritualem* eſſe aſſeruerunt, cujus munus eſt eſſe cogitationum, judiciorum, ratiociniorum, ſenſationum, affectionum, cognitionum, & intimorum ſenſuum noſtrorum omnium ſive principium, ſive ſubjectum; ſicuti materia extenſionis ſuæ, inertiæ, ſoliditatis, motuum, ac figurarum ſuarum principium eſt, aut ſubjectum.

Per hos itaque philoſophos, quorum doctrina ſemper apud excultas omnes nationes ſummo loco habita fuit, *ſubſtantia ſpiritualis*, & *ſubſtantia materialis* ſemper eſſentialiter inter ſe natura differunt, & proprietatibus. Prima ſemper in natura ſua facultatem ſaltem primitivam, & radicalem cogitandi, ac ſentiendi eſſentialiter habet. Altera ſemper a natura ſua ſenſum, & cogitationem eſſentialiter excludit. Prima figuræ cujuſvis, motus mechanici in maſſa per velocitatem producti, & partium ſoliditatis eſt incapax. Altera aut figura, aut motu mechanico, aut ad motum reſiſtentia, aut partium impenetrabilitate ſe ſemper prodit.

III. Harum *duarum ſubſtantiarum in homine*

distinctio, quæ semper cujusvis fidei præcipuus articulus fuit, satis nitide, & aperte indicatur ipso divinorum librorum initio.

Deus, qui profecto non est substantia materialis, creavit hominem ad imaginem, & similitudinem suam. Hoc habemus Geneseos capite primo. En itaque in homine præter materialem substantiam, quæ Dei spiritus imago esse nequit, aliud quid, quo Dei imago est; hoc vero non nisi spiritus, & substantia spiritualis esse potest. *Et ait: faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: ut præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, universæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum: masculum, & fœminam creavit eos.*

Deus, (ut habemus Geneseos capite II) formavit hominem de limo terræ, & vitæ spiritum in illo posuit, animam, qua illum viventem fecit. En itaque in homine, præter terrestrem substantiam, qua ejus corpus extructum fuit, *aliam substantiam*, qua animatur, & vivus fit; quæque nobis exhibetur ab ea diversa, qua terræ limus constat; adeoque diversa a substantia quavis limo natura simili. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ; & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ; & factus est homo in animam viventem.*

1039. NOTA. *Spirituum natura* ut semper philosophis magni momenti argumentum visum est, ita & eorum ingenia semper torsit.

I. *Substantiæ spiritualis* cognitio, qua visibilis natura regatur, & *alterius spiritualis substantiæ* qua homo animetur, præcipuæ bases tum philosophiæ, tum religionis primis mundi ætatibus procul dubio fuerunt. Porro ista duo primævæ religionis fundamenta, hominum genere post diluvium per orbem disperso, majori, mi-

minorive claritate ad omnes veteres nationes, quarum historia meminerit, traditione, & ratione ipsa traducta fuerunt.

Hinc apud veteres nationes omnes, & ab illis derivatas *Dei* notio visibilem naturam dirigentis, & ab ipsa distincti.

Hinc apud easdem nationes *vita futura* notio hominibus expectandæ; hinc proinde notio substantiæ immaterialis in homine, aut saltem nullo pacto materiæ similis, quæque cum substantia, qua corpus humanum constat, dissolvi, ac perire nequeat.

Animæ humanæ post hominis obitum *perseverantia* dogma est apud nationes omnes receptum. Bis mille ante annos Marcus Tullius ita sentiebat. Hoc est ipsius naturæ dogma idem ubique de spirituum immortalitate judicantis; vitam futuram intime præsentientis: hoc quo ingenia magis sublimia sunt, magis ipsa præsentiunt. *Permanere animos arbitramur consensu nationum omnium .... Maximum vero argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare .... Nescio quomodo inhæret in mentibus sæculorum quoddam augurium futurorum: idque in maximis ingeniis, altissimisque animis & existit maxime, & apparet facillime.* Tusc. quæst. 1.

Hæc eadem notio, præsensio hæc, hoc naturæ judicium, præcipuum hoc cujusvis religionis dogma adhuc in universis orbis nationibus perseverat. Animam humanam post obitum permanere fatentur Christianæ nationes omnes, Mahumetanæ, Asiaticæ Bramhæ religioni addictæ, seu Foe, & Amidæ, barbari ipsi Americæ, atque Africæ, quos mercaturæ causa novimus; qua in re vel ipsi nostri temporis increduli plane consentiunt.

„ Ne timeamus (inquit Volterius in sua „ historiæ philosophia.) in hac *historica veri-* „ *tate* nimis diu immorari; homines scilicet,

„ quum primum ratione uti cœperunt potens
„ aliquod Ens adoraviſſe, quod ceteris præſta-
„ re putaverunt, ſive ſolem, ſive lunam, aut
„ ſidera; homines mente magis exculta, etſi in
„ pluribus errarent, tamen *Deum ſupremum*
„ adoraviſſe elementorum, ceterorumque Deo-
„ rum dominum; & nationes omnes excultas
„ ab Indo ad extremos europæ fines *futuram*
„ *vitam* credidiſſe, etſi plures philoſophorum
„ ſectæ aliud ſentirent ".

II. Quum primum in nationibus philoſophia excoli cœpit, primum *idea Dei*, *& idea animæ humanæ* procul dubio philoſophorum mentes occupavit. Primi vero hi naſcentis philoſophiæ conatus in varias, incertaſque opiniones illam conjecerunt de magnis hiſce duobus objectis, quorum inviſibilis natura inter viſibilia inveſtiganda erat, & ab illis ſecernenda.

Hinc vero variæ illæ, incertæ, ſibique oppoſitæ tam multæ de Deo, & anima humana ſententiæ, quæ in indigeſtis, & rationum vi non munitis veterum plerorumque philoſophorum ſcriptis occurrunt. Quum nihil niſi corpora viderent, & tamen ſpiritus re ipſa exiſtere judicarent, alii alio abierunt dum *de ſpirituum*, *& corporum natura* diſſerebant, modo hæc duo diſtinguentes, modo ſimul permiſcentes, quæ nondum recta philoſophandi ratio in duas omnino diverſas ſpecies diſtribuerat. Quum & ſolidis principiis, quibus inniterentur, & perſpicuis ideis, quibus dirigerentur, carerent, a barathro non recedebant, quin in aliud laberentur. Quod hic ædificant, ibi diruunt. Quum ad ſpiritus naturam rationis vi attolluntur, ſæpius phantaſiæ illuſione ad materiam deprimuntur. In eorum diſcordibus, ac invicem pugnantibus effatis, eos & veritatem aſſequutos eſſe, & a veritate receſſiſſe facile diſceris. Abbas Olivetus eos omnes ſpiritus aſſertores fuiſ-

ſe

se censet; eques Argensius contra eos non nisi materiam admisisse arbitratur.

Hinc quoque est, ut in nonnullis antiquioribus Ecclesiæ Patribus quasdam parum sanæ philosophiæ consentaneas opiniones, quædam minus castigata, & orthodoxa effata identidem offendas. Ipsi siquidem universa veteris Græciæ eruditione, & indigesta philosophia imbuti, non semper hac in re de eorum magistris, ac ducibus satis diffidere visi sunt: & ex eorum institutis *de spirituum natura* philosophantes, ac spiritualitatis doctrinam, quam re ipsa semper sequi videntur, explicare, ac statuere nitentes, hac de re non semper satis castigate loqui visi sunt, nec verbis uti a materialistarum propositionibus satis remotis. Etsi ut eos a quovis errore vindicemus, dici possit cum doctissimis viris, atque in horum patrum lectione apprime versatis, eos, quum de Deo, aut de anima humana loquentes, voces has usurpant non proprias ὕλη, σῶμα, *materia*, *corpus*, a quibus omnes in illos censuræ desumptæ sunt; nunquam eas usurpare nisi ea significatione, quam recentiores metaphysici voci *substantia* tribuere solent (1092).

III. *Spiritualismi doctrina* universim diffusa, & admissa, at ferme ubique male percepta, & a philosophia explicata, non nisi Cartesiii ætate philosophice recte tractari cœpit: ipse siquidem certis, atque perspicuis principiis insistens essentialem substantiæ cogitantis, & substantiæ figura, & extensione donatæ distinctionem statuit. Eo ferme pacto, quo etsi gravitationis doctrina universim re ipsa jam nota esset, tamen recte explicari, ac philosophice pertractari non cœpit, nisi quum Neutonus accuratissimis observationibus, & sublimissimis ratiociniis celebres ejus leges invenit, & demonstravit.

Maxima summorum horum virorum laus est, omnem

omnem illos pofundioris philofophiæ lucem alterum metaphyficæ, phyficæ alterum affudiffe. Non fane *novam* hac de re *doctrinam* protulerunt; at uterque novas theorias invenit, quibus notiones jam antea quidem admiffas, fed tenebris involutas, nec ratione fuffultas, apertiffime explicavit, & folidis rationibus confirmavit.

MATERIALISMUS.

1040. OBSERVATIO. *Materialifmus* dicitur abfurda opinio omnem a natura fpiritualem fubftantiam excludens, nec nifi materiales fubftantias in natura admittens, quas organa fentientes, & cogitantes efficiunt. Materialifmum jam in ordine ad Deum perpendimus, nunc in ordine ad animam humanam perpendendus eft.

I. Materialiftæ omnes materiam per organa fentientem, & cogitantem fieri fupponunt, nunquam probant; & fupervacaneum effe contendunt homini fpiritualem fubftantiam adjicere, cui fentiendi, & cogitandi facultas infit.

Itaque per materialiftas omnes hominum anima non nifi materia eft. Per Epicurrum mixtum quoddam eft ex igne, & aere, addita tenujori fanguinis parte. Per Ariftotelem eft defæcatiffima quatuor elementarium corporeorum principiorum commixtio, quam perfectam rerum vim vocat. Per Hobbefium ipfiffima materia eft apte figura, & motu donata. Per Spinofam eft fimplex fubftantiæ unicæ, & univerfalis modificatio (771, & 777).

II. Lockius ut peculiaris fententiæ a fe ftatutæ fibi laudem comparet, & ut mediam veluti inter materialiftas, eorumque adverfarios viam ineat, ab animæ fpiritualitate ftatuenda initium facit, quam cogitationum fubjectum, feu principium ftatuit, additque materiam fe

fola

ſola, ſuiſque naturalibus viribus, aut proprietatibus cogitare non poſſe; attamen vult, aut ſuſpicatur, nulla ſententiæ, aut ſuſpicionis ſuæ ratione allata, nequaquam repugnare, Deum poſſe infinita potentia ſua materiæ *ſupernaturalem cogitandi facultatem* tribuere.

Quo vero tendit ſuſpicio iſta temere prolata, & aſſertum hoc paradoxum? eo profecto tendit, ut univerſas *philoſophicas probationes*, quæ de animæ ſpiritualitate afferantur, ſuſpectæ fiant; & ut hominum mentes ad abſurdam materialiſmi opinionem minori indignatione audiendam diſponantur.

Lockius quidem materialiſta non eſt; animæ humanæ ſiquidem ſpiritualitatem admittit, & demonſtrat. At quum ſupernaturalem cogitandi facultatem materiæ tribuit, nimis aliquando materialiſtis favere videtur; iis ſaltem *materialiſtis mitioribus*, qui ſpiritus creatos tantum, non vero increatum, & creatorem a natura excluderent. Si hæc materialiſtarum ſecta datur, numero ſectatorum ſape exigua eſt. Quare paſſim materialiſmus, & atheiſmus promiſcue ſumuntur (771).

III. Auctor *Operis de Spiritu* in enigmatico ſuo ſyſtemate deiſmo, & materialiſmo permixto contendere videtur, in phyſica rerum univerſitate unicum eorum omnium quæ exiſtunt, principium eſſe, & a quo omnia formata ſunt poſt innumeras monſtroſas commixtiones, *Vim* ſcilicet *primitus materiæ inditam*; in moralibus quoque unicum eorum omnium, quæ fiunt, principium eſſe, *phyſicam* nempe *ſenſibilitatem*, qua homo cæcus voluptate, & dolore ducibus poſt innumera moralitatis, & legislationis portentoſa ſyſtemata, ſibi tandem eas leges condidit, eaque morum præcepta quibus regitur, & quæ ſi fieri poterit, obligatoria fient (845 & 872).

Oraculum Delphicum tenebricoſis reſponſis celebritatem olim conſequutum eſt. Tenebris

quo-

quoque, quibus æquivocum, & indigestum ejus systema convestitur celebritatem suam liber de spiritu sibi comparasse videtur.

Si Deum visibilis naturæ auctorem, & conservatorem admittit hoc systema, cur ipsa miro ordini, quo constituitur, portentosis innumeris commixtionibus præludere debuit? si vero Deum non admittit, in quo jam ab Epicurri systemate diversum erit? quamve legis naturalis obligatoriæ, & ordinatæ naturæ visibilis actionis rationem afferet?

Pari modo, si hic auctor immaterialem, & spiritualem in homine animam admittit, quare illam cœca sensibilitate circumscribit, quum omnia in illa veram intelligentiam manifeste annuncient? Si vero hanc animam non admittit, quam magni cogitationis, & sensus phænomeni rationem afferet materiam tantum usurpans, quam omnia essentialiter ad sentiendum, & cogitandum ineptam esse plane indicant?

IV. Generatim omnia materialismi systemata, quæcumque sint, in hoc præcipue consentiunt, ad quod tandem redire coguntur, *materiam*, scilicet, *eam esse, quæ in homine cogitat.*

Quæ quum ita sint, ut uno ictu omnia materialismo capita obtruncemus, quacumque forma sese offerat; & ut inconcussa demonstratione probemus, *substantiam spiritualem homini inesse* omnino a materia, ejusque proprietatibus & modificationibus distinctam; patet satis esse, si semel solide demonstremus, *materiam semper cogitationis necessario incapacem esse.* Porro hoc prima, & tertia ex sequentibus propositionibus plenissime demonstrabimus.

COGITATIO, ET SENSUS.

1041. OBSERVATIO. *Cogitatio* est actus potentiæ intelligentis, ut *sensatio* actus est potentiæ sentientis: quæcumque utriusque natu-

ra sit, sive materialis, sive immaterialis, sive activa, sive passiva.

I. Sensus intimi testimonio nobis constat, animam nostram, quæcumque ejus natura sit, vim, seu facultatem cogitandi habere; atque hanc facultatem in ipsa effectum sortiri.

Cogitationis nomine illam hic *hominis actionem* intelligo, qua percipit, judicat, ratiocinatur; qua sibi sensibilia, & insensibilia, præsentia, & remota, præterita, & futura repræsentat; qua verum a falso, rectum a pravo, bonum a malo, virtutem a vitio, pulcrum, et sublime a rudi, & vulgari secernit; qua a principiis ad consequentia descendit, a causis notis ad effectus ignotos progreditur; sive qua ab effectibus notis ad causas ignotas, a consequentibus ad principia fertur; qua abstractas rerum relationes detegit, & pensat; qua finem, quo agit, noscit, atque perpendit, qua media proxima, ac remota, quibus propositum sibi finem assequatur, invicem confert, ac seligit. Potest ne hæc intelligens hominis actio, sive modificatio simplici materiæ sive organis instructæ sive destitutæ convenire?

II. Nobis sensus intimi testimonio constat, animam nostram, quæcumque ejus natura sit, quasdam posse *sensibiles impressiones* admittere, quas modo sensationes, modo sensus appellamus, quasque hic omnes, generica sensus notione complecti possumus.

Quare hic *sensus* nomine intelligo voluptatem, & dolorem, amorem, & odium, spem, & timorem, gaudium, & mœrorem; quæcumque horum causa, aut occasio sit, principium, aut subjectum. Porro sensibiles hæ hominis modificationes materiæ ne sive in organa conformatæ, sive rudi tribui unquam possunt?

PRO-

PROPOSITIO PRIMA.

1042. *Materiam cogitare repugnat. Cogitationum ergo nostrarum principium, aut subjectum non est substantia materialis.*

EXPLICATIO. Patet hic, observationem, & ratiocinium debere simul propositionis demonstrationem conficere. Utrumque igitur interrogare, ac consulere pergimus.

I. Quemadmodum ex ideis trianguli, & quadrati judicare possum, num trianguli proprietates quadrato, & quadrati proprietates triangulo conveniant; ita quoque ex ideis *materiæ*, & *cogitationis* judicare potero num materiæ proprietates cogitationi, & cogitationis proprietates materiæ conveniant.

Idem dici poterit de ideis cogitationis, & *figuræ*, de ideis cogitationis, & *motus*.

II. His generatim positis ideas consulo, quas habeo materiæ, & cogitationis. In idea materiæ tantum substantiam extensam video, atque percipio ad infinitas diversas figuras suscipiendas aptam, & ad omnes, quæ haberi possint, motus modificationes.

Hinc infero, si materia cogitat, necessario cogitare debere aut *natura sua*, sive ut materia; aut *ratione figuræ*, materiæ scilicet tali figura donatæ; aut *ratione sui motus*, materiæ scilicet diversis directionibus, diversaque velocitate motæ. Materialistæ hanc consequentiam admittunt, quæ, ipsis fatentibus, id omne complectitur, quod materiam cogitantem efficere potest.

Tribus itaque sequentibus demonstrationibus ostendendum est, materiam neque natura sua, neque ratione figuræ, neque ratione motus cogitare posse.

1043. DEMONSTRATIO I. *Materia ut materia, sive simplici sua qualitate materia non cogitat.* EX-

EXPLICATIO I. Ut hoc ostendamus *ideam materiæ* cum *idea* cogitationis conferamus. Facile erit dignoscere, ideam materiæ, & cogitationis nihil invicem commune habere posse.

I. Quantumvis *intima materiæ natura* nobis ignota sit, sive intima ista qualitas, quæ illam materiam esse facit, quæque ejus essentia dicitur; certum est, materiam essentia, & natura sua non cogitare; omnino enim rationi universæ renunciandum, ut judicare, seu suspicari quis posset, luti massam, aut marmoris frustum, aut ferri cogitare.

II. Quæcumque intimæ proprietates materiæ supponantur; certum est, proprietates has sive notas, sive ignotas, illam cogitantem non efficere.

Inter has proprietates siquidem, quæ *pure passiva* sunt, materialistis ipsis fatentibus, nullam vim habent, quæ materiam cogitantem efficere possit. Quæ vero ut *re ipsa activa* censeri possent, sunt tantum motus locales, sive ad hos motus dispositiones, atque tendentiæ, a quibus aut partium prius conjunctarum disjunctio, aut sejunctarum conjunctio obtineri posset; quin unquam ex illis quid vel remotissime cogitationi simile exoriatur.

III. Quomodocumque natura materiæ, & natura cogitationis concipiatur, certum est, cogitationem esse *modificationem substantiæ cogitantis*, eamque in materia tamquam subjecto existere non posse.

Postulat enim modificationum natura, ut sine subjecto concipi nequeant. Atqui optime cogitatio concipitur quin materia ulla concipiatur. Nulla ergo materia cogitationis subjectum est; cogitatio ergo non est materiæ modificatio (202, & 207).

IV. Quomodocumque materia, & cogitatio concipiantur, certum est, materiam semper concipi ut quid extensum, cogitationem vero ut

quid

quid inextensum; Materiæ ergo, & cogitationis natura nihil commune habent.

EXPLICATIO II. Si materia natura sua, & uti materia cogitat; necessario cogitare debet aut tamquam subjectum partibus constans; aut tamquam subjectum simplex, & partibus carens; aut ratione alicujus suorum elementorum harmoniæ; aut ratione occultæ alicujus energiæ, quæ elementorum suorum naturæ, aut harmoniæ adnexa sit. Atqui hæc omnia falsa, & absurda sunt.


I. Patet primo materiam non cogitare tamquam *subjectum partibus constans*; patenter enim repugnat, subjectum *partibus* constans *non cogitantibus* unquam fieri subjectum cogitans ex harum partium non cogitantium coagmentatione; patet quoque, subjectum *vel partibus cogitantibus* constans, cum cogitatione, ut in nobis est, & sensu intimo percipitur, componi, & cohærere non posse.


Etenim *subjectum cogitans*, ut in nobis est, & sensu intimo percipitur, necessario *esse individuum* habet, quod omnium philosophorum, imo materialistarum (*a*) consensu in partibus re ipsa inter se distinctis existere nequit; ut validius tribus sequentibus propositionibus ostendemus.

II. Patet deinde, materiam non cogitare ut *subjectum simplex*, *& partibus carens*; neque enim hoc subjectum aut ad materiam pertinet, aut materiæ inest; in qua simplices unitates non cognoscimus, & quodvis vel minimum elementum partibus compositum concipitur (Phys. 46, & 60).

Ce-

(a) *Id simplex sit necesse est, quod cogitat; non vero ex partibus compositum; partes namque componentes natura, & cognitione sint priores oportet, quam id, quod est compositum.* Spinosa Epist. 40.





...um, quod natura ineſt cuivis ſu
gitanti, ſentienti, ratiocinanti?

IV. Patet tandem, materiam non
occulta quapiam *energia* ſuorum elem
naturæ, aut harmoniæ adnexa, In h

Ce-

*Id simplex sit necesse est, quod cogitat ;
ro ex partibus compositum ; partes nam
omponentes natura, & cognitione sint prio
portet, quam id, quod est compositum.* Spi-
Epist. 40.

Ceterum etsi in materia unitates simplices, & puncta Zenonica haberentur, ac veræ monades, semper æque absurdum esset, aut cuique monadi, aut alicui tantum cogitationem tribuere. Siquidem:

Si singulæ unitates, aut monades, quarum collectio meam materialem naturam efficit, seorsim in me cogitant; quomodo, & ubi in me erit illud *esse individuum*, quod ex his omnibus cogitantibus subjectis unum tantum subjectum cogitans in me efficere debet?

Si vero in me unica sit atomus cogitans, quæ me unum, atque unicum subjectum cogitans efficit; quare ratione unica hæc atomus facultatem cogitandi exclusivam habebit? Si vero nulla probatione, imo ratione repugnante facultatem hanc exclusivam huic atomo tribuamus, quare, quave ratione atomus hæc *sensum intimum*, & cognitionem experimentalem eorum habebit, quæ aliis atomis non cogitantibus conjuncta est, eveniunt?

III. Patet pariter materiam non cogitare ratione alicujus *suorum elementorum harmonia*. In hac enim hypothesi, necessario hæc partium harmonia, qua materia cogitans fieri debet, existet aut in subjecto simplici, & partibus carente, aut in subjecto partibus composito.

Si subjectum *simplex* est, & *partibus carens*, nulla in eo erit partium harmonia, neque intrinseca, aut extrinseca ulla partium dispositio, aut collectio, quibus cogitans fiat. Non ergo cogitabit.

Si subjectum *partibus constat*, quænam præ ceteris cogitatione donabitur? si vero singulæ seorsim cogitant; ubi nam erit illud *esse individuum*, quod natura inest cuivis subjecto cogitanti, sentienti, ratiocinanti?

IV. Patet tandem, materiam non cogitare *occulta* quapiam *energia* suorum elementorum naturæ, aut harmoniæ adnexa. In hac enim

hypo-

hypothesi occulta hæc energia, inintelligibilis hæc materialismi chimæra necessario aut aliquid erit a materia indistinctum, aut distinctum.

Si est quidpiam a materia indistinctum, jam duo, aut tria dilemmata hactenus proposita recurrunt, & eadem vi pollent.

Si quidpiam est *a materia distinctum*, hoc necessario natura, & essentia sua in se id habere debet, quod materiæ communicat; quare occulta hæc energia necessario aliquid erit, quod materia non sit, quodque etsi materiæ conjunctum *propriam essentiam* amittere nequeat, nec illa materia fieri, quam cogitantem efficere supponitur.

Erit ergo energia hæc, quæ perperam materiæ sensum, & cogitationem tribuere supponitur necessario *substantia* aliqua *immaterialis* in se & a se facultatem habens sentiendi, & cogitandi, sive sentiendi quin cogitet, quæque aliud esse nequit, nisi quod nos *animam humanam* dicimus in specie rationis participe, & *animam brutorum* in specie ratione carente regni animalis.

Quare quovis modo materia sumatur, summo jam rigore demonstratum est & experientiæ, & ratiocinii momentis, ipsam ut materiam & simplici sua materiæ qualitate non cogitare neque in singulis elementis suis, neque in ullo peculiari elemento. Q. E. D.

1044. DEMONSTRATIO II. *Materia non cogitat ratione figuræ, qua donata sit.*

EXPLICATIO. Ut hoc ostendamus, *figuræ*, & *cogitationis* ideas conferamus; hinc enim duo hæc simul stare non posse elucescet.

I. Patet primo, *materiæ figuram* majorem tantum, minoremve, & dato quovis modo terminatam extensionem intellectui exhibere; elementum scilicet, aut elementorum congeriem, quæ aut triangularis sit, aut quadrata,

aut

aut polygona, aut convexa, aut concava, aut hæc omnia ſimul in diverſis ejus lateribus, aut partibus internis, & externis.

Atqui in his omnibus nihil concipitur, quod cogitatio ſit, quod ullo pacto cogitationi ſimile ſit, quod materiam cogitantem efficere poſſit. *Cogitationem* enim non concipimus neque planam, neque convexam, neque concavam, neque planis regularibus, aut irregularibus circumſcriptam, neque angulos habentem magis, minuſve acutos, ſalientes, aut regredientes. Contra vero quum cogitationem concipimus, figuras has omnes, imo quaſcumque ab illa excludimus; & manifeſte abſurdum fore percipimus, ſi peteremus quam latitudinem, longitudinem, profunditatem, quam figuram, polygonem ne, an ellipticam, an circularem, an pyramidalem, an conicam, an cylindricam, an ſphæricam habeat cogitatio.

II. Patet deinde, *de duorum identitate, aut non identitate* ex ideis, quas eorum habemus, nobis eſſe judicandum (417, & 674).

Exempli gratia, cenſeo, *triangulum*, & *quadratum* in Anglia exiſtentia eſſe duo eſſentialiter diverſa, quorum unum nequit eſſe alterum; propterea quia ideæ, quas utriuſque habeo, diverſæ ſunt, oppoſitæ, & in earum objecto ſe invicem excludentes.

Pari modo cenſeo, *ſubſtantiam figura præditam*, & *cogitationem* eſſe duo eſſentialiter diverſa, quorum unum nunquam eſſe poteſt, aut fieri alterum, propterea quia ideæ, quas horum habeo, diverſæ ſunt, oppoſitæ, ſeſe in earum objecto invicem excludentes.

Quoniam itaque *idea ſubſtantiæ figura prædita* longitudinem, latitudinem, latera, & angulos eſſentialiter continet, & *idea cogitationis* longitudinem, latitudinem, latera, & angulos eſſentialiter excludit, judicare debeo, ſubſtan-

tiam

tiam figura præditam nihil habere posse commune, neque unam esse, aut constituere alteram unquam posse. Si ergo materia cogitat, quæcumque illi figura tribuatur, jam non ex hac figura cogitat.

III. Patet tandem, nullam mixtionem, delectum nullum, harmoniam nullam figurarum, aut *elementorum diversa figura præditorum* cogitationem constituere, & materiam cogitantem efficere posse.

Si enim cogitatio, aut cogitandi facultas neque in figuris cubicis, nec in sphæricis, nec in pyramidalibus, nec in alia quavis figura sita est; concipiemus ne, cogitationem in ulla harum figurarum, aut horum elementorum figuratorum dispositione, aut commixtione esse statuendam? Contra vero nonne concipimus, ex figuræ, & cogitationis ideis, evidenter repugnare, ex ulla figurarum collectione cogitationem constitui; *cogitationem ullam* esse atomorum compositionem sive lævium, sive asperarum, sive aduncarum, sive uncis carentium? Si ergo materia cogitat, ejus cogitandi facultas neque in figura ulla, neque in figurarum compositione posita est. Q. E. D.

1045. DEMONSTRATIO III. *Materia ratione sui motus non cogitat.*

EXPLICATIO Ut hoc quoque demonstremus *ideas motus*, *& cogitationis* adhuc simul conferamus. In his essentialem horum objectorum, quorum unum nequit unquam esse alterum, diversitatem, & oppositionem evidenter deprehendemus.

I. *Materiæ motus* est tantum corporis transitus de loco in locum diversis velocitatis gradibus, diversis directionibus, compositionibus diversis. Quid in his omnibus *cogitationi* commune? quid quod materiam cogitantem efficere possit?

Patet primum, materiæ *translationem de loco*

in

in locum illi cogitationem non tribuere; ceterum luti, aut argillæ cumulus e loco in alium translatus cogitans fieret.

Patet deinde, *majorem*, *minoremve velocitatem* materiæ cogitationem non tribuere. Globus e majori, vel minori bellico tormento explosus fiet ne cogitans, quacumque velocitate feratur?

Pari modo patet *directionum diversitatem* materiæ cogitationem non impertiri. Silex, aut lucis radius fient ne cogitantes propterea quia motu quovis ferantur directo, aut reflexo, uniformi, aut accelerato, vel retardato, ad austrum, ad boream, ad ortum, ad occasum, superius, aut inferius?

Patet denique, *diversas motus compositiones* materiam cogitantem non efficere. Hæc enim compositio dicit tantum, motus hos esse vel oppositos, vel conspirantes, vel æquales, vel inæquales. Si oppositi sunt, aut omnino, aut partim se invicem destruere debent; si conspirantes, tantum concipimus, eos sese invicem juvare, & eorum concursu majorem velocitatem mobili indere debere. Nihil vero ad rem facit, motus æquales esse, aut inæquales: tunc tantum intelligimus, æqualem in illis aut inæqualem esse vim motricem; seque invicem magis, minusve aut juvare posse, aut impedire.]

II. Ab hac motus notione, atque analysi evidenter sequitur, nihil in motu esse cogitationi simile, quod cogitatio fieri possit, aut cogitantem materiam reddere. Neque enim tantum ut atomis, & fibris compositam *cogitationem* non concipimus, & variis directionibus, motibusque directis, reflexis, æqualibus, inæqualibus, oppositis, conspirantibus, ab unica, aut ab innumeris complexis causis productis agitatam; sed cogitationem concipientes hæc omnia ab ipsa necessario excludimus, ut triangulum

concipientes quadratum ab ipso necessario excludimus.

Motus ergo quomodocumque concipiatur nec cogitatio est, nec materiam cogitantem efficit. *Fibra* ergo *agitata* sive in cerebro, sive in corde, sive in alia quavis corporis parte, nec cogitationes sunt, nec magis cogitationes efficiunt, quam efficere possint *fides sonora* in lyra, aut cythara; quæcumque in hisce fibris, figura, motus, tremor supponatur, sive insensibilium partium, sive fluidorum per ipsas excurrentium easque concitantium.

CONCLUSIO. Ex hisce tribus demonstrationibus simul sumptis evidenter sequitur, materiam sive in organa formatam, sive rudem, motam, aut quiescentem, crassam, aut in infinitum attenuatam, cogitare non posse neque natura sua, neque ratione figuræ, aut motus.

Repugnat ergo materiam cogitare. Nostrarum ergo cogitationum principium, aut subjectum non est substantia materialis Q. E. D.

PROPOSITIO II.

1046. *Materia cogitationis incapax, æque sensus incapax est.*

DEMONSTRATIO. Evidens est, sensus nostros voluptatis, aut doloris, amicitiæ, aut odii, timoris, aut spei, gaudii, aut mœroris, adprobationis, aut contemptus, ceterosque, modificationes esse *substantiæ intelligentis, atque sensibilis*; hasque *sensus modificationes* non magis in materia haberi posse, quibuscumque organis, figura, aut motu prædita supponatur, ac in ipsa *cogitationis modificationes* haberi possint; diversæ illæ scilicet animæ modificationes, quæ sunt, ideæ, judicia, & ratiocinia.

I. Ut propositionem hanc invicta demonstratione probemus satis est, si hic *animæ sensibus*

quæ

quæ de *animæ cogitationibus* dicta sunt accommodemus (1042).

Eædem tres demonstrationes, quæ materiam cogitare non posse ostenderunt, eadem certitudine, atque evidentia, materiam sentire non posse demonstrabunt neque natura sua, neque ratione figuræ, aut motus.

Cartesius in sua *de brutis automatis* fabula sedulo monet, bruta re ipsa non sentire; sive sentire videri, etsi re ipsa non sentiant; plane siquidem videt, sensum nec materiæ inesse posse, nec ejus modificationem esse posse.

II. Materialismus omnes hominis operationes ad motus mechanicos referens, & hominem automa faciens, adhuc in homine Ens sensitivum noscere cogitur.

At enimvero ubi nam in homine *Ens sensitivum* erit, si homo nihil sit præter aquea, terrea, ignea, aerea elementa simul commixta? cuinam ex his hominis elementis sentiendi virtus tribuetur? erunt ne elementa aquea, an aerea, an ignea, an terrea, quæ sentient? Erit ne elementum A, an elementum B, aut elementa erunt quædam delecta, aut universa elementorum collectio?

Elementa hæc hominis *ens sensitivum* constituentia sunt ne in se ipsis sensitiva, & per se; aut non nisi in homine sensitiva fiunt? Si vero in homine vivente sensitiva sunt, grave ne absurdum erit ea quoque in homine heri vita functo, aut in exsiccato aliquo Ægyptio cadavere adhuc sensitiva supponere?

„ Recens philosophia, inquit civis Genevensis, non jam rupes cogitare, sed homines non „ cogitare mihi videtur detexisse. Jam in natura non nisi *entia sensitiva* ipsa admittit; „ totumque discrimen quod hominem inter, „ & lapidem statuitur, est, hominem ens sensitivum esse, quod sensationes habet, lapidem vero ens sensitivum, quod sensationes

 „ non

„ non habet. At si verum est, universam ma-
„ teriam sentire, ubinam statuam *ens indivi-*
„ *duum*? erit ne hoc in quavis molecula, aut
„ in earum congerie? Hanc unitatem æquepo-
„ nam in fluidis, & in solidis, in mixtis, &
„ elementis?

„ Non nisi individua, inquiunt", in natura
„ sunt; at quænam hæc individua sunt? La-
„ pis hic individuum ne est, an individuorum
„ collectio? estne unicum ens sensitivum, aut
„ tot continet, quot arenæ granula? Si quæ-
„ vis elementaris atomus ens sensititivum est,
„ qua ratione concipiam intimam hanc com-
„ municationem, qua altera in altera se sen-
„ tit, ita ut *duo illa individua* in unum coe-
„ ant? Partes sensibiles extensæ sunt; at ens
„ sensitivum indivisibile, & unicum est: non
„ dividitur: totum est, aut nullum. Ergo *ens*
„ *sensitivum* non est corpus " Q. E. D.

PROPOSITIO II.

1047. *In homine, præter corpus organicum, substantia est essentialiter a materia, ejusque organis diversa, substantia in se, & natura sua spiritualis.*

EXPLICATIO. Cuique, qui ratione sua uti velit, nec ita insaniat, ut ea abuti velit, & obcæcari, ne in se quid videat, nisi automa, facile erit, & *in iis, quæ in se ipso sentit*, & *in iis, quæ in sui similibus videt* tertiæ hujus propositionis certissimam demonstrationem invenire.

1048. DEMONSTRATIO I. Quemque hominem sensus experimentalis docet, sibi substantiam inesse cogitantem, atque sentientem. Atqui *substantia* hæc *cogitans*, & *sentiens* neque materia est, neque ejus organa, ut superioribus duabus propositionibus ostendimus. Ergo præter corpus organicum substantia homi-
ni

ni ineſt a materia eſſentialiter diverſa; cujus diſtinctivæ operationes, cogitationes nempe, & ſenſus, reflexi præſertim, nequeunt a materia emanare; & cujus diſtinctivæ modificationes, hæ nempe cogitationes, atque hi ſenſus, materiæ inhærere non poſſunt.

Subſtantiam ſpiritualem in ſe ipſa, & natura ſua eam voco, quæ ſimul intelligere, ratiocinari, & reflexe ſentire poteſt. Atqui ſubſtantia cogitans, & ſentiens, quæ hominem animat, hæc tria ſimul præſtare poteſt; ergo hæc ſubſtantia in ſe, & natura ſua ſpiritualis eſt.

At materia ſive organis inſtructa, ſive carens, ſive mota, ſive quieſcens nec intelligere, nec ratiocinari, nec reflexe ſentire poteſt. Ergo ſubſtantia cogitans, & ſentiens, quæ hominem animat, non eſt ſubſtantia materialis ejus corpus conſtituens. Ergo in humano compoſito præter ſubſtantiam corporis organici ſubſtantia eſt eſſentialiter ab ea diverſa, quæ corpus organicum conſtituit; ſubſtantia ſcilicet in ſe, & natura ſua immaterialis, & ſpiritualis Q. E. D.

1049. DEMONSTRATIO II. Anima humana, omnibus fatentibus tum materialiſtis, tum eorum adverſariis, eſt *Principium ſentiens, & cogitans*, quod hominem animat. Atqui principium hoc non eſt materia humanum corpus conſtituens. Hoc ſolide, & facile pluribus modis probo ſex explicationibus ſequentibus.

I. Meæ memoriæ, & mei ſenſus intimi teſtimonium me ſimul docent; *Principium ſentiens, & cogitans, quo animor, idem omnino eſſe hodie, quod erat heri, quod anno proxime ſuperiore, quod decem, aut viginti ante annos.* Hoc vero materiæ cuivis organicæ meum corpus conſtituenti convenire nequit.

Ut enim vel a primis phyſiologiæ, & anatomes notionibus intelligimus, corpus huma-

num, ut aliud quodvis corpus vivens, non nisi *perpetuo partium* sibi continenter succedentium *fluxu* subsistit.

Partes tenujores, magisque volatiles, quæ modo meum sanguinem, humores, spiritus vitales constituunt, perpetua transpiratione dissipantur, aut transformatione perpetuo naturam mutant, & perpetuo illis aliæ similes nutritione sufficiuntur.

Partes humani corporis rigidiores, magisque tenaces, ut quæ ossa, musculos, crassiores nervos, cartilagines, adipem, carnem componunt, iisdem mutationibus æque obnoxiæ sunt, etsi in dies minoribus. Ceterum, materialistis ipsis fatentibus, non sunt partes hæ rigidiores, magisque tenaces principium sentiens, & cogitans.

Quare principium hoc, quo animor, *numericam*, *& individuam identitatem* habet. Ergo nulla mei corporis pars organica est principium sentiens, & cogitans, quo animor.

II. Rationis meæ, & sensus intimi testimonium unanime docet, *principium sentiens*, *& cogitans*, *quo animor*, *in pluribus operationibus suis liberum esse*; quod materiæ organicæ corpus meum constituenti nequaquam convenire potest.

Sicut enim ex primis physicæ, & mechanicæ notionibus novimus, materia neque vim habet sibi motum communicandi, neque communicatum amittendi, neque quem habet suspendendi, moderandi, aut alio dirigendi.

Quare principium sentiens, & cogitans, quo animor, in pluribus operationibus suis *vera libertate* gaudet; nulla materia hanc habet in suis operationibus; nulla ergo materia principium est cogitans, ac sentiens, quo animor.

III. Unanime rationis meæ, ac sensus intimi testimonium docet, *Principium sentiens*, *& cogitans*, *quo animor*, *substantia*, *& natura sua non esse multiplex*; sive idem esse indivi-

duum

duum principium, quod in me videt, intelligit, gaudet, dolet, decernit, se determinat, duas ideas cum tertia confert, earumque identitatem colligit, aliaque hujusmodi; quæ sane materiæ cuicumque organicæ mei corporis convenire nequeunt.

In hac enim materia organica nulla pars est quæ aliis partibus indefinite minoribus non constet, quæque proinde natura, & substantia sua multiplex non sit. Quin si & partes materiæ natura, & substantia sua simplices supponantur, altera quod altera sentiret, neque quod altera cognoscit, & altera cognosceret: in nulla haberetur illud *ens individuum*, in quo tamquam centro ceterarum omnium impressiones, & affectiones colliguntur.

Solæ tunc auris fibræ intelligerent, solæ oculi fibræ viderent, solæ palati fibræ saporem sentirent; & nullum esset commune principium, aut subjectum in quo omnes hæ perceptiones existerent, quod eas simul comparare posset, quod dicere posset: ego sum, quod video, quod intelligo, quod sitio, quod frigeo, quod ratiocinor, quod definio, quod statuo, ceteraque hujusmodi.

Totidem in homine sentientia, & cogitantia principia essent, quot moleculæ agitatæ, atque concussæ. At nullum esset principium sentiens, & cogitans, ad quod omnes cogitationes, & sensationes referrentur.

Quare principium sentiens, & cogitans, quo animor, necessario *principium* est *simplex*, atque *unicum*, in quo *individua mea unitas* sita est. Atqui materia nulla mei corporis simplex, atque unicum principium esse potest, in quo individua mea unitas sita sit; ergo nulla mei corporis materia principium est sentiens, & cogitans, quo animor.

IV. Concors experientiæ, & sensus intimi testimonium me docet; *principium sentiens, &*

cogitans, quo animor convenire posse cum mei similium principio sentiente, & cogitante, ut verborum sono, aut scriptionis notis arbitraria significatio applicetur, quam de se, & natura sua non habeat: quæ sane nunquam materia organica quæcumque fibras meas, humores, spiritus vitales constituens efficere potest.

Exempli gratia, homini ingenio acri prædito, sed in geometria jejuno parallelogrammum rectangulum, aut obliquangulum ostendo; & quam longitudinem obtineat ejus *diagonalis* peto: nihil ille percipit. Elatiori voce id ipsum interrogo; nec magis quid a se velim percipit. Ut me explicem, dico, diagonalis nomine me lineam intelligere ad oppositos angulos ductam: tunc me apertissime intelligit. Quibus positis sic procedo.

Si principium sentiens, & cogitans, quod hominem animat, esset tantum humani corporis materia organica, evidens est iisdem hujus materiæ impressionibus easdem ideas, easdemque sensationes responsuras. Quare evidens est, hominem, de quo sermo, aut ante explicationem me intelligere debuisse, aut neque post explicationem me debuisse intelligere; ante siquidem, & post explicationem vox *diagonalis* a me pronunciata easdem omnino in ejus materia organica vibrationes excitat.

V. Si principium sentiens, & cogitans, quo animor, esset aut tota mei corporis substantia aut ejus pars, puta, cerebri fibræ; dicendum esset, *cogitationem, deliberationem, determinationem esse tantum substantiarum motuum effectus mechanicos*; quod manifeste falsum est, & absurdum.

Certum enim est, effectus mechanicos semper esse suis causis necessario proportionales; & sæpissime principii sentientis, & cogitantis cogitationes, deliberationes, determinationes motibus humani corporis non esse proportinales.

„ Sci-

„ Scimus, inquit recens auctor, in virium
„ mechanicarum actione, semper effectum
„ esse causæ suæ exacte proportionalem; at
„ non ita res habet in motibus nostris volun-
„ tariis. Pila, exempli causa, quam projece-
„ ro, nunquam alteri pilæ motum communi-
„ cabit nisi illi proportionalem, quem manus
„ mea primæ communicaverit. At si alicui ad
„ aurem dixero; lictores in via sunt, qui te
„ morantur, ut capiant: ille statim præcipiti
„ fugæ se committet. Jam vides, inter pauca
„ hæc verba ad aurem dicta, aut, si mavis,
„ inter vibrationes in ejus cerebro excitatas,
„ & præcipitem ejus cursum, qui effectus est,
„ nullam dari proportionem.

„ Quid igitur inter hæc duo habetur? *Idea*
„ *periculi*, & deinde *fugiendi voluntas*, quæ
„ violentum hunc motum cruribus imprimit.
„ Atqui idea hæc, quam tam levis auræ mo-
„ tus excitat, actus hic voluntatis, qui in
„ corpus tanta vi agit, ostendit in anima in-
„ ternum actionis principium, cui corpus pa-
„ ret. Hominis hujus cerebrum animæ quidem
„ verborum sonum in aure dictorum transmi-
„ sit; at eorum significatio est, *perceptio* nem-
„ pe *omnio spiritualis*, quæ animam excitat;
„ & quæ intima sua virtute velocem hunc
„ crurum motum parit. Nullus inter hæc ne-
„ xus mechanicus datur, nulla materialis con-
„ junctio, ac proinde nulla necessitas. Ani-
„ ma nostra itaque immaterialis est; & actio-
„ nes nostræ voluntariæ a cerebro non pen-
„ dent ".

VI. Me docet sensus intimus, *principium sentiens, & cogitans, quo animor, abstracta attingere, atque percipere, moralia, pure possibilia, pure futura*; quod materiæ cuivis organicæ, aut rudi, qua corpus meum constat, nequit ullo pacto convenire.

Exempli gratia, sentio, principium hoc, quo

quo animor posse abstractione metaphysica percipere, & attingere unam, eamdenque rem ut substantiam, quin illam concipiat ut corpus; illam concipere ut corpus, quin concipiat ut vegetabile; illam concipere ut vegetabile, quin concipiat ut malum assyrium, aut ut cerasum.

Atqui evidens est, nihil tale materiæ sive organicæ, sive rudi convenire posse, quæ aliquid attingens illud attingit secundum totum, quod est, ut ens, ut substantiam, ut vegetabile, ut malum assyrium, aut cerasum; nulla rerum, aut proprietatum abstractione, nullo in eo statuto, aut detecto gradu metaphysico. (224, & 318).

Pari modo sentio, principium, quo animor, percipere, & attingere pure possibilia, pure futura, moralia, ut virtutem, & vitia, honestum, & inhonestum, elegans, aut inelegans in iis, quæ ad ingenium spectant, justum, & injustum in jure, & legibus, decens atque indecens in recto ordine, in moribus, in politica, in legislatione.

Atqui patet, nihil horum puræ materiæ sive organicæ, sive rudi convenire posse; possibilia siquidem, futura, moralia sunt *entia* tantum *abstracta*, quæ quum in physico rerum ordine nihil sint, neque materiam afficere, neque a materia attingi possunt. Q. E. D.

1050. DEMONSTRATIO III. Cuique ab experientia, & observatione innotescit, in hominibus sui similibus, æque ac in se substantiam esse cogitantem, atque sentientem, quæ natura nihil materiali substantiæ commune habet. Quid enim in sui similibus videt & notat, non modo in præclaris iis ingeniis, quæ scientia, & magnanimis animi sensibus nationum sibi admirationem comparant, sed in rudibus, atque incultis, dum cognoscunt ac sentiunt? Intelligentiam in iis dignoscit magis, minusve perspicacem, ratiocinia aptius, aut mi-

minus apte producta, sensus magis, minusve reflexos; quæ omnia in iis *substantiam spiritualem* indicant, qualis a nobis jam definita, & descripta fuit.

Exempli gratia, homo omnino rudis, barbarus in sylvis enutritus, natura ipsa, nec animadvertens satis sublimem mechanicæ, politicæ, justitiæ, virtutis in genere theoriam habet.

I. Illi ne fovea transilienda est, quam sine artificio traiicere non valet? Natura ipsa novit, se aliquot passibus retrocedere debere, ut exiguum hoc spatium percurrens successive motum acceleret, quo ejus corpus ampliorem parabolam describat; aut perticam illi opportuno adjumento fore, quæ mediam in foveam demissa gravitationis effectum cohibeat, & ejus motum horizontalem protrahat.

Grave onus illi forsam removendum, cujus resistentia suis viribus major sit? cito potentiam duplicandi artem inveniet, instrumenti, quo ad vectem utitur, longitudinem duplicando, aut triplicando.

Arbor, aut ejus ramus convellendus est? Natura duce scit pedes, & brachia ita disponere, ut longissimum vectem efficiat; novit etiam corpus maxima velocitate propellere directione resistentiæ opposita, ut massa in velocitatem ducta maximam in resistentiam vim exerceat.

II. Si forte illi *quid novi, & utilis* casus obtulit; illud perpendit: considerat quid ad præsentem suam, vel futuram utilitatem conferre possit: eo utitur, & illud successive perficit. Cognitio alteri perfectiori in dies viam sternit.

Si præpotens inimicus, cui suis viribus resistere nequeat, ejus vitæ, aut libertati insidiatur; operam dat, ut cum aliis communem causam suam faciat, alienas vires suis jungit,

ut simul collectæ hostis insidias eludere valeant.

Si quod infortunium tugurium suum diruit, alterum ædificat, curatque illud ita construere, ut simile infortunium antevertat. Quæ adversa in dies illi occurrunt, quæque prospera, illum docent qua ratione imposterum se gerere debeat; hæc ipse filios docet, qui tum suarum cognitionum, tum eorum, quæ ipsi industria peperit, heredes futuri sunt.

III. Neque putes ideis illum carere honesti, & inhonesti, justi, & injusti, virtutis, & vitii. Ut de hoc certior fias narra illi, exempli gratia, filium patris amantem, & beneficum sponte se in servitutem dedisse, ut patrem infirmum a dira captivitate liberaret; seu teneram, & dolore perditam matrem in lupum, seu pardum magno animo irruisse, ut natum adhuc vivum sibique raptum a belluæ faucibus evelleret. Plorabit ille misericordia motus, & pietatis, ac admirationis sensus in ejus vultu dignoscentur (863).

Aut, si lubet, pete ab illo num liceat promissis non stare, aut benefactorem, & amicum prodere, agrum ab alio excultum deprædari, illi nocere, qui tibi non nocet, parentibus indigentibus non opem ferre. Oculis indignantibus magna eloquentia suum ille responsum, ac judicium patefaciet.

IV. Quæ quum ita sint, omnino patet, homini plane rudi, ac sylvestri *substantiam spiritualem* inesse suis motibus præsidentem, media ad fines dirigentem, virium summam modo magis, modo minus accurate resistentiarum summæ comparantem; præteritum, & futurum considerantem, inventis utentem, & cogitationes suas perficientem, objecta etiam immaterialia, & insensibilia concipientem; magis, minusve legem naturalem, jus naturale, officia pleraque, justum, vitium, & virtutem cognoscentem, magis in dies morum, & cogni-

gnitionum principiis aptam regi, corpus materiale, quod animat, majori, minorive sagacitate, & prudenia tueri studentem. Plane cæcutiat oportet, qui in his nisi motum, & materiam videt. Q. E. D.

PROPOSITIO IV.

1051. *Substantia spiritualis animans hominem natura sua simplex est, seu rebus re ipsa inter se distinctis non constat.*

DEMONSTRATIO. Ut hoc explicemus, & ostendamus, probare pergimus principium animans hominem neque *naturis re ipsa distinctis*, neque *partibus re ipsa distinctis* constare; adeoque animam, quæ hoc principium est, subjectum esse perfecte simplex, in quo nulla est substantialis compositio.

I. Me docet sensus intimus, *esse idem individuum subjectum, quod in me sentit, & cogitat, quod meditatur, & gaudet, aut dolet, quod præterita meminit, & futura prævidet, quod decernit, & se determinat.*

Ergo principium, quo animor, non componitur *ex pluribus distinctis substantiis, aut naturis*, quarum altera intelligat, altera sentiat, altera percipiat, altera judicet, altera res sentiat, aut cogitet, meminerit, aut in memoriam revocet, altera animadvertat, & decernat, altera se determinet, & velit. Secus in me principium intelligens quid sentiat principium sentiens ignoraret; principium animadvertens quid statuat principium decernens ignoraret; principium ratiocinans, & judicans, quid a principio reminiscente agatur nesciret.

Ergo etsi principio, quo animor, facultas insit, quam *intellectum* voco, alia, quam *voluntatem*, alia, quam *memoriam*, alia, quam *phantasiam*, alia, quam *judicium*, alia quam *potentiam sentientem* nuncupo, aliæque hu-

hujusmodi; patet, has facultates non esse in me res invicem distinctas, sed unicum individuum principium, quod diversis muneribus fungitur, a quorum diversitate diversa quidem nomina sortitur, sed semper intime unicum, & individuum natura est. Ceterum in me non esset illud *ens individuum*, quod dicere posset: ego cogito, ego patior, ego judico, ego ratiocinor, ego volo, ego memini; nec de principio, quo animor, veras mihi ideas sensus intimus exhiberet.

II. Docet me sensus intimus, *unicum in me esse principium sentiens, & cogitans*. Ergo principium hoc *partibus distinctis* sive materialibus sive immaterialibus non constat. Partibus materialibus non constare jam ostendimus (1042): superest itaque, ut neque immaterialibus, & spiritualibus partibus constare demonstremus.

Ac primum si *substantia spiritualis* me, & ceteros homines animans partibus spiritualibus constaret re ipsa invicem distinctis, patet harum quamlibet essentia sua fore *spiritum*; ut quodvis materiæ elementum essentia sua re ipsa *materia* est.

Hinc sequeretur, diversas has ejusdem animæ partes, quum totidem veluti spiritus essent, quorum unus non esset alter, aut veluti totidem animæ invicem distinctæ, posse simul, & eodem tempore qualitates habere oppositas, & contradictorias.

Exempli gratia, inter diversas has animæ partes fieri posset, ut una uno modo cogitaret, altera opposito; ut una vellet corpus quiescere, alia moveri; ut una pia, & recta esset, impia alia; & scelesta; ut una quid appeteret, alia fastidiret; ut una de re aliqua recte, alia perperam judicaret; quæ omnia illud in una, & individua anima judiciorum, & voluntatum dissidium parerent, quod in familia, aut in hominum societate nimium sæpius exsurgit.

At-

Atqui hæc omnia experientiæ, & obſervationi adverſantur. Ergo anima hominis partibus re ipſa inter ſe diſtinctis nequaquam conſtat.

Præterea ſi anima partibus vel ſpiritualibus diſtinctis conſtaret, ubinam eſſet in ipſa unitas intelligens, & ſenſitiva, illud *eſſe individuum*, quod non dividitur, quod neceſſario indiviſibile, & unum eſt? Ergo iterum anima partibus vel ſpiritualibus non conſtat; ergo anima hominis eſt ſubſtantia natura ſimplex.

III. Quemque hominem docet ſenſus intimus, *ſe ſæpius ſimul habere aut plures gratas, aut plures moleſtas ſenſationes, aut gratas, & moleſtas ſimul mixtas.* Si quæras harum ſenſationum quænam gratiſſima ſit, quænam moleſtiſſima, reſpondet homo ex ſenſu intimo, hanc vel illam eſſe. Quo poſito ſic procedo.

Quum eodem tempore & *dolorem in pede*, & *dolorem in brachio* ſentio; hos dolores ſimul confero, & ex ſenſu intimo judico alterum altero majorem eſſe. At vero ſi anima diſtinctis partibus conſtaret, & horum dolorum unus animæ *partem A*, alter *partem B* afficeret, pars A quid parti B contingeret ignoraret, & vice verſa. Quævis ex his partibus ſuum dolorem ſentiret, nec dolorem, quem patitur cum eo, quem non ſentit, conferre poſſet.

Ut ergo dolores hi poſſint invicem conferri, ut alter altero gravior judicetur, in eodem unico ſubjecto recipi debent, quod eos in ſua *individua ſubſtantia* ſimul ſentiens judicare poſſit a quo vehementius afficiatur. Idem dicas de duabus ideis, quæ cum tertia conferantur, & num conveniant, an diſcrepent, deprehendatur.

Ergo anima humana, quæ duos dolores ſimul comparat, & alterum altero graviorem judicat, duabus diſtinctis partibus non conſtat, in quibus hi dolores ſejunctim recipiantur.

Ergo hæc anima, quæ ſimul confert ſuas diver-

versas ideas, cogitationes, spes, timores, affectiones, aversiones, voluptatis, molestiæ, desiderii, mœstitiæ modificationes, aliaque hujusmodi, non constat partibus inter se distinctis; quarum singulæ singulas has modificationes admittant.

Ergo hæc anima, quæ diversas suas cogitationis, & sensus modificationes simul confert, est necessario *substantia natura sua simplex*, nulla partium re ipsa distinctarum compositione.

IV. Ex demonstratis itaque colligimus, animam hominis esse substantiam simplicem omnem a natura sua facultatum, & partium distinctarum compositionem excludentem; quæ, etsi ita simplex, adhuc potest, ut experimentali sensu novimus, in intima sua substantia innumeras spirituales successivas modificationes admittere. Q. E. D.

ORGANICA CORPORUM STRUCTURA.

1052. OBSERVATIO. Binæ in visibili natura dantur organicæ structuræ species, animalis scilicet, & vegetabilis. Utraque in causa sive ignota, sive nota a qua construitur, *exemplarem praexistentem ideam* supponit, archetypum ab infinita intelligentia conceptum, effectumque. Utraque enim in variis individuis, in quibus a nobis observari potest ubique media ostendit ad finem aliquem instituta, & delecta miro artificio omnem finitam intelligentiam evidenter exsuperante.

I. *Organica animalium structura* esse videtur variarum materialium substantiarum constructio quædam, dispositio, atque delectus, quæ omnia simul magis, minusve promptam formationem, magis minusve diuturnam conservationem, magis minusve mirabilem mechanicum motum corporis animalis efficere apta

sint;

ſint; & animali (quod ſemper aliquid eſt præter corpus organicum) occaſionem præbere ad varias operationes, quas ejus tum genericus, tum peculiaris finis poſtulat (795, & 877).

In homine, exempli cauſa, partes ſunt ad nutritionem operandam conſtructæ, diſpoſitæ, & inſtitutæ; aliæ ad viſionem; aliæ quoque ad varios motus, ad varias ſenſationes, ad omnes hominis animales, & intellectuales functiones exequendas. Partes ita conſtructæ, diſpoſitæ, ſelectæ ſunt organica humani corporis ſtructura.

At organica animalis ſtructura, a qua Deus animalis vitam, & operationes pendere vult, totum animal non eſt, quod evidenter aliquid præterea eſt. Semper enim animal neceſſario ſenſationis capax eſt, cujus nunquam materia organica capax eſſe poteſt. Ut igitur animal conſtituatur, præter materiam organicam *ſubſtantia immaterialis* neceſſario requiritur, quæ in hac materia organica ſit in ſe, & per ſe ſentiendi capax (1046).

II. *Organica vegetantium ſtructura* ipſa quoque videtur eſſe conſtructio quædam, diſpoſitio, ac variarum materialium ſubſtantiarum delectus, quæ omnia ſimul apta ſunt formationem, conſervationem, & varias proprietates efficere quas genericus, & peculiaris vegetantium finis poſtulat.

In ceraſo, exempli cauſa, partes organicæ ſunt ad *communem humorem*, & *peculiares ſuccos*, quibus enutriri debet, juxta generales naturæ leges hauriendos inſtitutæ. Aliæ quoque organicæ ad hos eoſdem *nutritios ſuccos* juxta eaſdem naturæ leges elaborandos, & mutandos, ut inde emergant tales fructus, talia germina, tales ſpecificæ productiones.

III. *Foſſilia* veram organicam ſtructuram non videntur habere, quæ intimo eorum proprio machinamento, & *per intus ſuſceptionem* agente,

te, ut in animali, & vegetabili eorum formationem, & conservationem operetur.

Non tamen proinde invisibilis causa eorum partes construens, disponens, seligens *simplici juxta positione* infinite magnas, varias, exactas, exemplares ideas in proprietatibus specificis; quas eorum naturæ tribuit, atque conservat, non ostendit.

ANIMÆ ORIGO.

1053. OBSERVATIO. Quænam *animæ origo* est? seu qua ratione existentiam obtinet mira hæc substantia omnibus animatis substantiis vitam, & actionem impertiens? Maxima hæc quæstio omnium ætatum præclarissima ingenia exercuit.

1054. EXPLICATIO I. In sententia per hos dies a Christianis passim recepta animæ humanæ *vera creatione* existunt, quæ tunc habetur quum eam postulat organica satis perfecta humani corporis animandi structura; quam creationem Deus solus operari potest.

Unicam hanc sententiam de humanæ animæ origine ratio, & fides simul concordes amplecti possunt. Animas ante corporis organici formationem existere manifeste inutile fuisset: scimus autem, axiomate passim recepto, Deum nihil frustra operari.

Idem ferme de brutorum anima dici potest. A Deo & ipsæ creantur eo ipso tempore, quo satis perfecta corporis animandi structura eas esse postulat. Porro absurdum esset si eas ex simplici materia, quam animant, emanare supponeremus; nihil enim materia habet, in quo aut eminenter, aut formaliter, aut virtualiter præcontineantur.

1055. EXPLICATIO II. Nonnulli philosophi primis Christianæ religionis sæculis, quibus & nonnulli ex antiquioribus ecclesiæ Patribus adhæ-

hærere nisi sunt, tenuerunt, *physicam* haberi *animarum propagationem*, ut habetur corporum. Anima Abelis, exempli gratia, parentum Adami, & Evæ physica emanatio fuit, ut ejusdem Abelis corpus parentum corporis fuit emanatio.

Hac physica animarum, & corporum propagatione veteres nonnulli ecclesiæ Doctores *originalis peccati transmissionem* explicabant. Ajebant siquidem Adami, & Evæ filios primorum horum humani generis parentum corruptioni participare propterea, quia sunt totidem successivæ emanationes naturæ primitus in duplici sua substantia materiali, ac spirituali vitiatæ, atque corruptæ.

Tunc non arbitrabantur, ut ex ipso Divo Augustino colligi videtur, physicam fœcunditatem spiritualis substantiæ naturæ necessario repugnare.

CONFUTATIO. At enimvero opinio hæc sanæ philosophiæ minime consona, quam tamen ecclesia nunquam damnavit, quum nulli fidei dogmati sit opposita, jamdiu assertoribus caret. Tandem physica hæc animarum propagatio, quam *animarum originem ex traduce* nuncupabant, absurda, & nullo pacto tenenda visa est; propterea quia substantia simplex, & individua, ut necessario est anima hominis, cujusvis physicæ, & substantialis emanationis, qua veluti in partes dividatur, essentia ipsa incapax est.

Unicum peculiaris hujus opinionis fundamentum erat peccati originalis propagatio, cujus rationem reddi posse non putabant, quin animarum simul, & corporum propagatio admitteretur. Sed posterioribus sæculis, magisque excultis arbitratum est, ad præcipui hujus christianæ fidei dogmatis rationem quoad fieri posset reddendam satis esse *divinum decretum* supponere, quo Adamum, & Evam universum huma-

manum genus eorum posteritatem repræsentare statueretur (344); ita ut ab horum protoparentum obedientia, aut inobedientia primi illius status possessio, aut amissio penderet, in quo *humana natura* creata fuit gratuitis donis ornata, nulla ratione huic naturæ debitis; ut jam in nostra philosophia religionis explicavimus.

1056. EXPLICATIO III. Fabulosus liber *Shastad*, quem Indi inspiratum somniant, quique Bramhæ doctrinam continet, ac illam proinde tum veterum, tum recentiorum Indiæ, & Mogolis Brachmanum, Siamensium Talapoinorum, plerorumque pariter Sinensium, & Japonensium Bonziorum, docet, animam hominum, & brutorum eandem substantiæ speciem esse, quum utraque spiritualis sit, & immortalis.

Deus purus spiritus æternum extitit, inquit Shastad: & initio temporum innumeris ante hoc sæculis innumeros spiritus creavit, quorum pars illi fidem servavit; pars altera defecit eum supremum Dominum habere recusans. Rebelles illico e cœlo expulsi ad æternas pœnas damnati fuerunt; at angelorum bonorum preces exaudiens, quorum principes erant Birmah, Bistnoo, & Sieb, Deus illis tempus purgationis constituit, quo in pristinum locum restitui possent. Quare Birmah ministerio 4875 ferme ante annos quindecim visibilium mundorum regiones creavit, quorum septem supra, septem infra orbem nostrum sunt: hi totidem erant purgationis gradus, & pœnæ, quos subire debebant, ut ad pristinam beatitudinem reverterentur. Eodem quoque ministro mortalia corpora creavit, hominum scilicet, & brutorum in quibus dato tempore *rebelles angeli* includi debebant, ut ea animarent, & ut in iis tum physicis, tum moralibus malis obnoxii essent pro admissi criminis ratione. Ad octogin-

ginta novem corpora animanda eos damnavit, quorum postremum humanum erat omnibus intimis qualitatibus præditum, quas in creatione obtinuerat. Hinc *Metempsychosis* exorta somnia.

Deus mundos visibiles, & animalia corpora creans unum ex fidelium angelorum principibus, Bramham scilicet, in terram misit, qui *primus homo* fuit, & solus innocens; cui munus injunctum fuit rebelles angelos ad hominum, aut brutorum corpora animanda damnatos eas conditiones docere, quibus in Dei gratiam redire poterant. Fidelium angelorum princeps Birmah conciliationis hujus conditiones *lingua angelica*, & Dei ipsius jussu Bramhæ tradidit; hic vero eas summa fide in *linguam Sanscrit* transtulit, quæ tunc universæ Indiæ lingua erat.

Sacer hic vetus Bramhæ liber, qui primum in quatuor tantum partes divisus erat *quatuor divinorum verborum libros* nuncupatas, primitiva sua puritate integer mansit, inquiunt Brachmanes, annis mille. Postea vero interpretationibus, & paraphrasi a Brachmanibus amplificatus, & in recentiorem Indorum sermonem translatus non amplius in quatuor libros partitus fuit, sed ad sex primum, deinde usque ad duodeviginti libros excrevit; quo factum est, ut & lingua, qua primum Bramhæ Shastad scriptus fuerat, & autographum ipsum oblivioni traderetur. Quare sacer hic Indorum liber jam non extat; & variæ interpretationes, ac translationes, quas subiit, veterem Bramhæ doctrinam, & legislationem omnino adulterarunt. Porro, si Brachmanes audias, Bramhæ posteritas in India annis 2179. regnavit, nec nisi annis ante æram christianam 21 extincta est. Hæc de Brachmanum doctrina tradit Anglus Hotvvellus, qui diligentissime an-

nis

nis triginta, quibus in regno Bengalæ commoratus eſt, Brachmanum res inveſtigavit.

Fabuloſa hæc Bramhæ doctrina *viſibilium rerum originem*, & *creationem* ſtatuit annos tantum 4874 ante hunc 1778. At inviſibilium rerum creationem priorem facit annorum millionibus quadringentis, ſexaginta, & octo; creationem, inquam, bonorum, & malorum angelorum, quorum primi cæleſtem beatitudinem obtinuerunt, in eaque perſeverant, dum ceteri perduellionis pœnas luunt in variorum animalium corporibus ab homine ad bruta transmigrantes, puta ad elephantem, ad equum, ad pſittacum, ad vaccam, ad apem, ad ranam, ad colubrum, ad bruchum, ad lumbricum, & a brutis ad hominem juxta metempſychoſis deliramenta.

1057. EXPLICATIO III. In Platonis ſententia Deus, ſive ens ſupremum initio temporum humanas animas creavit, eaſque in aſtris poſuit, unde facilius infinitas ejus perfectiones contemplari poterant. At illæ ad terreſtres pulchritudines contemplandas potius ſe converterunt. Quare indignatus Deus ſe terreſtribus rebus poſtponi, eas hac pœna affecit, ut in terram dejectæ humanorum corporum carceribus includerentur.

„ Hac ratione Plato, inquit recens auctor,
„ explicare ſe putabat quare haberetur mira
„ hæc *ſympathia*, qua nonnulli vel ut primum
„ ſibi occurrunt amicitia invicem devinciun-
„ tur, & quare homo, & fœmina fervido,
„ & conſtanti mutuo amore ſæpius exardeſcant.
„ Quæ animæ, ajebat Plato, dum aſtra inco-
„ lebant Dei pulcritudinem, & perfectiones
„ diligentius contemplatæ ſunt, ſi quod harum
„ veſtigium in creatis rebus offendunt, ſubito
„ & involuntario impulſu illuc feruntur, ubi
„ exoptatæ rei ſpecies ſeſe illis offert.

Inter Platonis somnia ingeniosissima sane hæc sententia est, quam jure amantium philosophiam celebris recens auctor appellat.

1058. EXPLICATIO V. In Leibnitii, & Volfii sententia humanæ animæ omnes initio temporum creatæ fuerunt, & illico organicis corporibus infinite parvis conjunctæ horum ministerio naturalia sua intelligendi, & sentiendi munera exercent; atque ita perseverant, donec humanis corporibus physice conjunctæ hominum animæ re ipsa evadant: hac vero conjunctione cessante hominis obitu, iterum similibus organicis corpusculis conjunguntur.

Hæc Volfii, & Leibnitii sententia ferme illa est, quam Siamenses, & Sinenses de humanis animis tenent, teste Laluberio. Censent gentes illæ, animas post obitum corpus infinite parvum informare sed eadem figura, atque organis instructum, quibus præditum erat corpus, a quo recesserunt.

CONFUTATIO. Patet, singularem hanc Leibnitii, & Volfii sententiam utraque sui parte corruere. Humanarum animarum conjunctio infinite parvis corpusculis donec humanis corporibus jungantur, inane mentis commentum est, quod nulla ratione fulcitur.

I. Omnium animarum creatio initio temporum non aliunde supponi potest, nisi ex *arbitraria* eorum, quæ in Genesi leguntur, interpretatione; scilicet Deum magnum creationis opus sex diebus explevisse, & septimo quievisse.

At vero si absoluta, & perpetua quies his verbis intelligatur, qua Deus nihil amplius agat in natura, rationi, & revelationi contradicitur. *Rationi* quidem, qua docemur, permanentem naturæ actionem sine permanente sui auctoris actione subsistere non posse; *revelationi* vero, qua innumeris sacrorum librorum locis dicitur Deus perpetuo mundi hujus res curare

sive

five physicas, sive morales, bona, ac mala distribuens, imperia firmans, aut evertens, naturæ ordinem, & leges pro sua voluntate interrumpens, hominum corda regens, ac movens, aliaque hujusmodi.

II. Indignum Deo est, inquiunt, in visibili natura movenda, regendaque continenter occupari, in organicis corporibus condendis, in animis humanis creandis, quæ humana corpora informent, in animis natura diversis creandis, quibus variæ brutorum species animentur.

At quo fundamento regitur assertio hæc? nullo. Quare enim infinita Dei magnitudine indignum sit id perpetuo esse, quod infinita naturæ suæ perfectio, & infinitæ suarum idearum, suorumque operum divitiæ postulant? Quare magis Dei infinita magnitudine indignum sit naturam a se creatam hodie movere, ac regere, quam fuerit illam creare, movere, ac regere initio temporum? aut animas intelligentes & sensibiles hodie creare quæ animent humana corpora, & sensibiles tantum, quæ brutorum corpora informent; quam utrisque similes in mundi primordiis creare ad hominum, & brutorum corpora informanda?

1059. EXPLICATIO VI. Mites aliqui materialistæ (1040) volunt, hominum, & brutorum animas *creatione proprie dicta* non condi. Deus, inquiunt, materiam seminalem, qua variæ species reproducantur, per terram diffundens illi *miram* eam *substantiam* adjecit, cujus naturam ignoramus, quæque homini, & brutis vitam impertitur.

At hæc opinio hoc unum habet, ut *obsoletis* peripateticorum *occultis qualitatibus* deterior sit; & ut maximi momenti phænomeno ineptam, absurdam, ipso phænomeno obscuriorem explicationem afferat (177, & 736).

1060. EXPLICATIO VII. Isaac quidam de la Peyrere opere inscripto *Præadamitæ*, & typis

pis edito anno 1655. contendit duas fuisse creationes, alteram ab altera magno temporis intervallo dissitas.

In prima creatione, quæ *generalis* est, Deus creavit Cœlum, terram, planetas, stellas, angelos, & homines, omnes animalium, vegetabilium, species, uno verbo mundum, ut nunc est; & in quavis hujus orbis parte homines, & fœminas creavit diversæ speciei, unde omnes homines qui nunc terram incolunt, propagati sunt, excepta Adami, & Evæ progenie.

In altera creatione, quæ *peculiaris* est, quæque non nisi pluribus sæculis post priorem contigit, Deus populum præstantem condere volens Adamum, & Evam creavit, qui hujus populi parentes essent, & novam hominum speciem in terris propagarent.

Duplici hac creatione sententiæ Præadamitarum auctor sacrorum librorum chronologiam, qui satis recentem mundo originem tribuunt, cum Ægyptia, Chaldæa, Indica, & Sinica chronologia conciliare contendit, quæ omnes multo remotissimam mundi orginem statuunt. Per hunc auctorem diluvium non fuit universale, neque veteris creationis species extinxit. Quare non omnes homines, qui modo terram incolunt, ab Adamo, & Noemo proveniunt. (904).

CONFUTATIO. At recens hæc opinio inanibus tantum sophismatis, & fabellis innixa est.

I. *Inania sophismata* eo tendunt, ut nonnullas sacrorum librorum auctoritates perperam interpretentur, ut inde ea deducant, quæ minime consequuntur; ut quisque facile noscet, qui vel primis dialecticæ, historiæ, sacrorum librorum institutis imbutus Præadamitarum librum legere voluerit.

II. *Fabulæ* sunt primum quod de diversis hominum speciebus dicitur; quum manifestum sit

unionam in orbe nostro *hominum speciem* esse in plures stirpes accidentibus diversas divisam, quæ omnes ab eodem stipite derivari evidenter possunt, ut in philosophia religionis ostendimus. Deinde chronologiæ ipsæ, quibus innititur, & in quibus sana critice infinitas falsitatis notas detegit, nullam vero certitudinis; ut quoque in philosophia religionis ostendimus.

Præadamitarum auctor magna sane injuria ad Indorum præsertim chronologiam confugit; quum hæc non nisi 3097 annos rerum visibilium originem statuat ante æram christianam; ut de Shastad agentes adnotavimus (1056).

ANIMÆ, ET CORPORIS UNIO. (a)

1061. OBSERVATIO. Quid est in homine mira hæc *animæ, & corporis unio*, substantiæ scilicet spiritualis, & substantiæ extensæ, & organicæ?

In duobus posita esse videtur; scilicet in *comprasentia* animæ spiritualis, & corporis organici, & in *mutua* binarum harum substantiarum in suis respectivis muneribus *dependentia*, quam Deus libere decrevit, & ratione cujus *substantia intelligens* sensationes, ideas, affectiones, judicia, ratiocinia, reminiscentias habere nequit, nisi naturali materialium organorum ministerio, aut concursu; nec *substantia organica* subsistere, conservari, regularem habere organorum motum, & propria munera exequi potest, sine substantiæ spiritualis, a qua animatur, & regitur, præsentia, & influxu.

I. Binæ hæ substantiæ, *anima*, *& corpus* essentia omnino inter se diversæ sunt, natura,

(a) *Ad corporis, & animæ conjunctionem significandam* unionis *vocem usurpavimus, quum in scholis usitatissima sit.* Interpres.

ra, modificationibus, fine. Altera nihil alterius esse potest.

At altera ab altera in unionis statu pendere potest; quum efficaci, *ac permanente decreto* Deus eas invicem pendere jusserit; atque hoc naturæ lex erit quamdiu compositum permanebit.

Hinc humanæ animæ infirmitas in infantia, ejus vigor, ac robur firmiori ætate, ejus languor in morbo, aut in effœta senectute. Anima sui corporis vicissitudines sequi videtur; Deus enim libere decrevit, ejus operationes semper ab organorum suis perceptionibus occasionem præbentium conditione pendere. Porro hoc ineptum fundamentum est, cui insistunt materialistæ, ut animam faciant materialem substantiam.

Dissoluto composito spiritualis substantia non amplius a corpore pendens *intelligentiæ, & sensus munera* suæ naturæ congrua a se exequi potest; sive melioris, sive pejoris conditionis fiat quum amplius a corporeis organis non pendet, a quibus neque in statu unionis aut cogitationes, aut sensus suos mutuatur (1042, & 1046).

II. Quum substantia spiritualis nihil materiale sit, aut esse possit, non nisi *vera creatione* existere potest.

Quare Deus vera, & proprie dicta creatione humanam animam condit, eamque corpori animando tunc unit, quum in materna alvo id satis perfecta organorum structura postulat.

At quo ipso tempore hæc animæ creatio fit? Nulla hoc experientia, aut observatione determinari potest (1054).

III. Donec essentialis organica corporis structura perseverat, anima humana corpori, quod regere debet, unita perseverat. Ea structura soluta, unio animæ, & corporis cessat. Bina-

rum harum ſubſtantiarum ſeparatio compoſiti mors eſt.

At quænam eſt eſſentialis hæc organica corporis ſtructura, cujus mutationem unionis ceſſatio ſequitur, ſive animæ a corpore ſeparatio? Hoc quoque generatim definire arduum eſt.

SEDES ANIMÆ.

1062. OBSERVATIO. Certum eſt, animam humanam in corpore, quod animat, ſedem habere: At in qua corporis parte ejus ſedes eſt?

I. An *in univerſo corpore*? ita fere omnes veteres philoſophi ſenſerunt. At perperam; abſurdum enim eſt dicere, brachio abſciſſo, animam in reliquum corpus recedere; neque præterea concipi poteſt, quare obligato nervo anima non ſentiat in nervi parte nexui inferiore, nec amplius cum cerebro communicante.

Experientia novimus, quum nervus arcte ligatus eſt, partem ligaturæ inferiorem, convelli, cædi, uri poſſe, nullo animæ ſenſu. Non ergo in hac parte eſt anima; non ergo in univerſo corpore.

II. An in *corde*? ita Lucretius; ſed perperam. Inſtinctu enim naturæ cogitationes, & animadverſiones noſtras ad cerebrum referre conſuevimus; tum præcipua ſenſuum noſtrorum, viſus, auditus, olfactus, guſtus organa ad cerebrum, non ad cor terminentur. (11, & 1063).

III. An *in univerſo cerebro*? ita nonnulli philoſophi; ſed perperam; experientia enim conſtat, non exiguam cerebri partem, vita incolumi, amitti poſſe, imo ſenſu, & ratione ſalvis.

Celebris Buffonii ſententia animæ ſedem *in cerebri diaphragmate* ſive in membrana cerebrum involvente, nec meliori præcedentibus ra-

ratione suffulta, nec minoribus difficultatibus obnoxia est.

IV. An in ea cerebri portione, quæ *glandula pinealis* dicitur, & quo præcipue nervi optici concurrunt? Ita Cartesius; sed perperam. Observationibus enim anatomicis constat, homines fuisse, quibus glandula pinealis omnino deerat, aliique, in quibus ossea facta fuerat; in neutris tamen ratio, & sensus defecerant.

V. An in cerebri *corpore calloso*, quod medullaris fornicis medium est? Ita de la Peironie; at perperam; postremis enim hisce temporibus inventi sunt homines, in quibus corpus callosum aut destructum erat, aut prorsus immutatum; nec tamen aut ratione, aut sensu carebant.

VI. An *in cujusque nervi origine?* Ita Bordenavius; sed perperam; tum quia nulla hoc ratione probatur; tum quia iis ferme difficultatibus sententia obnoxia est, quibus ea, quæ animam in toto corpore diffusam statuit.

Quare anima ad nervorum originem potius, quam ad medium nervum, aut ad alterum ejus extremum collocetur; quum nervi non in eadem corporis humani parte communem originem habeant?

VII. Quænam ergo *animæ sedes* est, unde corpus regit? Hoc ignoratur; fortasse & semper ignorabitur.

Non tamen hæc ignorantia animæ existentiam infirmat; axioma enim est, *in rebus certum ab incerto non tolli* (56).

Substantia immaterialis, & spiritualis omnino a materia, ejusque modificationibus diversa humano corpori inest. Hoc certum est. Qua humani corporis parte substantia hæc sedem habeat, hoc incertum est, nec nisi conjecturæ locum præbet.

VIII. Verosimillimum est, *sedem animæ esse*

in aliqua fixa, aut variabili præcipua cerebri parte; ad cerebrum ſiquidem eſt, quo conveniunt præcipui nervi, quorum ope ab externis objectis anima afficitur, & quorum miniſterio omnibus corporis ſui partibus motum imprimit. At in qua cerebri parte ſedes eſt animæ? hoc adhuc latet.

Fieri poteſt, ut ſedes animæ *in omnibus hominibus* immutabiliter *eadem ſit*.

Fieri etiam poteſt, ut ſedes animæ *in diverſis hominibus diverſa ſit*; puta, in aliquo ut ſit corpus calloſum, in alio glandula pinealis.

Fieri tandem poteſt, & hoc fortaſſe ſatis probabile eſt, ut ſedes animæ per accidens in eodem homine variabilis ſit; & prima ejus ſede vitiata, ut anima alia in ſede collocetur, quæ aptior ſit, ad perceptiones ſuas juvandas, & motum membris imprimendum.

1063. NOTA I. *Cerebrum*, in quo nos ſedem animæ locamus, maſſa eſt glanduloſa, inæqualiter rotunda, ſatis mollis, in duos ſphæræ quadrantes diviſa eodem in plano ſitos; & ubique innumeris, arterioſis propaginibus intertexta, quæ quavis directione pluribus miris circumvolutionibus per ipſam excurrunt.

I. A cerebro directe, & immediate *decem præcipua nervorum paria* originem ducunt, inter quæ nervi olfactorii ſunt; nervi optici, auditorii, & pathetici.

Et veroſimillimum eſt, ut ſequenti nota patebit, *triginta alia nervorum paria*, quæ immediate a cerebro non naſcuntur, neque ad illud immediate, & directe convenire videntur, tamen re ipſa cum præcipuo hoc organo, & animæ ſede communicare, ſed tramitibus imperceptibilibus, qui etſi re ipſa dentur, tamen vel peritiſſimi anatomici aciem effugere poſſunt.

II. In

II. In cerebro magnam *fluidi animalis* officinam natura statuisse videtur, cujus fluidi invisibilis ope præcipui motus in nobis fiunt, & pleræque sensationes nostræ mentales excitantur. (1248, & 1251).

III. Cerebrum præcipue materialistæ nonnulli speculati sunt, qui sedem animæ animam ipsam efficere voluerunt. Per auctorem systematis naturæ, exempli gratia, animalium facultates intellectuales sunt in directa cerebri ratione; major, minorve cerebri massa diversitatem statuit inter hominem, & brutum, inter hominem acuto, & alium hebeti ingenio.

At hæ materialistarum investigationes tum in se absurdæ sunt, tum etiam vel primis anatomicis observationibus adversantur. In magnitudine enim, de qua sermo, comparanda, necessario aut absoluta magnitudo attenditur, aut respectiva. Utrumque dicatur, experientia theoriam oppugnat.

Si *magnitudo absoluta* attendatur; certum est primo ex Hallerii, & Bartolini observationibus, elephantis cranium cerebri dimidium supra hominis cranium continere. Deberet ergo elephas dimidio supra hominem intelligentia, ingenio, judicandi, & ratiocinandi vi pollere. Certum deinde est, anatomicos, qui & capita ingeniosissimorum hominum, & hebetum dissecuerunt, non semper majorem cerebri massam in primis, quam in secundis invenisse.

Si de *magnitudine relativa* sermo sit; certum est primo ex Plinii Galli observationibus, quasdam esse scimiorum species, & cetaceorum, quæ, proportione habita, majus homine cerebrum habent. Scimii hi, atque cetacea hæc intellectus facultatibus homini antecellere deberent. Certum est præterea omnium anatomicorum consensu, in humana specie embrionis cerebrum hominis jam adulti cerebrum magnitudine relativa superare; & generatim in qua-

vis animalium ſpecie juvencula majorem, proportione habita, cerebri quantitatem haberi, quam perfecte adulta. Embrio itaque in materno alvo magis intelligentia, & ratione pollere deberet, quam parentes; aquilæ pullus recens ex ovo excluſus intellectus facultatibus magis abundare deberet, quam aquilæ duæ, a quibus ortus eſt. Certum tandem eſt ex celebris Buffonii obſervationibus, elephantem, qui magis ceteris brutis memoria, & ea facultate, quæ intelligentia nuncupatur, pollet; tamen minorem pleriſque cerebri maſſam reſpectu ſui corporis habere. Quare materialiſtarum de cerebro ſcrutationes obſervationi, & rationi plane adverſantur.

1064. NOTA II. Ex obſervationibus anatomicis novimus, quadraginta omnino in humano corpore eſſe nervorum paria, quorum decem a medulla cerebri originem ducunt; triginta cetera a ſpinali medulla ab occipite uſque ad coxendicum originem. Triginta nervorum paria a ſpinali medulla oriunda *vertebrarum nervi* paſſim dicuntur. At celebris Haller eundem hunc cum Vinslovio, ceteriſque omnibus anatomicis nervorum numerum admittens, octo eſſe ait nervorum paria cervicalia, duodecim paria nervorum dorſi, quinque lumbarium, & quinque oſſis ſacri. Porro hæc conſuetam numerandi methodum non immutant, niſi ut fortaſſe res ipſa aptius percipiatur.

I. Inter hos vertebrarum nervos unus eſt, *nervus* ſcilicet *intercoſtalis*, ſeu magnus nervus ſympathicus, qui peculiarem conſiderationem meretur ratione nexus, & communicationis cum ceteris nervis, & ſympathiæ, quam inter ipſos ſtatuit. Nervus hic magna ex parte nervis conſtat a ſpinali medulla procedentibus, exigua vero ex parte ramo ſexti paris nervorum cerebri, a quo ipſe oritur, & ejus initium facit e cranio emergens.

EX

Ex recentioribus anatomicis observationibus medici Angli VVhytt, & medici Belgæ Haen, nervi intercostales qui in organorum animalium motibus tam multa præstant, ex obliquo ossis temporalis canali erumpunt, nervis octavi, & noni paris cerebri junguntur; deinde post nonnulla eorum filamenta admissa, quibus eorum volumen augetur separantur; magnum Ganglion (*a*) efficiunt, in quod rami quidam sese inserunt decimi paris nervorum capitis, ut quoque primi, & secundi paris cervicalis: deinde ad pectus descendunt, quo cum jam ingressuri sint alterum ganglion efficiunt, a quo nervi propagantur, qui ad trachæam arteriam, & ad cor feruntur; subinde in binos ramos dividuntur, & secus pectoris vertebras protenduntur a singulis dorsalibus nervis ramos excipientes; & iter suum prosequentes nervea filamenta transmittunt ad renes, & ad hypogastrium, & diversis nervis communicant sese ad extremas corporis partes diffundentibus.

II. *Nervus intercostalis*, ut jam certissime innotescit, communicat hinc quinto, sexto, octavo, & nono pari nervorum cerebri, inde quinto, sexto, septimo, octavo, & nono pari nervorum dorsalium, qui a spinali medulla proficiscuntur; & verosimile est, hac ratione veram ipsum communicationem habere cum omnibus, aut ferme omnibus humani corporis nervis.

Hinc orta *nervorum sympathia*, quæ ex mutua eorum communicatione, mutuoque nexu procedit; atque in eo sita est, ut actio, quam nervus communicat, aut impressio, quam recipit,

(a) *Nodorum olivarium species a nervis effectorum sua in quibusdam corporis partibus conjunctione.*

pit, aut ſenſatio, quam nervus experitur, prompte, & neceſſario ad alios nervos magis, minuſve remotos tranſmittatur, qui nihil cum illo commune habere videntur, qui actionis, aut ſenſationis re ipſa origo eſt. *In eo ſtat nervorum ſympathia, quod actio, aut paſſio nervi unius agentem reddat, aut patientem alterum.*

OBJECTIONES SOLVENDÆ.

Præcipuæ difficultates, quibus animæ humanæ ſpiritualitas impugnatur, hoc tantum nulla ratione, imo contra perſpicua experientiæ, & rationis teſtimonia, indeſinenter inculcant, ſubſtantiam ſcilicet ſpiritualem quid eſſe, cujus nulla habetur idea, nec haberi poteſt, quæque proinde in natura eſſe nequit; nequaquam repugnare, materiam natura facultatem cogitandi habere, aut Deum ſupernaturaliter illi vim hanc tribuere; multoque ſimplicius eſſe, magiſque rationi conſonum unicam in natura ſubſtantiam extenſam ſimul, & cogitantem admittere, quam duas diverſas, quarum una extenſa ſit, altera cogitans; animam humanam bonorum, & malorum corporis omnino participem eſſe, quod animat; atque hoc ipſo ſatis oſtendere, ſe re ipſa ab intrinſecis ſeu viſibilibus, ſive inviſibilibus corporis conſtitutivis non eſſe diſtinctam; animam hanc neceſſario in natura ſua, intimaque ſubſtantia & veram extenſionem habere, & partes re ipſa diſtinctas, in quibus diverſæ perceptiones ſimul exiſtunt; adeoque non niſi materialem ſubſtantiam eſſe poſſe.

In-

IMMATERIALIS SUBSTANTIÆ INCOMPREHENSIBILITAS FORTASSE PROBAT EAM ESSE CHIMÆRICAM.

1065. OBJECTIO I. Quare immaterialem ſubſtantiam in homine admittamus, cujus nullam claram, & diſtinctam ideam nobis effingere poſſumus? ſi enim diverſas noſtras ſenſus, & cogitationis perceptiones perpendamus (1041), eas omnes videbimus nobis a materialibus objectis provenire, omnes ad materialia objecta terminare, omnes in nobis materiales effectus parere, idque, quod *ſubſtantiæ ſpiritualis* idea concipimus, non niſi materialem ſubſtantiam reipſa eſſe, quam indefinite cogitatione attenuamus, & ſpiritum vocamus, quum eam non amplius imaginandi facultate attingimus.

Ceterum idea ſubſtantiæ immaterialis, & ſpiritualis non niſi *negativa* eſſe videtur; quæ abſtractione metaphyſica materiali ſubſtantiæ nobis notam materiæ qualitatem, aut proprietatem illi in phyſico rerum ſtatu ſemper eſſentialiter inhærentem aufert. Atqui patet, hujus ideæ abſtractæ, & negativæ objectum purum eſſe ens rationis, & extra idealem rerum ſtatum nihil eſſe (236).

RESPONSIO, *ſpiritualis ſubſtantia* in homine admittenda eſt; hujus enim ſubſtantiæ exiſtentia nobis ab effectibus certiſſime demonſtratur; ab intellectionibus ſcilicet, & ſenſationibus, quæ non niſi in ſubſtantia a materia natura diſtincta obtineri poſſunt; omnino ſiquidem repugnat, intelligentiam, & ſenſum materiæ unquam convenire (1042, *&* 1046).

I. Nulla ſane hujus ſubſtantiæ ſpiritualis idea concipi poteſt illi ſimilis, quam materiæ, & corporum habemus; ejus enim natura nulla ratione materiæ, aut corporibus ullis ſimilis eſt. At præter ſenſum intimum, quem ejus exi-

ſtentiæ habemus, ejus *ideam* nobis efformare poſſumus *illius naturæ maxime analogam*, eam concipientes ut ſubſtantiam cogitandi, & ſentiendi capacem. Porro hæc idea ſaltem æque clara erit, ac ea ſit, quam ipſius materiæ habere poſſumus, quæ magis etiam obſervationibus, ac ratiociniis noſtris ſubjici poteſt (217, & 219).

II. Alibi de perceptionum mentis noſtræ natura, & origine agentes, ſatis oſtendimus, materiam earum efficientem cauſam eſſe non poſſe; non ſemper materiam earum objectum eſſe, nunquam materiam earum ſubjectum eſſe poſſe. Quare univerſa hæc objectionis pars aerem verberat; quod adhuc de animæ facultatibus altera ſectione agentes oſtendemus.

III. Falſum omnino eſt, ſubſtantiæ ſpiritualis ideám eſſe tantum ideam *ſubſtantiæ materialis indefinite* attenuatæ; nobis enim ſenſu intimo conſtat, ſi indefinite pedem auri cubicum dividamus, & attenuemus, ſive marmoris, aut aquæ, aut alius materiæ cujuſcumque, nunquam materiam hanc indefinite diviſam concipi niſi *ut materiam*; & poſt omnes, quæ aut re ipſa, aut mente fieri poſſint, diviſiones, quamvis ita diviſam & attenuatam hujus materiæ particulam ſemper ut ſubſtantiam materialem, nunquam ut ſpiritualem menti noſtræ objici.

IV. Æque falſum eſt, ſubſtantiæ ſpiritualis ideam eſſe tantum *negativam*, quatenus materiæ qualitatem a ſuo objecto excludat; æque enim dici poſſet, materialis ſubſtantiæ ideam non niſi negativam eſſe, quatenus ſpiritus qualitatem a ſuo objecto excludit; quod abſurdum plane eſſet (898).

Materiæ ſubſtantia ſpiritualitatem eſſentia ſua excludit, ut ſpiritus ſubſtantia materialitatem. At ſicuti manifeſte falſum eſt, ideam, quam materiæ habemus, eſſe tantum ſpiritualitatis excluſionem, ſive abſtractionem; ita mani-

nife-

nifeste falsum est, spiritus, quam habemus, ideam esse tantum materialitatis exclusionem, aut abstractionem.

V. Alibi ostendimus qua ratione *diversarum substantiarum idea* in nobis fiant, atque insigne hoc phænomenon pro viribus explicantes, præcipuam quandam veritatem statuimus, quam hic memorare opportunum est; quamvis scilicet ideas tantum obscuras, admodumque confusas intimæ substantiarum quarumcumque naturæ nobis effingere possimus; tamen æque claram, certamque nos substantiæ spiritualis cognitionem habere, ac substantiæ materialis habeamus; quod plane satis est, ut obscuritatis inanem objectionem, inane materialistarum propugnaculum, evertamus (213, 216, 1392).

Si inane commentum dicatur substantia spiritualis, quod ejus clara, ac distincta idea non habeatur; eodem jure dicam, materialem substantiam inane commentum esse; neque enim ejus magis claram, magisque distinctam ideam profecto habemus.

COGITANDI FACULTAS FORTASSE PROPRIETAS NATURA IPSA MATERIÆ IPSI, AUT ORGANICÆ EJUS STRUCTURÆ CONVENIENS.

1066. OBJECTIO II. Quid absurdi invenias, si cum Democrito, nonnullisque celebribus recentioribus ejus asseclis dicamus, materiam omnem natura sua cogitare; hominem *naturalem machinam* esse infinitis atomis a se, & per se singulis cogitantibus, & sentientibus constantem, atque organicam hominis structuram, actiones, sensus esse tantum universæ materialis naturæ agentis effectum?

RESPONSIO. Quum præpostera hæc Democriti, & sectatorum sententia ad rigidum, patentemque materialismum statuendum instituta

tuta sit, patet omnia in ea absurda contineri debere, quæ necessario impiam, & falsam hanc hypothesim comitantur. Ex his tria tantum præcipua, quæ maxime ad rem faciunt, proponemus, & confutabimus.

I. Manifeste absurdum est experientiæ, observationi, rationi ipsi directe repugnare; tria hæc enim omnis philosophiæ, omnisque ratiocinii fundamenta esse debent.

At enimvero quid tribus hisce magis e diametro oppositum, quam materiam universam dicere natura sua cogitantem, & lutum, exempli causa, aut marmor re ipsa cogitantes substantias esse? (1042).

II. Manifeste absurdum est, *naturalem* hominis *machinam*, in qua infinite variæ, & infinite exactæ artificis ideæ archetypæ elucent, sese ipsam primitus construxisse. Quin, si neque ejus vel mediatam, vel immediatam constructionem attendamus, semper manifeste absurdum erit contendere, hujusmodi machinam, in qua cogitatio, & sensus aperte apparet; tantum fortuitam esse materialium substantiarum congeriem, quarum quælibet, communis cuique homini rationis judicio, essentia sua cogitationis, & sensus incapax est.

III. Si quoque contra omnia observationis, ratiocinii, communis hominum sensus momenta supponamus, quodvis materiæ elementum natura sua cogitans esse; adhuc manifeste absurdum esset supponere ex innumeris sentientibus, & cogitantibus atomis *ens individuum* unicum cogitans, ac sentiens exsurgere posse, cujusmodi quodvis humanæ speciei individuum ineluctabili sensus intimi testimonio in se ipso detegit.

1067. NOTA. Erant ne obsoleta hæc Democriti somnia hac ætate e tenebris revocanda? Quam illa absurda, ac deridenda esset Epicurus novit, & hac in re a magistri sui sententen-

tentia ſapienter receſſit; novit enim, ſe oleum & operam perditurum, ſi materiam omnem natura ſua cogitantem eſſe hominibus ſuadere vellet.

Quare operam dedit, ut tum cogitationis, tum ſenſus phænomena a quadam atomorum diſpoſitione, & a quadam organica materiæ ſtructura deduceret.

Si hoc Epicurri artificium propoſitus eventus non eſt ſequutus, ut jam oſtendimus, & duabus ſequentibus objectionibus reſpondentes adhuc oſtendemus; id ſaltem præſtitit, ut minorem in ſuum ſyſtema, quam Democritus, indignationem concitaret.

1068. OBJECTIO III. Si quid abſurdum eſt cum Democrito dicere, materiam univerſam natura ſua cogitantem eſſe; nullum erit, ſi cum Epicurro dicamus, ſive cum eruditis recentioribus materialiſtis, materiam *radicalem cogitandi facultatem* habere; ſive ipſam, quin re ipſa ſemper cogitet, ſemper tamen cogitantem fieri poſſe; atque *hujus facultatis exercitium* in individuo elemento determinari ab organica corporis, in quo eſt, ſtructura, a loco, quem occupat, ab elementorum, cum quibus communicat actione, & reactione.

Exempli cauſa, hoc *elementum cerebri Ariſti* quod inter arboris, aut lapidis elementa eſſe potuiſſet, ubi nullam cogitationem habuiſſet, factum eſt *anima Ariſti*, aut *pars animæ Ariſti*, propterea quia naturalis innumerarum cauſarum concurſus illud in eorum organorum centro collocavit, quæ animam Ariſti conſtituunt; & quia fortuita hæc hujus elementi collocatio, quandiu perſeverat, majorem illi cum externis objectis relationem parit, adeoque plures diverſas perceptiones, quam in arbore, aut lapide, vel in humani corporis ungue, aut capillo habuiſſet.

In hoc ſyſtemate *entis individui*, quod in quo-

quovis homine deprehenditur, rationem reddere proclive eſt; ſubjectum enim ſentiens, & cogitans tantum eſt præſtans hoc elementum, ſeu præſtantiorum elementorum exigua illa collectio, quæ in vitalium organorum centro ſita eſt, & quo conveniunt, atque perſeveranter referuntur ceterorum omnium elementorum actiones, & reactiones.

RESPONSIO. Præpoſterum hoc ratiocinium in quo, ut magnum *cogitationis*, *&* *ſenſus phænomenon* explicetur, machinamentum phyſicum adſtruitur, cujus partium munera ſingularum naturæ repugnant, cujus actio effectui, quod expectatur, omnino impar eſt, id tamen eſt, quo ſeſe magis materialiſtæ tueri putant. Nihil ſublimius ingenioſiſſimi inter illos diuturnis meditationibus duobus, vel tribus annorum millibus, ac præſertim hac, & ſuperiori ætate protulerunt. Deus bone! quot in tam acuta perſcrutatione abſurda, & inania! Horum percipua tantum perpendamus.

I. Plane abſurdum eſt, *materialem ſubſtantiam*, quam ubique experientia, & obſervatio inertem tantum, paſſivam, cæcam, & natura ſua activitate, & intelligendi vi deſtitutam indicant, ſupponere, ſeſe in organa conformare poſſe, a ſe ipſa actionem, & reactionem habere, ſeſe poſſe intelligentem efficere, quum non intelligens eſſet, ideas prototypas habere poſſe, & diſpoſitiones inire, quæ omnia neceſſario præexiſtentem intelligentiam ſupponunt. (795).

Primum hoc abſurdum ſemper, & ubique quodvis *Materialiſmi abſoluti* ſyſtema neceſſario comitatur, in quo nulla in viſibili natura eſt increata, & creatrix intelligentia, quæ materiæ primam exiſtentiam, motum regularem, ac permanentem, organa apta ſpeciem quamvis conſtituere, & perpetuo propagare impertita ſit. Non ita *Materialiſmi mitis* ſyſtemati

hoc

hoc absurdum inhæret, quod Deum esse mundi visibilis auctoren, motorem, & conservatorem admittens, nollet in homine substantiam esse a materia essentia distinctam (1040).

Non tamen propterea alterum hoc materialismi genus plurima alia absurda evitaret; cujusmodi inter cetera quatuor sequentia sunt.

II. Manifeste absurdum est *principium petere*, & quod statuendum est jam statutum supponere, explicatum, quod explicandum; Atqui hoc ipsum fit in præpostero hoc ratiocinio universo.

Quæcumque enim prima existentiæ, actionis, & organorum materiæ causa fuerit; mihi dicatur velim, quare, quave ratione in Aristi cerebro præcipuum hoc elementum, quod vitalis structuræ centrum occupat, e non cogitante cogitans evaserit. Hoc autem accidisse mihi dicitur, quia ita positum majorem ad externa objecta respectum habet, eorumque actioni, ac reactioni magis obnoxium est.

At enim vero etsi *centrali* cerebri *elemento* majorem & cum internis organis, & cum externis objectis relationem tribuamus, imo & cum sensibus, nulla adhuc mihi suarum *cogitationis*, & *sensus perceptionum* ratio redditur. Quum enim in ipso omnes has relationes percipio, hoc unum intelligo, mechanica hac structura, atque hac positione facilius ipsum, atque aptius quibusdam impulsibus, vibrationibus, concussionibus obnoxium fore; quæ omnia non nisi motus esse possunt; ac proinde nunquam cogitationes erunt, aut sensationes (1045, & 1046).

Si dicas, elementum hoc centrale, quod extra Aristi cerebrum non cogitabat, in ejus cerebro cogitans fieri aliorum elementorum actione, & reactione, ad quæ coordinatum est; eodem jure philosophico, eademque veritate dicam, fidem sonoram, quæ apud artificem, aut ven-

venditorem non cogitabat, in cythara cogitantem fieri aliarum fidium actione, & reactione, ad quas coordinata est, sive longitudinalium, & transversarum fibrarum ligneæ testudinis, cui inhæret, quæque illi coordinatæ sunt, actione, & reactione; sive anemometrum, quod in officina, ubi constructum fuit, non cogitabat, in tecto cogitans fieri actione, & reactione ventorum in ipsum perflantium, sive ex tremore, quem ventorum impulsus in ipso excitat.

III. Manifeste absurdum est dicere, elementa natura sua non cogitantia, actione, & reactione, quam in animali structura, cujus partes evadunt, experiuntur, cogitantia fieri; si repugnet, hæc elementa id unquam acquirere, quod acquirere supponuntur. Atqui ita est. Quod ut ostendam, a materialista quæro, num hæ atomi, quæ hac actione, & reactione cogitantes fieri dicuntur, natura ipsa in se, & a se *intimum propriæ existentiæ sensum* habeant; hæc enim cognitionum omnium prima necessario est; an vero sensum hunc intimum reciproca inter se actione, ac reactione per accidens nanciscantur?

Primum, si singulis atomis sensus hic intimus essentialis non est; dico, hunc illas mutua actione, & reactione adipisci non posse; evidens enim est, causas duas materiales sive ejusdem, sive diversæ naturæ nunquam effectum parere posse, qui nihil alterutrius naturæ commune habeat; atque, ex hypothesi, sensum intimum, de quo sermo, nihil ante horum elementorum actionem, & reactionem eorum naturæ commune habere.

Deinde, si sensus hic intimus singulis atomis est essentialis; ajo earum actionem, & reactionem inutilem omnino esse ad phænomenon quod attenditur; in hac enim hypothesi a se, natura, atque essentia sua id habent hæ atomi,

mi,

mi, quod illis tantum ab earum actione, & reactione exoriri dicitur; quum vero a se, natura, atque essentia sua sensum intimum habeant propriæ existentiæ, hunc æque in rudi, ac in organica materia experiri debent: æque in caliga, ac in cerebro.

IV. Manifeste absurdum est præstantissimum phænomenon non nisi iis ideis, vocibusque explicare, quibus phænomenon explicandum minime percipitur. Porro hoc ipsum materialismi vitium est.

Diversæ, inquiunt, materiæ dispositiones illam sentientem, & cogitantem, vel sensus, & cogitationis expertem efficiunt. Exempli gratia, dispositiones, quas in calceo habet materia, illæ sunt, quibus in calceo nec sentiat, nec cogitet. Aliæ dispositiones, quas in humano cerebro materia habere posset, efficerent ut in illo & sensationes & cogitationes haberet. Ut *rudis materia*, quæ ut modo dispositas partes habet, necessario cogitationis, & sensationis est expers, re ipsa cogitans, & sentiens fiat; hoc unum (pergunt), requiritur, ut, natura physice nihil mutata, alias partium dispositiones obtineat, quales in subjectis organa ad sentiendum & cogitandum elaborata habentibus, inveniuntur: porro hæ ipsæ partium dispositiones cogitationem, & sensationem in illa constituent.

At vero quis unquam mente percepit partium, sive atomorum a se non cogitantium dispositiones, quæ sese dispositiones esse sentiant, & sciant, neque hoc nisi ratione dispositionis sentiant, & sciant? Quis unquam mente percepit partium, & atomorum non cogitantium dispositiones, quæ alias dispositiones percipere, & dispositiones cogitantes a non cogitantibus distinguere aptæ sint? quæ profunde meditari, & acutissime raticcinari possint de subjecti sui non cogitantis origine, natura, muneribus? quæ rerum genericas leges detegere, ad præteritum re-

regredi, in futurum ferri, uno intuitu durationis, & extensionis immensitatem complecti possint; atque hæc omnia possint ratione tantum cæci earum subjecti, & natura non cogitantis?

V. Manifeste absurdum est dicere, ex atomorum cogitantium congerie, sive natura cogitent, sive per accidens, & ex dispositione tantum, oriri unquam posse *unum individuum*, subjectum unicum cogitans. Patet siquidem non magis cogitationem atomi A alterius atomi B cogitationem esse posse, ac cogitatio mea Mauritaniæ, aut Sinarum regis cogitatio esse possit.

Quid quod, si unicæ atomo, & individuæ, quam in organicæ structuræ centro positam supponeres, cogitationem tribuere velles, non propterea difficultatem effugeres. Atomus hæc enim centralis sive dividua sit, sive individua, latera tamen, & partes habet, quarum una non est alia; quæque pars ortui obversa est, si cogitans ponatur, æque occasui obversæ extranea esset, quæ quoque cogitans ponatur, ac binæ atomi sint, quas modo memoravimus.

IGNOTÆ MATERIÆ PROPRIETATES FORTASSE COGITATIONUM, AC SENSATIONUM NOSTRARUM CAUSÆ SUNT.

1069. OBJECTIO IV. Ut philosophico jure affirmes, *materiam cogitandi, & sentiendi incapacem esse*, necessario aut omnes meteriæ proprietates noscere oporteret, atque deprehendere, nullam ex his cogitandi, & sentiendi facultatem continere; aut in materia peculiarem aliquam proprietatem dignoscere, quæ cogitandi, & sentiendi facultatem essentialiter excludat, nec cum hac ullo pacto stare possit.

At enim vero quis sibi *omnes materiæ proprietates* noscendi vim arroget? Quam vero in ma-

materia *proprietatem peculiarem* noſcimus, a qua cogitatio, & ſenſatio eſſentialiter excludatur? Non ergo jure philoſophico aſſeremus, materiam cogitandi, ac ſentiendi incapacem eſſe. Quare cogitationes, ac ſenſationes immaterialem in nobis ſubſtantiam non probant, quæ illarum principium, aut ſubjectum ſit.

RESPONSIO. Quum materialiſmus & Dei in natura, & ſpiritus ſubſtantiæ in homine exiſtentiam ſimul impugnet; quumque ad hoc utrobique cogatur *ignotas proprietates* in materia ſupponere, energias abditas, entelechias occultas, quibus ſomnia ſua, ac deliria fulcire poſſit; alibi jam inane, quod hic arripit, effugium prorſus deteximus, atque præcluſimus. Quare quæ alibi dicta ſunt relegenda, aut in memoriam revocanda ſunt (895).

Ut commune hoc materialiſmi fundamentum penitus diruamus, utque inutilem ac præpoſterum ejus abuſum oſtendamus, duabus ſequentibus explicationibus quid *materialiſta*, quid *ſpiritualiſta* contendat ob oculos ponemus; ille ſiquidem in homine omnia materiam eſſe: hic præter corpus ſuſtantiam immaterialem, & ſpiritualem in homine eſſe contendit.

1070. EXPLICATIO I. Quam infirma, ac in philoſophia abſona ſit materialiſtæ ſententia pronum eſt intelligere. Ad hoc enim ſatis eſt quibus principiis innitatur, quibus rationibus ſtatuatur inveſtigare.

I. Ut philoſophice affirmari poſſit, *materiam cogitare poſſe*, ſatis ne eſt occultas virtutes in materia ſomniare, occultas energias, ignotas proprietates, quæ illam cogitantem efficere aptæ ſint? Non ſane: patet enim his omnibus nihil explicari, hiſce ſomniis, aut hypotheſibus nihil ſtatui. Patet enim hiſce principiis, ſimilique ratiocinio me æque probaturum, (abſurdum ſane (55), fieri poſſe, ut lutum, ſeu marmor poema conficere poſſit Æneidem, aut

Ilia-

Iliadem longe ſuperans; aut ea in philoſophia detegere, quibus Neutoni, & Carteſii inventa ne comparari quidem mereantur.

Quum enim *omnes* materiæ *proprietates* non cognoſcamus, neque *peculiarem* ullam *proprietatem*, quæ cum hiſce phænomenis ſtare nequeat; quare in luto, aut marmore, quæ ſane materia ſunt, occultam aliquam virtutem non ſupponam, occultam aliquam entelechiam, ignotam aliquam proprietatem, quæ hæc portenta operari poſſit?

Si objectionis ratiocinium ſtat, cur retorſionis non ſtabit ratiocinium? Si vero iſtud abſurdum eſt, cur illud rectum erit?

II. Ut philoſophico jure *virtutes*, *& proprietates ignotæ* materiæ tribuantur, quæ illam cogitantem efficere aptæ ſint, ſatis ne eſt in illa vires dignoſcere impulſivas, attractivas, repulſivas, gravitantes, aliaſque hujuſmodi? Nequaquam. Neque enim certum, imo nec probabile eſt, notas has vires materiæ intrinſecas eſſe; poteſt enim has ab extrinſeca, & immateriali cauſa obtinere, quin ex intimis ſuis conſtitutivis eas nanciſcatur. Quin ſi quoque materiæ intrinſecæ eſſent *vires hæ notæ*; non propterea ratio ſuppeteret, cur alias facultates aut vires notis nihil analogas, & cogitationi oppoſitas materiæ tribueremus (1042).

Exempli gratia, quod in aqua forti *notam proprietatem* deprehendam, qua æs, & argentum ſolvere apta eſt; jure ne quoque *aliam ignotam proprietatem* ſupponam, qua ſtomachum refrigerare apta ſit, aut qua intelligens actu, & cogitans fiat, & in ode aliqua eleganti, aut tragœdia, aut in politica, aut morali, aut aſtronomica lucubratione concinnanda ſit occupata?

III. Philoſophum ne dicas, & recte ratione utentem, qui pro libidine ſua ignotas proprietates, occultas energias, nondum detectas leges in

in materia ſupponat, ut impia adſtruat paradoxa, ut veritates paſſim receptas dubias reddat, atque ſuſpectas? Nequaquam ſane. Atqui hæc ipſa eſt *materialiſmi philoſophia*, quum quæ ratio, & fides ſolide ſtatuunt, evertere nititur.

Quum ſibi moleſtam Dei mundi hujus creatoris, & conſervatoris, Dei phyſici, & moralis ordinis auctoris, & conſervatoris ideam abjicere vult; in materia *ignotam energiam* ſomniat, quæ ſubſtantiæ infinite intelligentis, & activæ munus gerat.

Quum incommodum miraculorum phænomenon eludere vult, quod Moſaicæ, & Chriſtianæ religionis veritatem confirmaret; in viſibili natura *ignotas leges* ſomniat, quarum munus eſt generalium legum, quibus perpetuo regitur & ſuſtinetur, tenorem, & actionem identidem ſuſpendere, & intervertere.

Quum terrorem exuere vult, quem neceſſario impiis, ac nefariis hominibus incutit moleſta animæ ſpiritualis, & immortalis idea, animæ proinde, quæ poſt corporis obitum meritis pœnis torqueri poteſt; in materia humanum corpus conſtituente *ignotas* quaſdam *proprietates* ſomniat, quibus immaterialis animæ admittendæ neceſſitas eludatur; quibus ſentientes, & cogitantes atomi illæ reddantur, quas omnia prædicant natura ipſa ad ſentiendum, & cogitandum ineptas.

O Peripateticorum barbara, & vetus philoſophia: etſi tota occultis *qualitatibus* inniterere; minus tamen recentiorum materialiſtarum philoſophia cæcutiebas, minus barbariem præferebas (177)!

1071. EXPLICATIO II. *Spiritualiſtarum ſententia* quam rectæ rationi, ac ſanæ philoſophiæ magis conformis ſit facile quiſque intelliget. Hi ſiquidem quum entia cogitantia dari videant, materiam vero plane ad cogitandum ineptam dignoſcant; præter materiale, & or-

& organicum corpus *spiritualem substantiam* in homine admittunt, cujus existentiam tam solide experientia, & ratio demonstrant; nec nisi inanibus sophismatis decepti, aut rationem potius, quam impium systema ejurare parati in dubium revocare, aut impugnare possunt (1049).

I. Ut philosophico jure affirmem, *materiam cogitandi, & sentiendi incapacem esse*, non omes mihi materię proprietates explicite cognoscendæ sunt; satis est, si illas in fonte, a quo emanare, in radice, a qua assurgere, in germine, a quo erumpere debent, implicite cognoscam.

Porro omnes materiæ proprietates *implicite*, *& in earum principio* cognoscimus. Percipimus enim, omnes materiæ proprietates, (si modo materia activam natura sua proprietatem ullam habet) aut ab impenetrabili ejus extensione, aut a figura magis, minusque varia, aut a motu simplici, vel composito enasci debere; atque ab horum nullo cogitationem, aut sensationem oriri posse.

Constat enim, cogitationem, & sensationem, quas semper & extensionem, & figuram & mobilitatem, & soliditatem partium excludere concipimus, nunquam ex eo oriri, aut proficisci posse, quod semper necessario partium extensionem, figuram, mechanicam mobilitatem, & soliditatem continet.

II. Ut jure affirmemus materiam cogitare non posse, satis est, vel materialismo fatente, in materia *peculiarem proprietatem* agnoscere, quæ natura sua cum cogitatione componi nequeat. Atqui in materia proprietatem agnoscimus, quæ eam ad cogitandum ineptam necessario reddit, *intrinsecam* nempe, *& naturalem inertiam*, quæ ad ideas concipiendas, ad judicia efformanda, ad quidpiam ratione & animadversione statuendum, ad experimen-

ta

ta invicem comparanda, ad observationes perpendendas, ad theorias, & sententias excogitandas, ad progrediendum a consequentiis ad principia, aut ab his ad illas, atque ad alia hujusmodi materiam ineptam reddit (759, & 880).

Patet, sine absurdo eidem subjecto *contradictorias proprietates*, aut qualitates tribui non posse, sive illæ notæ, sive ignotæ sint; adeoque si in materia qualitas aut proprietas, quæ necessario cum vi cogitandi stare nequeat, deprehendatur, hoc satis esse, ut dicatur, nullam in materia qualitatem, aut proprietatem esse, quæ cum vi cogitandi stare possit.

III. Ut jure statuatur, materiam cogitandi incapacem esse, satis est vel ideas ipsas attendere, quas materiæ, & intelligentiæ experimentali sensu concipimus. Patet enim, duo sese invicem necessario excludere, quum eorum ideæ natura diversæ, oppositæ, invicem pugnantes sunt, cujusmodi, exempli gratia, sunt circuli, & quadrati ideæ. Atqui *Materia*, & *Intelligentia idea* manifeste diversæ sunt, oppositæ, invicem pugnates. Siquidem,

Quid *materiam*, aut corpus concipientes concipimus? Substantiam solide extensam, diversis figuris suscipiendis aptam, diversos mechanicos motus, massa in velocitatem ducta, suscipientem.

Quid contra *intelligentiam*, seu potentiam intellectivam concipientes concipimus? Substantiam solida extensione carentem, nullam figuram admittentem, nullum motum mechanicum fieri aptam; quæcumque massa per quamvis velocitatem multiplicetur.

Quare *substantia materialis*, & *substantia intelligens* duo sunt natura diversa, opposita, invicem pugnantia, quarum una nunquam altera fieri potest, nec una alterius nancisci proprietates.

MATERIA FORTASSE SUPERNATURALITER COGITATIONIS CAPAX FIERI POTEST.

1072. OBJECTIO V. Etsi materia naturalem cogitandi facultatem in se non habeat; potest saltem omnipotentia sua Deus materiam ad *supernaturalem cogitandi facultatem* elevare.

Nonne enim improbus esset qui Deo omnipotenti diceret: tu mundum universum e nihilo eduxisti; tu quidquid mirum in natura video, aut concipio effecisti; at materiali substantiæ vel tenuissimæ, vel perfectissimis organis instructæ vim cogitandi tribuere nequis?

Ergo etsi materia, inquit Lockius, ex naturalibus suis proprietatibus cogitare nequeat; non propterea asserendum est, Deum illi supernaturali virtute cogitandi facultatem impertiri non posse.

Hinc sequetur, asseri non posse, homini substantiam cogitantem inesse ab humano corpore distinctam; fieri enim potest per Lockium, humanum corpus omni spirituali substantia destitutum a Deo supernaturalem cogitandi facultatem habuisse.

RESPONSIO. Quum Lockius celebre hoc paradoxum protulit, id nulla ratione suffulsit, ac inerme suæ sorti tradidit. Quum vero paradoxum hoc utcumque oppugnatum tueri voluit, ut aliquo pacto illud statueret, falso supposito inniti debuit, & Cartesii sententiam putavit esse, quæ nunquam Cartesii sententia fuit; *bruta* scilicet *esse pura automata*, *sed sentientia*; ac dicere; Deum, qui machinas sentientes fecit, æque machinas intelligentes facere posse (797, & 1292).

I. Patet primo, si probari velit, materiam in homine cogitare posse, propterea quia in bru-

tis

tis sentiat; rem controversam ex incerta, & fortasse manifeste falsa probari; quod est præcipuis dialecticæ principiis repugnare (738).

II. Patet deinde, *cogitationem*, ut cogitantis potentiæ actum consideratam, esse modificationem spiritualem, quæ, si existat, necessario spirituali substantiæ inhærere postulat.

Absurdum itaque est supponere, Deum, qui nihil in se repugnans efficere potest, cogitationem materiæ tribuere posse; seu illam efficere materiali substantiæ inhærentem, quæ ejus subjectum sit, & cujus cogitatio modificatio sit (209 & 227).

Deus, cujus omnipotentia ad chimæricum, & ἀδυνατοι non extenditur, non magis materiæ cogitandi facultatem tribuere potest, quam circulo quadrati proprietates, finito infinitatem, rei creatæ præcedentem æternitatem tribuere possit. Neque magis absurdum, aut improbum est Deo dicere, omnipotentiam suam *materiæ vim cogitandi tribuere* non posse, cui repugnat cogitare; ac dicere, nequire se efficere, ut circulus sit quadratus, ut pars toto major sit, ut res creata æternum extiterit, aut infinite perfecta sit (964, & 967).

Ampullosa, & resona verba, quibus paradoxa sua efferunt recentiores philosophi nonnulli, multa auribus dicere videntur: at ad philosophiæ lampadem perpensa, nihil ferme intellectui dicunt ratione utenti.

III. Ut periculosum hoc paradoxum funditus diruamus, simplici hoc dilemmate, quod invictum arbitramur, illos petimus. In hypothesi materiæ supernaturaliter ad cogitandum elevatæ; necessario hæc *cogitandi facultas* materiæ essentialis esse debet, aut accidentalis. Atqui neutrum omnino dici potest.

Patet primo, in hac hypothesi facultatem hanc *materiæ essentialem* non futuram; neque enim illi inerat priusquam a Deo ipsi tribueretur:

& non modo materiam hac facultate carentem concipimus, imo vero hac facultate donatam concipere nequimus.

Patet deinde, in hac hypothesi, hujusmodi facultatem *ut materiæ accidentalem* nullo pacto ad materiam pertinere. Ut enim recentior quidam philosophus optime notat, a subjecto *qualitatem accidentalem* illi supernaturaliter adjectam, atque conjunctam separando „ dicemus id, *quod materiæ adjectum est, & cogitat*, esse essentialiter distinctum & cum hac „ conjunctione, & sine illa, & ante æque, „ ac post hanc conjunctionem: nos vero hoc „ additum materiæ superveniens *substantiam* „ *spiritualem*, *Animam* nuncupabimus.

„ Quare materia nec erit, nec unquam a„ liud esse poterit, ac id quod natura sua est: „ *Subjectum* scilicet *essentialiter passivum*, in „ quod spiritus agit, nihil sibi naturale amit„ tens, nihil subjecti obtinens, a quo ejus a„ ctio determinatur. "

1073. NOTA. Paradoxum hoc celebre, quod confutavimus, perperam supponit, *potentiam creatam a Deo ad effectum quemcumque producendum semper elevari posse*; quod in genere evidenter falsum est.

Potentia enim creata a divina voluntate elevari nequit, nisi ad actus producendos, ad quos jam natura proportionem aliquam habeat imperfectam, atque incompletam. Porro hujusmodi potentia supernaturaliter elevari quidem potest ad actus producendos, qui supra ejus naturam sint, seu qui ejus naturæ sibi relictæ vires excedant; non tamen ad eos elevari potest qui ejus naturæ essentialiter oppositi sint. Quidquid vero ad hujusmodi paradoxa statuenda excogitabitur, non nisi sophisma erit, & mentis delirium (291).

MA-

MATERIÆ ORGANIS INSTRUCTÆ VIRES, ET PROPRIETATES.

1074. OBJECTIO VI. *In materia organis instructa* proprietates, & vires esse debent, quas rudis non habet. Quare ergo structura hæc cogitationem, & sensum, seu cogitandi, & sentiendi vim illi non impertiatur?

Si ut materia organis instructa cogitans, ac sentiens videatur, substantia indiget natura a se distincta, & immateriali, in qua tantum cogitandi, ac sentiendi facultas sit; ad quid hæc organa tanta arte perfecta? æque substantia hæc cogitans, & sentiens in silice, ac in organico hominis, aut leonis corpore locari potuisset.

RESPONSIO. Materia organis instructa *materiales proprietates* habere debet, & re ipsa habet; quas rudis non habet. Num propterea ex organica structura *immateriales proprietates* habebit, quas ejus natura necessario respuit? nequaquam.

I. Alibi ostendimus, *corporis organa* necessario in visibili natura *spiritualem substantiam* supponere, a qua saltem primitus hæc organa effecta fuerint; & absurdum esse, organa sine ulla intelligente substantia, & a materia distincta admittere (878, & 897).

Quare evidens est, præter materiales substantias etiam increatam, & creatricem substantiam spiritualem existere, a qua visibilis natura condita fuit; & a qua animales, & vegetabiles substantiæ organicam structuram saltem primitus habuerunt.

II. Alibi quoque ostendimus, materiam sive organis præditam, sive destitutam æque ad cogitandum, & sentiendum ineptam esse.

Quare cogitatio, & sensatio, quas in homine deprehendimus, sensatio sine cogitatione, quam

in brutis observamus, ostendunt utrobique *substantiam immaterialem* inesse, cujus natura nihil materiæ commune habet, quæque ipsa tantum cogitationis, & sensationis principium, sive subjectum est.

In homine cogitationes, & sensationes dignoscere, quæ procul dubio ad immaterialem substantiam pertinere possunt, nullo autem modo ad materiam pertinere videntur, & *tamen has cogitationes ac sensationes materiæ tantum tribuere*; est barbarorum, ac sylvestrium hominum more, ut mihi quidem videtur, philosophari. Hæc tamen materialistarum omnium tum veterum, tum recentiorum philosophandi ratio est.

III. Petere quem usum habeant animalis organa in hypothesi substantiæ immaterialis ea regentis, atque animantis, est quem usum habeat ergata, aut grus architectonica in hypothesi, quod a mechanices perito moveantur hæ machinæ, ac dirigantur.

Organica animalis, aut vegetabilis structura in corpore organico eam partium mobilitatem, eum delectum, eam affinitatem statuit, quæ sine hac structura non haberetur. Hinc in materia organis instructa *proprietates materiales* sunt quæ in rudi non reperiuntur.

In silice immaterialem hominis, aut leonis animam colloca: non ibi visus, olfactus, auditus, ceterasque perceptiones habebit, quas illi sive ut causa efficiens, sive ut occasionalis parit mirabilis organorum structura, quibus in animali corpore conjuncta est.

PRÆSTANTIORIS SUBSTANTIÆ INDEPENDENTIA.

1075. OBJECTIO VII. Si in homine præter corpus organicum *substantia spiritualis* est, cui tantum facultas insit cogitandi, atque sentien-

tiendi dependenter ab organorum, quibus conjungitur, libera, & ordinata actione; sequitur, spiritualem substantiam, quæ nobilior, atque præstantior est, a materiali, quæ inferior est, dependere: hoc autem infinita Dei sapientia indignum videtur.

RESPONSIO. Deus *compositum humanum* condens, infinita sua sapientia, & independentia libere decrevit *mutuam*, atque *reciprocam* animæ, & corporis, spiritualis, & materialis substantiæ dependentiam (1061).

Anima spiritualis corporis, quod vivificat, & incolit, bono, & conservationi invigilat. Corpus organicum animæ spirituali, cujus sedes est, a qua animatur, innumeras, sive ut causa, sive ut occasio, cognitiones, & sensationes continenter impertitur, quarum ope animis sui similibus communicat, tum & diversis substantiis, quibus circumdatur, cælo, terræ, naturæ universæ; neque has haberet nisi ita corpori conjuncta esset, ab eoque penderet.

Quid ergo absurdi est, supremum *spiritualis & materialis substantiæ* dominum, quarum unio hominem constituit, alteram ob altera in suis muneribus utriusque bono pendere decrevisse?

SUBSTANTIA ITA MATERIÆ ALLIGATA POTEST NE NON ESSE MATERIA?

1076. OBJECTIO VIII. Quid nobis exhibet hominis anima analysi subjecta? Ipsa cum corpore nascitur, quod animat; qua ratione corporis organa evolvuntur, roborantur, perficiuntur, eadem ratione ipsa quoque vires acquirit; sano corpore valet, infirmo male habet, dormiente dormit, organis corporis agentibus agit, læsis organis, aut perturbatis vini vapore, aut æstu febrili, delirat, & insanit: corpore sene-

ctute effœto languet, soluto corpore evanescit. Quid hæc omnia indicant, nisi animam hanc esse ipsam organicam humani corporis structuram?

RESPONSIO. Objectionem hanc, quam totis viribus promovet Lucretius tertio sui poematis libro, naturalismo sectatores fortasse inter barbaros compararet, apud quos tantum ex crassiori sensuum testimonio de rebus judicium ferri solet; non vero in philosophorum lycæo ubi eruditæ, & animadvertentis rationis ministerio de rebus judicatur. Apud rudes barbaros *rerum nexus*, *atque conjunctio* fortasse identitatis probatio esset; in philosophorum lycæo non item.

I. Quum jam probatum sit, materiam sive rudem, sive in organa compositam cogitationis ac sensationis participem esse non posse, patet, *animam hominis non esse organicam sui corporis structuram*; quicumque nexus sit, atque respectus, quem habeat anima in suis sentiendi, & cogitandi muneribus cum organis hisce crescentibus, seu decrescentibus, immutatis, pereuntibus humani corporis.

II. Quum Deum omnium conditorem existere probatum sit; patet ipsum condere potuisse *Totum mixtum* materiali, & spirituali substantia compositum, atque decernere, hanc in cogitando, & sentiendo ab illa perpetuo pendere, ejusque perpetuo statum sequi.

Porro in hac Totius mixti hypothesi, evidenter *reciproca munerum dependentia*, de qua sermo, inter materialem, & spiritualem substantiam haberi potest. Patet ergo, reciprocam hanc munerum, virium, languoris, ordinis, perturbationis dependentiam, nihil pro materialismo probare, qui ceterum aliis rationibus plane proteritur. Hæc omnia siquidem a solide statuta, ac manifeste vera spiritualistarum hypothesi plane, & sponte consequuntur.

III.

III. Quum demonstratum sit, in homine præter substantiam organicam *substantiam spiritualem* esse, cujus natura nihil organicæ substantiæ commune habere potest; patet, quicumque nexus, ac respectus habeatur, hanc ab illa non nasci, cum illa non crescere, cum illa non immutari, cum illa non dissolvi (1047 & 1061).

1077. NOTA I. In hac spiritualistarum hypothesi, quæ, ut patet, ipsius naturæ, & rationis hypothesis est:

I. Anima humana ab humano corpore non nascitur neque productione, neque generatione, neque actione, aut emanatione substantiæ sive organicæ, sive rudis. Qua igitur ratione in corpore, quod animat, esse incipit? *creatione*.

Quum in materno sinu fœtus adhuc inanimis organa habet satis perfecta, Deus qui certas leges ad humanæ speciei propagationem statuit, animam spiritualem creat, qua novus homo animari debet, eamque in sede sibi opportuna statuit, ubi successive, & gradatim sensus, & cogitationis munera exerceri debent naturæ suæ, suoque fini consentanea.

II. Anima hominis *successivis augmentis* suæ substantiæ spiritualis in humano corpore non augetur, aut perficitur.

Ipsa natura sua simplex e creatoris manibus egreditur qualis æternum esse debet. Si vero accidentales ejus cognitiones, ejusque activitas sensim augetur; hoc tantum ex organis materialibus procedit, quibus conjuncta est, & a quibus pendent ejus intelligendi, & sentiendi munera; quo magis enim organa roborantur, ac perficiuntur, eo magis activæ, atque validæ causæ occasionales evadunt intellectionum, ac sensationum.

III. Si in ægro corpore languere videtur anima, si dissoluto corpore evanescit, hoc ideo est, quia Deus inter hominis animam, & cor-

pus *certas leges* libere ſtatuit; atque decrevit illam bene habituram, & ſuis muneribus alacriter functum iri bene valente corpore; male habituram, & ægre ſuis muneribus functum iri, quum organa corporis graviter læſa, aut vitiata fuerint; binarum harum ſubſtantiarum conjunctionem ceſſaturam, amimamque ſibi relictum iri, quum eſſentialia materialis ſubſtantiæ organa diſſolventur, ac omnino vitiabuntur.

1078. NOTA II. „ Animæ, & corporis unio, „ ait recens auctor quidam, dubitationem ali„ quam creat *de realis binarum harum ſub„ ſtantiarum diſtinctione*. Ægre concipimus, „ tantam dependentiam, tam arctam conne„ xionem inter duo ita diſtincta intercedere. „ Quæ has dubitationes creant ſunt animæ „ furores, deliria, viſiones, mentis exceſſus, „ triſtitiæ, angores, machinæ mutationes, „ quæ animam afficiunt; animæ affectiones, „ quæ machinam ipſam vitiant; diverſæ in „ bona, atque adverſa valetudine cogitandi ra„ tiones. Apta ſimilitudine dubitationes iſtæ „ tollentur.

„ *Navis peregre itura gubernator* plures ſibi „ ſubjectos nautas habet: ſunt hi navis ſpiri„ tus animales, cujus ipſe anima eſt (1248). „ Illis jubet: obſequuntur, portu ſolvunt, „ navigant. Gubernator cuique facienda præ„ cipit, ut apte vento vela obvertantur. Ma„ re placidum eſt, cælum ſerenum, ventus fa„ vet; navis veloci, & ſecundo curſu proce„ dit. Fieri nequit, ut nauta proſpera hac na„ vigatione non gaudeat: omnia ſiquidem ejus „ votis ſecunda ſunt.

„ At en illico ventus cadit: malacia diebus „ ferme quindecim perſeverat, mare immotum „ eſt, ſol imminens urit, gubernaculum inu„ tile eſt, vela umbram tantum præbent. Tunc „ vero gaudium ceſſat, moleſtia enaſcitur, poſt „ hanc timor, ne malaciam procella conſequatur.

„ Por-

„ Porro cælum nubes eripiunt, obtenebre-
„ ſcit aer, vehemens exurgit ventus. Nec mo-
„ ra ſpumantes undæ attolluntur, & navi il-
„ liduntur: eam ita quatiunt, ut demergerent
„ ſi minor eſſet, aut confringerent, ſi minus
„ robuſta. Vix jam gubernaculum regit gu-
„ bernator, & fruſtra contra ventum, & ma-
„ re nititur. Novo, ſummoque infortunio in
„ procurrentes aquas incidit, quibus devius ab-
„ ripitur, neque adverſas, etiam ceſſante tem-
„ peſtate, ſuperare poteſt. Quid agat? in na-
„ vi eſt; hanc ſane pro voluntate regit, quum
„ ventorum, & undarum impetu non diſtra-
„ hitur; at quum venti, & maris furor ejus
„ vires, & artem ſuperat, adverſa hæc omnia
„ perferre cogitur.

„ Tunc quoque, quum omnino ſecundo ven-
„ to navigat, poteſt ne vel minimos navis
„ motus non ſentire? non ſane. Illi conjun-
„ ctus eſt: quidquid navis patitur & ipſe pa-
„ ti debet; ingratos ſentinæ, commeatuum,
„ mercium, nautarum, navigantium odores vel
„ invitus olfaciet. Huic navi conjunctus eſt.

„ Fiat jam, ut navis a procurrentibus aquis
„ abrepta ſcopulis illidatur, & naufragium fa-
„ ciat: omnia pereunt: ſolus gubernator e nau-
„ fragio vivus evadit. Poteſt ergo navis mer-
„ gi, & fracta navi gubernator ſupereſſe. Li-
„ cet ergo navi conjunctus eſſet, non propte-
„ rea navis, & ipſe unum erant. Si quoque
„ cum navi ipſum periiſſe ponamus; etſi cum
„ ſecunda navigatione utebatur, navis illi invo-
„ luntarios motus communicaret, ipſe vero na-
„ vim pro voluntate dirigeret, certum eſt,
„ gubernatoris corpus navis partem non fuiſſe.

„ Poſſunt ergo duo omnino diſtincta ita con-
„ juncta eſſe, ut mutuo invicem dependeant;
„ quin ejuſdem ſpeciei ſint. Ita quoque quum
„ *entis ſpiritualis* exiſtentia neceſſario a ma-
„ teria diſtincti ex eo demonſtrata ſit, quod

„ materia intelligens, & sentiens esse neque„ at; *mutua anima, & corporis dependentia* „ non obest, quominus horum duorum entium „ *realis distinctio* certissima sit ".

POTEST NE SUBSTANTIA EXTENSA NON ESSE MATERIALIS?

1079. OBJECTIO IX. Anima humana est *substantia extensa*; aut enim in toto humano corpore diffusa est, aut saltèm in tota illa parte est, quæ ejus sedes est. Atqui substantia extensa est materialis; ergo anima humana est materialis.

RESPONSIO. Certum est humano corpori *spiritualem substantiam* inesse, qua animatur, & regitur, quamque nos humanam animam dicimus. At ubinam hæc anima sita est? quomodo agit? quænam ejus natura est? re ipsa ne extensa est? est ne omnino inextensa? De his non nisi conjiciendo ratiocinari possumus.

I. Si sententiam sequamur, quæ magna probabilitate in aliqua parte cerebri animam statuit, quo præcipui nervi appellunt; non proinde difficultatem eludemus; hæc enim *animæ sedes*, si vel tantum atomus, imo punctum esset, re ipsa tamen extensa esset, cui anima ipsam occupans correspondet (1061).

Ut igitur difficultati satisfiat, animæ *extensio spirituum propria*, & ab *extensione corporum propria* diversa est tribuenda.

II. Quum tota objectionis vis in æquivocatione, & sophismate sita sit, quo *bina hæ extensionis species* confunduntur; tota responsionis ars, & vis in eo ponenda est, ut earum diversitatem ostendamus. Notandum itaque:

Extensionem solidam lateribus, atque angulis ipsi inhærentibus circumscriptam, partibus constantem natura impenetrabilibus, re ipsa inter se distinctis, aliis re ipsa extra alias positis, proprietatem esse materiæ distinctivam.

At

At extensionem virtualem, quæ tantum est substantiæ simplicis, & compositionis expertis existentia in spatio extenso, sive simplicis hujus substantiæ correspondentia totalis singulis spatii cujusque punctis, non esse proprietatem materiæ distinctivam.

III. Quare si anima humana in se, & natura sua extensionis speciem habeat, qua re ipsa portioni spatii respondat, quod occupat in humano corpore; certum erit, hanc *animæ humanæ extensionem*, quæ neque in partibus natura impenetrabilibus, neque aliis extra alias positis, neque latera, aut angulos, aut figuram ullam facientibus sita est, materiæ extensioni non esse similem.

Perperam igitur ex eo, quod in anima supponatur *ignota quædam extensio* nihil materiæ extensioni commune habens, materialis ipsa dicetur.

1080 NOTA I. *Extensio virtualis* dicitur subjecti inextensi proprietas, aut virtus, qua simplici, indivisibili, omnis realis compositionis experte natura sua correspondet subjecto in se realiter extenso (*a*).

I. Hujusmodi est *extensio divinæ essentiæ*, quæ natura infinite simplex tota singulis mundi visibilis partibus, quem movet, & regit, correspondet: simul agens, & existens nihil essentiali suæ simplicitati, & indivisioni derogando, in terra, in luna, in Saturno, in sole, in Syrio (921, & 932).

Hujusmodi quoque est *extensio animæ humanæ*, quæ omnis compositionis in indivisibili essentia sua expers, in spatio extenso sedem habet,

C

(a) *Extensio virtualis est i*[illegible]*subjecto simplici, & inextenso* virtus intrin[illegible]*orrespondendi per se totum indivisibiliter variis subjecti realiter extensi partibus.*

habet, in ſpatio extenſo jura dat, modificationes cogitationis, & ſenſationis in ſpatio extenſo admittit quin hoc naturæ ſuæ ſimplicitati, & indiviſioni officiat (1051, & 1062).

II. Non tamen præcipuum de cognitionibus axioma obliviſcamur: *in rebus* ſcilicet, *certum ab incerto non tolli*. Certum, atque evidens eſt in homine ſubſtantiam ſpiritualem eſſe nihil materiæ commune habentem; at qua ratione in materia organica ſubſtantia hæc ſpiritualis exiſtit, & operatur? hoc omnino incertum eſſe poteſt, quin prima veritas omnino certa tollatur.

1081. NOTA II. In ſcholis philoſophicis paſſim, non tamen ſatis clare dici ſolet *extenſio definitiva* virtualis hæc extenſio ſpirituum propria; & *extenſio circumſcriptiva* alia illa realis extenſio, quæ materiæ, & corporum quorumcumque propria eſt.

MODIFICATIONUM DIVERSITAS SUBSTANTIÆ NATURA SIMPLICI POSTASSE CONVENIRE NEQUIT.

1082. OBJECTIO X. In eadem anima intelligente, & ſentiente ſæpius modificationes ſunt omnino diverſæ. Exempli gratia, ſæpius in anima ſenſationes ſimul, & cogitationes habemus, gaudium, & dolorem, ſpem, & timorem, odium, & amorem in diverſa objecta.

Haberi ergo in anima debent totidem veluti partes diſtinctæ, in quibus ſeorſim diverſæ hæ modificationes recipiantur; quæ ſimul in ſubſtantia natura ſimplici eſſe non poſſent. Debet ergo anima humana, ut ſubſtantia organica, cui inhæret, partes habere re ipſa inter ſe diſtinctas, & quarum una extra aliam ſit, ut in his nulla confuſione aut mutuo impedimento ſtare ſimul poſſint diverſæ ſenſationis, & cogitationis modificationes, quas tam ſæpius, tamque diſtincte in intima ſua ſubſtantia experitur.

RES-

RESPONSIO. In quavis philosophiæ parte semper tenebræ nonnullæ sunt luci proximæ, tum in physicis, tum in metaphysicis, tum in ipsis mathematicis. Quare si quis omnia ab humana mente in iis, quæ percipit, clare dignosci debere contendat, is se in vera philosophandi ratione jejunum fatebitur, hujus enim principium præcipuum est, finitam intelligentiam nunquam in rebus omnia percipere posse; certumque ab incerto non infirmari (56).

I. Antea solidis rationibus ostendimus, animam humanam esse natura simplicem, adeoque & compositionem, & veras partes invicem distinctas, & alteram extra alteram positas excludentem (1051).

Quæcumque igitur in diversis animæ modificationibus cum ejus simplicitate conciliandis difficultas occurrat; nunquam *præpostera partium distinctarum multiplicitas* in illa admittenda est; evidenter enim nec in anima partes sunt, & in ipsa repugnant; nec operationes ejus explicarent nisi ejus naturam destruendo.

II. Quid repugnat, substantiam spiritualem natura simplicem diversas simul modificationes experiri?

Quare sentiens, & intelligens substantia *natura simplex* tendentiam ad aliquod objectum prosecutivam, & simul ad aliud objectum aversivam habere non poterit?

Quare hæc substantia stellam in finitore ad ortum concipiens, planetam in finitore ad occasum concipere non poterit?

Duæ istæ sunt diversæ idearum, & sensationum modificationes in eadem substantia natura simplici. Potest ergo hæc diversas ideæ, & sensus modificationes simul admittere.

III. Fortasse non satis clare percipio, qua ratione anima, quam substantiam esse suppono natura simplicem, simul aut duas ideas, aut duas sensationes habere possit. At si illam partibus

tibus distinctis constare perperam supponam, majori ne claritate phænomenon percepero? nequaquam.

Quod me experimentalis sensus docet, est, animam meam existere, cogitationes, & sensationes habere. Philosophia me docet, animam meam non esse substantiam materialem, nec partibus compositam re ipsa distinctis.

At qua ratione anima a perceptionibus, aut sensationibus intime modificatur? de hoc nihil me nec experimentalis sensus, nec docet philosophia (56).

ARTICULUS II.

ANIMÆ HUMANÆ IMMORTALITAS.

1083. OBSERVATIO I. Duo sunt immortalitatis genera; nempe immortalitas essentialis, & immortalitas naturalis.

I. *Immortalitas essentialis* est absoluta existendi necessitas ab ipsa subjecti essentia procedens, cui non existere repugnat. Hæc est Dei immortalitas (758).

II. *Immortalitas naturalis* est perpetuæ conservationis exigentia ab ipsa subjecti natura procedens, quod etsi absolute destrui possit, nullam tamen in natura sua intrinsecam, aut extrinsecam destructionis causam habet. Hæc est animæ humanæ immortalitas (1039).

1084. DEFINITIO. *Rei alicujus finis*, sive id, ad quod est destinata, id est, cujus ratione Deus illam existere fecit; exempli gratia, solis finis, seu destinatio est, ut terram, & planetas illustret, & calefaciat.

Animæ humanæ finis, seu destinatio est verum cognoscere, bonum amare, corpus humanum animare. Ipsa a corpore separata postremum

mum hunc finem amittit, ceteros, qui præcipui sunt, adhuc habet.

1085. OBSERVATIO II. Duobus modis substantia perire potest, & non amplius existere dissolutione, & annihilatione,

I. Corpus animale, vegetabile, fossile *dissolutione* perit; partium scilicet integrantium, & constituentium separatione, & decompositione, quæ simul collectæ unum totum faciebant, separatæ non amplius faciunt.

II. *Anima brutorum*, si perit, non nisi *annihilatione* perire potest; Dei scilicet actione eam ad nihilum, unde educta fuerat, redigentis; quum nullum amplius in natura finem habeat.

III. Anima humana, ut ostendere pergimus, nec dissolutione, nec annihilatione perire debet; hinc est ejus immortalitas naturalis.

Animæ humanæ immortalitas totius christianæ religionis veluti basis, ac fundamentum est; neque de hoc vel minimum christiano homini licet voluntarie dubitare; non tamen propterea prohibetur christianus philosophus, qui iam hoc firmissime tenet, perpendere quibus rationibus præcipua hæc religionis veritas ostendi possit.

PROPOSITIO I.

1086. *Anima humana immortalitas præcipuum est Christianæ religionis dogma; nec quidquam est aut ab humano corpore, aut ab anima, aut ab hominis conditore Deo, quod directe, vel indirecte dogmati huic opponatur. Nulla ergo vera, & solida ratio est, cur anima humana non immortalis censeri possit.*

DEMONSTRATIO. Anima humana hic considerari potest, & debet respectu vel sui domicilii, vel naturæ suæ, vel sui conditoris.

I. *Nulla ab humano corpore solida ratio est animæ humanæ destructionem inferens.* Hoc brevi ex ipsa rerum idea demonstro.

Si

Si qua ab humano corpore solida ratio esset animæ destructionem inferens, profecto hæc esset *humani corporis dissolutio*, qua omnia ejus principia corrumpuntur, organa omnia destruuntur, partes omnes integrantes, & constituentes separantur. Atqui humani corporis dissolutio animæ destructionem inferre nequit.

Ut enim hoc contingeret, deberet anima, dum humanum corpus partium separatione, & perturbatione destruitur, id ipsum pati; aut ex hac corporis dissolutione, & ipsa simili partium separatione, & principiorum corruptione destrui. Atqui omnino repugnat, animam, quæ essentialiter spiritualis est, simplex, & natura indivisibilis, partium, & principiorum compositionem excludens, partium separatione, & principiorum corruptione destrui; ergo manifeste repugnat, humani corporis dissolutionem animæ destructionem inferre (1047, & 1051).

II. *Nulla ab anima humana solida ratio est ejus destructionem inferens.* Hoc quoque brevibus verbis ex rerum idea demonstro.

Si substantia in natura existit, quæ ex se nulli intrinsecæ corruptioni obnoxia sit, quæ nulla in se principia habeat invicem pugnantia, in qua nihil usu teratur, immutetur, dissolvatur, patet, hanc nullum in se habere destructionis principium, unde ejus destructio consequi possit; Atqui hujusmodi est anima humana.

Ergo ab ipsa nulla vera causa est destructionem inferens. Nulla ergo ab anima humana solida ratio est, cur ipsa natura non immortalis censeri possit.

III. *Nulla a Deo solida ratio est animæ humanæ destructionem, aut annihilationem inferens.* Hoc quoque ex ipsa rerum idea breviter demonstro.

Docet nos ratio, Deum sapientem, adeoque voluntate constantem, atque immutabilom rebus

bus creatis existentiam auferre non debere donec perseverat finis, ad quem eas condid it: exempli gratia, non debere solem destruere, donec tellus, & planetæ perseverant illustrandi, & calefaciendi. Cur enim Deus nulla ratione, datam rebus existentiam auferret?

Si ergo entia sunt, quorum nulla ratio destructionem postulat, & quorum natura munus, ad quod condita sunt, semper exequi possit; entia hæc nunquam existentiam amittere debent. Si ergo anima humana permanentem finem, & perseverans munus habet, semper existere debet.

Atqui anima hujusmodi finem, & munus habet; quod est *verum cognoscere, & bonum amare*, quem finem a corpore separata non amittit. Certum est enim, corpus humanum sentiendi, & cogitandi incapax animæ cogitationes, & sensationes suas non impertiri; atque has cogitationes, ac sensationes, quas anima corpori conjuncta habet, quum animam ipsam principium, aut subjectum habeant, in anima a corpore sejuncta æque, ac in illa corpori conjuncta existere posse (1042, & 1046).

A Deo itaque nulla ratio est animæ destructionem, aut annihilationem postulans. Nisi ergo Deus aperte revelaverit, se post humani corporis dissolutionem animam ad nihilum redigere; nulla a Deo desumpta solida ratio est, ut anima humana non immortalis censeatur.

IV. Ex quibus omnibus sequitur, nullam solidam rationem esse neque ab humano corpore, neque ab humana anima, neque a Deo desumptam, qua animæ humanæ immortalitas oppugnari possit; atque hoc christianæ fidei dogma, quo Deus animæ immortalitatem nobis revelat, nihil rectæ rationi, sanæque philosophiæ oppositum continere. Q. E. D.

PRO-

PROPOSITIO II.

1087. *Animæ humanæ immortalitas præcipuum est christianæ fidei dogma, quod sana philosophia non modo non rejicit, imo approbat, ac tuetur; quum solidæ, etiam seclusa revelatione, rationes adsint, quæ probant animam, corpori, quod informat, superesse debere; quod si est, nihil jam vetat, quominus sit immortalis.*

DEMONSTRATIO. Præcedenti propositione ostendimus, nullam esse rationem, cur anima humana simul cum corpore, quod animat, sive dissolutione, sive annihilatione perire debeat. Hac propositione ostendemus, solidas rationes esse, cur anima post corporis solutionem supersit; sive animam consideratam *in sua natura*, *in sua moralitate*, *in suo æterni boni desiderio*, *in sua futuræ vitæ persuasione permanente*, se, & ex intrinsecis suis enunciare, se debere soluto corpori esse superstitem, & natura intrinsece immortalem esse.

I. Anima humana *in natura sua considerata* se substantiam prodit corpori superstitem; hujus enim solutio illius destructionem inducere nequaquam potest.

In mixtorum materialium pereuntium destructione nullas Deus substantias destruit, sed compositiones tantum, & modificationes. Quare ergo Deus materialem substantiam, quæ hominis pars est, conservans, spiritualem substantiam, quæ altera ejus pars est, destrueret?

Brutorum anima, fortasse inquient, ad nihilum redigitur, quum corpus ab ipsa animatum dissolvitur. Quis hoc novit? nihil de re hac nos ratio, aut revelatio docet. Si Deus brutorum animam, soluto corpore, destruit; hoc ideo certe est, quia nullum amplius illa in natura finem, aut munus habet. Non tamen idem quoque est de anima humana, cujus præcipuus finis,

finis, & maximus etiam soluto corpore perseverat (1085):

II. Anima humana *in sua moralitate considerata*, sive in facultate virtutem, aut vitium sequendi, in ordine morali merendi, aut demerendi, se substantiam suo corpori superstitem prodit. Siquidem,

Nos docet ratio, Deum existere infinite justum; eumque vel in hac, vel in futura vita diverso modo crimen, & virtutem habere debere; illud plectere, hanc præmio afficere;

Nos experientia docet, non semper hoc in præsenti vita contingere; sæpius enim crimen triumphans, virtutem oppressam videmus; iniquitatem exaltatam, & bonis affluentem, innocentiam ignominia, & malis affectam.

Vel ergo Deus nec justus est, nec providus; aut præter hanc altera vita esse debet, in qua crimen debita pœna, virtus condigno præmio afficiatur. Atqui repugnat, Deum aut injustum esse, aut improvidum; ergo necessario vita futura haberi debet, in qua anima pia præmium consequatur, impia pœnas luat (946).

III. Anima humana *in suo æterni boni desiderio considerata* se substantiam prodit corpori superstitem. Nos enim docet sensus intimus, nos desideria nostra ad brevem hanc, & miseram vitam non limitare, & in nobis esse inexsaturabilem boni intensitate immensi, & æternum duraturi cupiditatem.

Quibus positis sic procedo. Inexpleta hæc illimitati boni desideria, quæ experimur, metus ille, spes illa, quam ad ea, quæ post obitum eventura nobis sunt, extendimus veluti nec volentes; quæ omnia, ut nos, sentiunt quoque, ac senserunt nationes omnes tum veteres, tum nostri ævi, excultæ, & rudes, christianæ, & ethnicæ; hæc, inquam, omnia alicui fini in humana natura sunt destinata; nihil enim sine aliquo fine naturæ auctor in homine

mine statuit. At enimvero quis eorum in nobis finis est? data ne nobis sunt, ut illudant, aut ut aliquam veritatem nos erudiant?

Si data sunt nobis hæc omnia, *ut nos decipiant*, & ut aut chimæras appetamus, aut inania phantasmata timeamus; patet, Deum ipsum in nobis hos communes erroris fontes posuisse; adeoque Deum esse, qui nobis illudit, nosque decipit; quod infinitæ ejus sapientiæ, & veracitati evidenter repugnat.

Si vero desideria hæc, timor, spes *ad nos de aliqua veritate erudiendos* destinantur, patet, nos monere, perituram hanc vitam finem nostrum non esse; nos ad immensam extensione, & æternum duraturam felicitatem assequendam natos esse; Deum infinite magnum, infiniteque sapientem, hominem visibilium operum suorum præstantissimum non creasse, ut paucis diebus & affectibus suis, & adversis rerum vicissitudinibus agitaretur, & deinde post has ærumnas ad nihilum, unde emerserat, iterum redigeretur.

IV. Anima humana *in constanti sua alterius vitæ persuasione considerata* se substantiam prodit humano corpori superstitem. Ut enim in nostra philosophia religionis ostendimus, & ut vel increduli ipsi non diffitentur, docet historia, nationes omnes veteres, ac recentiores, cultas, ac rudes tenuisse, homini aliam vitam post obitum paratam esse; sive communis hæc, & permanens persuasio quoddam sit *primitivæ revelationis* primis humani generis parentibus factæ residuum; sive tantum *religionis naturalis vox* ista sit omnibus hominum animis insculpta (1039).

Hoc posito sic procedo. Potuerunt ne tot nationes multitudine innumerabiles, locis, legibus, religione, moribus, opinionibus maxime diversæ, hac in re omnibus ætatibus, omnibusque mundi regionibus simul unanimiter,

&

& perseveranter consentire in *futura vita* post obitum *expectanda;* quin permanens hæc, & unanimis persuasio aut primitivæ alicui revelationi primis parentibus factæ a Deo ipso, qui fallere nequit, tribuenda sit, aut intimæ naturæ voci, quæ semper est fidelis veritatis interpres, quum constans, & universalis est, nec a sensuum illusione, aut a pravis animi affectibus proficiscitur?

V. Porro ex his omnibus sequitur, humanam animam neque dissolutione, neque annihilatione cum corpore esse perituram, sed post præsentem vitam alium *verum habere finem*; adeoque hunc, soluto corpore, assequi posse.

Si vero anima, soluto corpore, finem hunc suum vel per diem unum assequi potest cur non per sæculum, per sæculorum millies millia, infinitum assequi poterit?

Quin si anima, soluto corpore, adhuc finem suum habet, poterit ne Deus sine *miraculo formali*, inviolatis naturæ legibus, illi existentiam adimere? Nonne naturæ lex est, Deum entia non destruere, donec finis, ad quem condita sunt, perseverat? Non potest ergo anima humana, soluto corpore, sine vero miraculo ad nihilum redigi, quod miraculum nunquam factum iri nos docet revelatio de animæ immortalitate.

Quaqua ex parte igitur humanam animam perscrutemur, nihil apparet ejus immortalitatem oppugnans; contra vero plurima elucent, quæ ejus immortalitatis dogma comprobant, ac tuentur; quod dogma non modo sanæ philosophiæ principiis, ac rationibus non oppositum, imo vero maxime conforme deprehenditur. Q. E. D.

OB-

OBJECTIONES SOLVENDÆ.

Præcipua media, quibus *animæ humanæ immortalitas* oppugnatur hæc sunt; eam scilicet, soluto corpore, quod animat, nullum alium finem habere videri, quem assequatur: eam, etsi nullum in se destructionis principium habeat, posse tamen a Deo in nihilum, unde educta fuit, redigi; ejus immortalitatem non nisi revelatione perfecte probari posse; aliquas vero scripturæ, & sanctorum patrum auctoritates illam videri reddere problematicam.

Tribus hisce objectionis mediis aliquando quartum additur, quod est: quoniam anima brutorum perit, soluto corpore, quod animat, id quoque humanæ animæ contingere debere. At quum omnino præposterum sit hoc medium, peculiarem confutationem non meretur; neque enim scimus quid animæ brutorum fiat, soluto bruti corpore; supponere autem, *brutorum animam perire*, ut inde & humanam perire inferatur, est incertum supponere ad certum oppugnandum; est ab ignoto in quarundam entium specie ad notum, & demonstratum in specie omnino diversa rejiciendum argumentari; quod est sanæ dialecticæ manifeste repugnare.

Ratione, & revelatione simul consentientibus docemur, *animam humanam posse, & debere soluto corpore perseverare*; non tamen quid animæ brutorum, soluto corpore contingat ab illis erudimur: Hujus rei incertitudo nihil alterius officit certitudini. Quare sive brutorum anima soluto corpore pereat, sive superstes sit, res est animæ humanæ omnino extranea, & ἀδιάφορα, quum nihil hæc illi commune habeat.

ANI-

ANIMA HUMANA, SUBSTANTIA SOLUTO CORPORE FORTASSE INUTILIS.

1088. OBJECTIO I. Ut anima humana soluto corpore finem habere, & assequi posset, deberet etiam nullo corporeorum organorum ministerio posse perceptiones, & sensationes habere.

Atqui experientia novimus, nos perceptiones, aut sensationes habere non posse, nisi corporeorum organorum ministerio. Ergo anima ab organico corpore separata omnis cognitionis, & sensationis expers futura videtur, ad verum cognoscendum, ad bonum amandum inepta; adeoque nec ullum amplius finem habere, qui ejus conservationem postulet, aut ejus destructionem impedire possit.

RESPONSIO. Ut hoc materialismi argumentum valeat, alterutrum ex duobus falsis supponere debet; aut scilicet, animam humanam a se intrinsecam cogitandi, & sentiendi facultatem non habere, nec nisi organorum, quibus conjuncta est, virtute sentire, & cogitare; aut si hanc a se facultatem haberet, hanc ipsam facultatem ab organis corporeis dependentem reddi non posse.

I. Ratione nobis demonstratur, organa corporea animæ *cogitandi*, *& sentiendi* facultatem non impertiri; evidens enim est, quod cogitare, & sentire nequit, cogitationem, & sensationem, aut cogitandi, & sentiendi facultatem impertiri non posse (1042, & 1068).

Si ergo anima in corpore, quod animat, cogitationes, & sensationes habet, non has ab organis corporeis habet; si ergo has in humano corpote habet; in se, & a se, non a corpore, cogitandi, ac sentiendi habet facultatem.

Si ergo anima cogitationes, & sensationes habet in corpore inepto eam cogitantem, &

sentientem efficere; nulla est repugnantia, has ipsas extra corpus habere nullo materialium organorum ministerio.

Si ergo in humano corpore anima est substantia sentiens, & cogitans, quod corpus nullam in se virtutem habet, qua animam cogitantem, & sentientem efficiat; nihil repugnat, quominus ipsa adhuc extra corpus, & ab ipso sejuncta sit substantia sentiens, & cogitans.

II. At, inquies, si anima in se, & a se *facultatem intrinsecam* habet *cogitandi, & sentiendi*, quare in corpore non nisi mediis organis, quibus conjuncta est, sentit, & cogitat? Quia Deo summo rerum domino placuit, quum humanum compositum condidit, libere decernere, substantiam intelligentem, & sentientem non agere nisi dependenter a substantia organica.

Deus naturæ auctor, & dominus humanum compositum condens, & mutuam inter binas substantias diversas, quibus constituitur, dependentiam decernens, velle potuit, & re ipsa voluit, *substantiæ spiritualis actiones* a materialis substantiæ actionibus pendere; & animæ actionem aliquo pacto adnexam esse, atque alligatam magis minusve perfectæ, aut infirmæ organorum corporeorum structuræ. Hoc autem probat, non jam animam in se, & a se, seclusis organis, quibus adnexa est, cogitandi, & sentiendi facultatem non habere; sed hanc facultatem semper omnino a Dei voluntate pendentem, posse *iis conditionibus adstringi, & subjici*, quas Deo placuerit ejus activitati apponere.

Donec anima corpori conjuncta est, magis, minusque facilis, aut vividus organorum motus causa occasionalis est, a qua pendent ejus ideæ, cogitationes, judicia, ratiocinia, sensationes, omnes demum, aut ferme omnes ejus actiones. At non inde sequitur, animam, quæ cogi-

cogitationes, & sensationes suas intimæ suæ substantiæ impressas sentit, quæ se sentit judicia sua, & volitiones suas efficere, non amplius cogitationes, judicia, volitiones, sensationes habere posse, quum corporeis organis, quibus in mortali corpore alligata est, soluta fuerit.

III. Quas *cognitionum*, *aut sensationum species* anima a corpore soluta habitura sit noscere, aut definire non possumus.

At facile concipimus, ipsam intelligentem, atque sentientem adhuc *verum cognoscere*, & *bonum amare posse*; ut verum, ac bonum suis intellectivis, & affectivis facultatibus sese objicient.

Quid vero repugnat, substantiam hanc intelligentem, atque sentientem hac vita functam sensationum, atque idearum, quas corpori conjuncta habuit, memoriam servare, eventuum, quorum testis fuit, hominum, quos novit, & dilexit, bonorum, malorumque operum, quæ fecit, meminisse? Quid quoque repugnaret, si Deus illi concederet ideas, & cogitationes suas sensuum vinculis solutas ad mirum naturæ spectaculum extendere, ad universam rerum œconomiam, ad adorandos Providentiæ fines in iis omnibus, quæ ad naturalem, & supernaturalem ordinem spectant?

Nihil sane probat, in his animam corpore solutam occupatum iri; nihil tamen horum repugnat, nisi apud materialistas, qui animam faciunt materiam cogitantem, aut animam cogitare faciunt ope materiæ natura ipsa ad cogitandum ineptæ.

Potest igitur anima humana etiam a corpore sejuncta verum finem habere, ad quem ordinata sit.

NEQUIT NE OMNINO DEUS ANIMAM HUMANAM A SE CREATAM AD NIHILUM REDIGERE?

1089. OBJECTIO II. Afferere animam humanam corporis solutioni superstitem esse, est asserere, Deum hanc animam, quo temporis momento corpus perit, non destruere. Patet, Deum omnipotentia sua posse tunc animam ad nihilum redigere; unde, & qua ratione novimus, Deum non ita facere?

RESPONSIO. Ut valeat hoc ratiocinium, necessario aut supponit, Deum nihil nos de anima docuisse, aut Deum, postquam nos docuit animam corpori esse superstitem, posse absolute omnipotentia sua animam hanc ad nihilum redigere, quo momento temporis corpus perit.

I. Ratio æque, ac revelatio a Deo est; utraque ergo Dei vox est. Quare si Deus vel ratione, vel revelatione nos docuit, animam corpori esse superstitem, certi sumus, Deum, etsi omnipotentem, animam, quo momento corpus perit, ad nihilum non redigere (150, & 151).

Atqui plures solidæ rationes probant, ut binis præcedentibus propositionibus ostendimus, Deum, pereunte corpore, animam non destruere; revelatio vero rationem confirmans, illi quidquid claritatis, & roboris deesset, abunde sufficit.

Quare quum Deus nos ratione docuerit, animam cum corpore non interire, quum revelatione certos nos fecerit, eam immortalem esse, fieri nequit, ut animam humanam destruat; nequit enim Deus illusor esse, & deceptor.

II. Ratio, & revelatio docent, *divinam omnipotentiam* ceteris divinis attributis opponi non posse; adeoque, quantumvis infinita sit

omni-

omnipotentia, nihil Deum facere posse sapientiæ suæ, justitiæ, veracitati oppositum.

Duobus diversis modis hic divina omnipotentia attendi debet, nempe antecedenter, & consequenter ad divina decreta.

Antecedenter ad divina decreta considerata, ad omnia possibilia divina omnipotentia nullo limite sese extendit.

Consequenter ad divina decreta considerata divina omnipotentia ad nihil hisce decretis contrarium sese extendit: repugnat enim in sua voluntate Deum esse mutabilem.

1090. OBJECTIO III. Revelatio docet, Deum ad finem temporum mundum, & materiam ad nihilum redacturum. Cur & animas hominum ad nihilum non rediget?

RESPONSIO. In hoc argumento ab incerto ad certum, ab ignoto ad notum, aut potius a falso supposito ad certam veritatem illatio fit. Quod omnino præposterum est.

Quid post extremum judicium materiæ fiet ignoramus; quid enim hac de re Deus decreverit nec ratio docet, nec revelatio. Non ita tamen quid hominum animis post extremum judicium fiet ignoramus: manifeste enim nos docet revelatio quid de illis Deus adorandis suis decretis statuerit.

I. Docet revelatio, diem divinæ ultionis fore, ut magnæ in cælo, & in terra revolutiones præcedant. Mundum, quem incolimus ignis diluvio absumptum, & purgatum iri, & ad finem temporum novam terram habitum iri, & cœlos novos.

Non tamen nos docet revelatio, *terram novam*, *& cælos novos* nova materia tempore cælestis ultionis creata condendos fore, aut veteri hac materia initio temporum creata, & tunc Dei ultoris ira perpurgata.

II. Docet revelatio, universos homines, qui

ab initio ad ea usque tempora extiterunt, *resurrecturos*; quo fiet, ut quævis anima humana, nulla excepta, iterum, & æternum illi ipsi corpori conjungatur, cui primitus hic in terris conjuncta fuit. Falsum est itaque, universam materiam nunc existentem in fine temporum ad nihilum redactum iri; ex revelatione siquidem materiæ nunc existentis portio post eum, quem dicimus finem temporum, innumera humana corpora efficere debet re ipsa iis similia, quæ jam extiterunt, sed quæ destrui non poterunt, & æternum duratura sunt.

III. Si qua materiæ nunc existentis portio ad nihilum redigi debet, ratio hujus erit, quia quum non nisi ad viventium generationum bonum creata fuerit, nullum jam habebit finem, quem assequatur, quum non amplius in mundo visibili viventes generationes sint. Contra vero anima humana quum adhuc finem permanentem habeat, nihil in se habet, quo ad nihilum redigi postulet.

1091. OBJECTIO IV. Nostrarum cogitationum, & mentalium sensationum spiritualitas non obest, quominus hesternæ hæ diversæ modificationes hodie amplius non sint, & hodiernæ cras: destruuntur ergo. Quare *anima nostra spiritualitas* permanentem, & æternam existentiam postulabit?

RESPONSIO. In hoc argumento a modificationis proprietatibus ad substantiæ proprietates illatio fit; pari ratione a trianguli proprietate ad circuli, vel quadrati proprietates illatio fieret.

I. Animæ nostræ modificationum spiritualitas earum intrinsecæ destructibilitati non opponitur, & hoc duabus præcipuis rationibus, quæ ipsam animæ substantiam nullo pacto attingunt.

Primo, quia non alium finem habent hæ

mo-

modificationes, nisi animam hoc, vel illo modo dato tempore modificare; quo fine expleto, nullus alius superest obtinendus.

Deinde quia modificationes hæ natura sua necessario successivæ sunt, & simul stare nequeunt; ita ut unius existentia sit principium destructionis alterius. Exempli gratia, modificatio gaudii essentialiter oppositæ modificationis tristitiæ destructiva est; ut modificatio figuræ cubicæ sphæricæ essentialiter est destructiva.

II. Evidens est, neque has rationes, neque harum similes cessationem existentiæ in spirituali substantia postulare, quæ semper finem in se habet obtinendum, neque ullum destructionis principium habet, quod ejus existentiæ cessationem inferre possit.

VALIDE NE RATIONE, ET REVELATIONE ANIMÆ HUMANÆ IMMORTALITAS STATUTA EST?

1092. OBJECTIO V. Certum est primo, animæ humanæ immortalitatem sola ratione perfecte demonstrari non posse: ratio enim sibi relicta, nec revelatione suffulta noscere nequit quid Deus de hominis anima decreverit. Deus vero æque decernere potuit, ut æternum existeret, aut tantum dato tempore pro imperscrutabilium suorum judiciorum ratione.

Neque satis revelatione hæc immortalitas confirmata videtur: nonnullæ siquidem scripturæ locutiones hominem in morte brutis comparare videntur; & nonnulli ecclesiæ Patres primis christianæ religionis sæculis de anima humana ut de substantia tantum materiali loqui videntur.

RESPONSIO. Veræ philosophiæ munus est res ut sunt considerare, neque illas præjudiciis, aut enthusiasmo deformare; neque proba-

tionibus, aut objectionibus aliam vim, quam quæ illis debetur tribuere. Ex his objectionis propositæ binas partes perpendemus.

I. Sola ratio revelationis lumine non illustrata demonstrare potest, humanam animam substantiam esse essentialiter a materia distinctam, intrinsece spiritualem, simplicem, & omnis in natura sua compositionis expertem, cujus nihil destructionem postulat, quæ extra corpus, quod animat, existere potest, quæ suarum virtutum, suorumque vitiorum ratione re ipsa post compositi, cujus pars est, solutionem existere debet.

At sola ratio revelatione non adjuta plena, perfectaque certitudine scire nequit solo naturali lumine, animam hanc æternum existere debere; hoc enim a *libero Dei decreto* est, qui eam immortalem creare voluit, & qui potuisset ita creare, ut tantum dato annorum, aut sæculorum numero existeret, quo expleto ad nihilum redigeretur; quando tamen æternæ suæ dispositiones semper ab omni, quod ipse non est, essentialiter independentes, non amplius postulassent, ut existeret, sive ut virtutum suarum præmium obtineret, sive ut vitiorum pœnas lueret, sive ut suas intelligendi, & sentiendi facultates exerceret.

Itaque duabus præcedentibus propositionibus, ut animadverti potuit, tantum demonstravimus, dogma immortalitatis animæ non modo rationi non repugnare; imo illi optime consentire (1086, & 1087).

II. *Dogma immortalitatis animæ humanæ* plane semper fuit veræ religionis basis, ac fundamentum ab initio temporum, usque ad hos dies in patriarchis, in prophetis, ut in apostolis, & sanctis patribus; quod in nostra philosophia religionis ostendimus. Si vero aut in sacris scripturis, aut in sanctorum patrum operibus aliqua est *æquivoca locutio*, quæ præci-

puo

puo huic veteris, novique fœderis dogmati concors non videatur; patet, hanc ex innumeris *aliis* perſpicuis ſcripturæ locutionibus interpretandam eſſe, & ad veram ſuam ſignificationem referendam, in quibus ubique dogma hoc aut ſtatuitur, aut ſupponitur; & ex perpetua, ac permanente tum veteris, tum novi populi Deo fidelis traditione; quæ apud utrumque hoc dogma fidei fuiſſe nobis teſtatur (1038, *&* 1039).

Exempli cauſa, quum ſacræ paginæ, ut vanam hominis ſuperbiam deprimant, illum ad extremum vitæ tempus revocant, & morientem ut jumenta exhibent; patet hic tantum abſolutam moriendi neceſſitatem illi ante oculos ponere, quæ & homini, & bruto communis eſt; hinc vero inferre hominis animam interire, ut illa brutorum interit, eſt duo deducere, quorum neutrum principio, unde infertur, includitur. Quum enim ſacer auctor in locutione, a qua hæc abſurda deducuntur, homini miſeram illam conditionem objicit, qua bruto ſimilis eſt, omnino ab utriuſque animæ ſorte præſcindit.

III. *Supernaturale infallibilitatis privilegium* ſemper habent aut inſpiratione, aut impulſu omnes ſacrorum librorum auctores, eorum libri, eorumque ſingulæ partes. Porro libri hi perperam explicari poſſunt, intrinſecum ſibi errorem continere non poſſunt, ut in philoſophia religionis oſtendimus.

Non tamen eodem privilegio gaudent eccleſiæ patres, qui & falli potuerunt, & aliquando re ipſa falſi ſunt; neque infallibiles ſunt, niſi quatenus inter apoſtolos, & nos nexum conſtituunt ut hiſtorici irrecuſabiles fidei eorum ætate, & in eorum eccleſiis admiſſæ, *nexum*, inquam, *generalem dogmaticæ traditionis*.

Duobus itaque modis ſancti patres conſiderari poſſunt; nempe vel *ut ex propria, & peculiari ſententia philoſophantes*, vel *ut dogma-*

ticam ecclesiæ traditionem referentes. Primo modo eorum auctoritas nulla est; eorumque sententiæ tantum valent, quantum rationes, quibus eas comprobant, & nihil magis. Altero modo eorum testimonium multo maximi momenti est; & quum unanimis est eorum consensus, irrefragabilem æque, ac evangelium, auctoritatem habet; ut quoque in philosophia religionis adnotavimus.

IV. Certum est, dogma immortalitatis animæ humanæ omni firmitate in diversis Patrum operibus depositum reperiri. Si vero eorum quispiam de hoc dogmate philosophatus aliquid fortasse protulit aut falsum, aut absonum, jure dicemus, hac in re ipsum hallucinatum esse, nec recte philosophatum fuisse; nec plura addenda sunt (1039).

ARTICULUS III.

ANIMÆ HUMANÆ LIBERTAS.

H*Umana libertas* & in sua natura, & in suis complementis considerata binis sequentibus paragraphis argumentum præbet.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

HUMANÆ LIBERTATIS NATURA.

1093. OBSERVATIO. REcens philosophia omnes ingenii vires contendit, ut vel statueret, vel oppugnaret *humanæ libertatis* existentiam, sive liberi arbitrii, sive illius *activæ voluntatis nostræ virtutis*, quæ earum omnium, quas determinationes nostras liberas nuncupamus

mus, vera causa efficiens est; tum eorum omnium, quos actus nostros liberos dicimus, sive internos, sive externos, causa physica efficiens, aut occasionalis.

I. Lockius opere suo de humano intellectu id curasse videtur, ut omnia in theoria de *humana libertate* perturbaret, quam modo in intellectu statuit, modo in voluntate, quam modo natura activam, modo passivam potentiam facit, modo liberam, modo in suis actibus necessitate ductam: nimium sæpius in his animæ actibus confundens quod tantum voluntarium est cum eo, quod vere liberum est.

Lockius tamen hac in re humanarum cognitionum explicationem aliquatenus juvit; satis apte veram causam physicam explicans, a qua diversæ determinationes nostræ liberæ proficiscuntur, nempe *incommodus animæ status*, quem jure censet præcipuum humanæ activitatis stimulum, cui tamen aliquando nimium in voluntate imperium tribuit.

II. Collinus in suis de humana libertate philosophicis disquisitionibus humanam libertatem facit *potentiam pure passivam*, & omnino necessitate ductam a motivis agendi, aut non agendi, quæ illi intellectus objicit: ita ut quum motiva hæc intellectui proponuntur, qui potentia pure passiva est, voluntas semper irresistibiliter trahatur, quo motiva hæc inclinant; *homines* vero esse vult *omnino agentia necessaria*, ut brutum herbam carpens, ut arbor vegetans, ut aqua ad mare sua gravitate decurrens.

Nemo ex recentioribus philosophis in impugnanda libertate artificio, & sagacitate cum Collino comparandus.

III. Clarkius Collini sophismata valide proterens humanam voluntatem facit, *Potentiam natura activam, & in suis actibus liberam*; quodque proponit solidissimis rationibus confirmat,

mat. In Clarkii opere Collini sophismata tam apte evoluta sunt, tam accurate detecta, tam solide confutata, ut quidquid virium habere videbantur penitus evanescat.

At adversarium omnino proterens Clarkius sese ipsum criticæ castigandum exhibet; primo quia animam validissime demonstrans potentiam in actibus suis liberis activam esse, humanam libertatem in *potentia movendi*, seu motum producendi statuit; ita ut ubicumque hæc potentia sit, ibi sit vera libertas; & ita ut lactentes pueruli, & bruta quum hanc potentiam habeant, veram habeant libertatem, non tamen veram moralitatem. Deinde quia libertatem ponere videtur facultatem essentialem humanæ naturæ, ab eaque inamissibilem; ita ut actus quilibet voluntatis, etiam in infantibus, & in beatis sit semper essentia ipsa actus liber.

In hac confutatione demonstratum est, rationem pro Collino nullibi militare; at evidens est non ubique stare pro Clarkio; qui si optime errorem profligavit, non semper veritatem est assequutus. Post omnia, quæ de libertate Clarkius scripsit, diligenter discussa, deprehendimus nondum propositam esse libertatis notionem, nec ejus theoriam explicatam, atque statutam.

IV. Nonnulli recentiores philosophi, ut auctor Æmilii, & auctor Henriadis, nonnulla Collini sophismata in suis operibus, præpostere sane, e tenebris evocarunt. Voluntatem humanam facere studuerunt *potentiam pure passivam*, cui necessitatem inducit id, quod vocant *judicium practicum intellectus*.

Ipsi ne effœtis jam Collini sophismatis tanta vi a Clarkio contritis, & a pluribus post Clarkium philosophis, re vera decepti fuerunt? non facile putandum. Quare ergo illa iterum in majorem lucem proferre conati sunt? Fortasse

tasse in novis paradoxis excudendis laus aliqua ingenii Collino est tribuenda; at quam sibi laudem comparandam sperent recentiores philosophi paradoxa hæc jam contrita, & profligata ad aurium fastidium repetentes?

V. Leibnitius in suo monadum systemate animam vult in ordine ad libertatem *Monadem passive activam*, quæ semper in suis volitionibus necessario determinatur & *ab actione affectiva*, *aut aversiva*, quam ad res habet, & quæ propensiones suas facit, & a *sensibili impressione*, quam in ipsam res faciunt, aut rerum motiva (1017).

Intimæ hæ animæ propensiones, sensibiles hæ impressiones, quas in animam res faciunt, aut rerum motiva, id animæ sunt, juxta Leibnitium, quod bilancis lancibus sunt pondera utrimque imposita.

„ Quæ in nostris determinationibus contin-
„ gunt, inquit hic auctor in sua Theodicea,
„ explicari possunt, supponendo hominis vo-
„ luntatem *veluti bilancem* esse, quæ æquis
„ ponderibus utrinque gravata quiescit, de-
„ scendit vero qua parte lanci gravius pondus
„ imponitur. Nova ratio gravius pondus est: no-
„ va idea vetere magis elucet: gravis pœnæ
„ metus alicui voluptati prævalet. Quum bi-
„ ni affectus simul confligunt, fortior semper
„ victor est, nisi si alter aut a ratione, aut a
„ concurrente alio affectu roboretur ".

Calvinus, & Lutherus animam humanam faciunt *potentiam passivam*, quæ semper in volitionibus suis aut a concupiscentia, aut a gratia cælesti determinatur, & necessitatur. Leibnitius Lutheri assecla in philosophico suo systemate a sui hæresiarchæ doctrina non admodum recedit, at a rerum veritate omnino recedit (1110).

VI. Philosophi catholici animam humanam in ordine ad libertatem Potentiam activam asferunt,

ferunt, quæ res intellectu videt, & voluntate se determinat.

Anima ab intellectu illustratur, & hac in re passim passiva est. At posita hac intellectus luce, quæ libertatem intrinsece non constituit, sese potest anima ad quod vult determinare: quas vult determinationes capit; sese ipsa propria voluntate, proprioque delectu fert aut ad id, aut contra id, quod intellectus exhibet; atque in hoc activa, & libera est.

Quare juxta catholicos philosophos *libertas humana in voluntate sita est*, sive in ea potentia, qua bonum appetimus, malum aversamur, a qua determinationes, & volitiones nostræ procedunt: ipsa vero est *vera potentia* se ipsam determinandi ad agendum, vel non agendum. Porro hæc facultas animæ semper inest in iis actibus, quos nos liberos dicimus.

1094. NOTA. Evidens est, hominem esse *agens necessarium*, si omnes ejus actiones a causis aut præcedentibus, aut concomitantibus ita determinentur, ut fieri nequeat, ne ulla ex his actionibus habeatur, neque aliter sit, ac re ipsa est; hominem esse *agens liberum*, si semper in iis, quas actiones liberas dicimus, quæcumque tunc sint ejus circumstantiæ, quibuscumque causis physicis, aut moralibus moveatur, possit actionem, quam facit, omittere, quam omittit facere ratione potentiæ agendi, aut non agendi, quæ vera in ipso sit, & cujus actus ab ipso tantum pendeat.

Quare magnum libertatis problema, quod semper philosophis disputandi argumentum fuit, *problema est facti, & experimenti*, cujus solutionem quisque in se, & in intimo suo sensu invenire potest.

INCOMMODUS ANIMÆ STATUS IN DETERMINATIONES NOSTRAS MAXIME INFLUIT.

1095. OBSERVATIO. *Incommodum animæ statum* cum recentioribus nuncupabimus inquietam quamdam animæ agitationem, quam experitur quum bono caret, quod felicitati suæ necessarium putat, & quod majori, minorive nisu potentiæ suæ affectivæ prosequuntur.

Hujusmodi est incommodus animæ status sive inquieta agitatio quam experitur qui patria procul morbo illo corripitur, qui dicitur patriæ morbus. Ejus phantasia illi vivide repræsentat in regione patria felicitatem quandam, jucunditatem, delicias, quæ non nisi ibi reperientur: has anima expetit, atque exoptat vehementissime.

Hujusmodi est incommodus animæ status, sive inquieta agitatio, quam experitur uxor, quæ maritum maxime carum remotis in regionibus absentem habet, etsi nullo vitæ discrimine, ut patriæ inserviat, aut lucri gratia. Errat veluti ejus anima circa loca, in quibus dilectus maritus versatur. Ipsum illa alloquitur, videt, invocat, ejus imago mentis oculis assidue adstat; nec animi tranquillitatem assequetur, nisi quum ille ejus amplexibus restituetur.

Incommodus hic animæ status haberi potest, ut patet, nullo periculo, nulloque incommodo objecti, quod ejus causa est: hac vero ratione nunc considerandus est, tamquam scilicet *desiderium boni, quo anima caret*, & cujus possessione felicior esset.

I. Certum est, incommodum animæ statum humanam activitatem vehementer excitare. Illo homo in intima substantia veluti electricus fit. Sine hoc incommodo omnes ejus potentiæ veluti obmutescunt, inertes sunt, & lethargi-

cæ.

cæ. Hoc incommodo excitatæ loquaces fiunt, vividæ, elasticæ, identidem ardentes, & effrænes. Neque sane intrinsecum boni, quo caremus, meritum, sed ipsa interioris incommodi hujus ab hac privatione orti proprietas hominis actionem, ac veluti electricitatem metitur in diversis vitæ eventibus, & vicissitudinibus.

„ Bonum, & majus bonum, inquit Lockius „ etsi ut tale cognitum, atque perceptum, voluntatem non determinat: at potius aliqua „ præsens agitatio animæ (a), plerumque etiam quæ vehementior. Quodvis bonum, quo „ careamus, dolorem non parit intimæ suæ „ præstantiæ, seu illi quam in eo agnoscimus, „ proportionatum; contra vero dolor quivis desiderium excitat, ut removeatur, & hoc dolori ipsi æquale; neque enim boni absentia „ semper malum est; at doloris præsentia semper malum est.

„ Quodvis bonum, quod homini proponatur, „ inquit Leibnitius, si ejus absentia nec molestiam, nec dolorem pariat, & illo carens „ adhuc sine illo contentus esse possit, & bene habens, ab ipso non appetetur; multo „ minus operam dabit hic ut illud assequatur. „ Hujusmodi bonum *pura velleitate* prosequitur: qua voce utimur, ut *infimum desiderii gradum* significemus; aut ut illum animæ statum indicemus, qui *indifferentiæ* proximus „ est; quum scilicet molestia a rei absentia orta tam levis est, ut vix ejus ullum desiderium „ excitet, nec ad ullam operam dandam incitet, ut illam assequamur ".

II. In-

(a) *Hoc est, quod Lockius Britannice* Uneasiness *vocat; quo nomine id ipsum significatur, quod nos incommodum statum, aut inquietam agitationem dicimus.*

II. Incommodus animæ ſtatus in diverſis ſuis virium, & activitatis gradibus conſiderari poteſt; nempe in exordio, in progreſſibus, in maxima effervescentia.

Initio adhuc exiguus tantum *deſiderium* excitat. Subinde vehementior *indigentiam* parit. In maxima effervescentia exlex, & effrænis *paſſionem* creat, aliquando etiam violentiam, & furorem.

In primo incommodi ſtatu homo plenam, perfectamque libertatem habet, quæ ab ipſo vigilantiam tantum, ac levem reſiſtentiam poſtulat. In altero, qui aliquando a primo non admodum diſtat, adhuc homo plena gaudet libertate; at ſæpius acres pugnas, & difficiles admodum ſui ipſius victorias ab homine requirit. In tertio ſtatu homo aliquando non niſi remotam libertatem habet (1105). Poterat ille barathro ſe non committere; poſtquam vero ſe in illud libere conjecit, non ſemper ita ſtare poteſt, ut in infima non labatur, & pereat.

LIBERTAS, NECESSITAS, COACTIO, SPONTANEITAS, ACTUS LIBERI, ACTUS VOLUNTARII.

1096. OBSERVATIO. Magna hæc *de humana libertate* quæſtio, ut jam innuimus, quæſtio eſt facti, & experientiæ, cujus plenam deciſionem quiſque in animæ ſuæ, vel eorum, quæ in ſe ſentit, diſquiſitione, & analyſi invenire poteſt (1094).

1097. EXPLICATIO I. Si potentia, aut reſiſtentia meæ naturæ extrinſeca, cujuſmodi eſſet aut vehemens impulſio, qua propellor, aut valida catena, qua obſtringor, me invincibiliter, & irreſiſtibiliter fruſtra omnibus viribus contra obnitentem cogat aut ſedere quum inambulare vellem, aut inambulare quum ſedere vellem; patet me in his nullam veram habere libertatem.

Qua-

Quare *necessitas extrinseca, sive coactio actuum quorum existentiæ causa est, aut quos fieri impedit, libertatem tollit.*

1098. EXPLICATIO II. Si potentia, seu resistentia meæ naturæ intima, uti malignæ febris æstus, aut virium omnium lapsus in paralysi, me aut extra lectulum proripit irresistibiliter, mea voluntate non consentiente, aut invita; sive irresistibiliter in lectulo jacentem detinet frustra surgere conantem; patet adhuc neque in his me ullam veram habere libertatem.

Quare *necessitas intrinseca actuum, quorum aut existentiam parit, aut impedit, libertatem tollit.*

1099. EXPLICATIO III. Ea quæ in me fiunt attendens, etiam quum nulli necessitati neque intrinsecæ, neque extrinsecæ subsum, noto in me sæpius motus spontaneos oriri, spontanea desideria, spontaneas affectiones, aut aversiones, quæ nullo meæ voluntatis consensu exoriuntur, & quorum existentia a voluntate mea minime pependit. Tunc vero nil hæsitans judico ex sensu intimo, primitivam horum *actuum pure spontaneorum* (a) existentiam mihi liberam non esse, hac unica ratione, quod hi actus, mea voluntate nihil agente, exstiterunt.

Quare, *ut actus liber sit, ejus existentia aut a voluntate dependere debet*, aut debet voluntas

(a) *ETYMOLOGIA*. Spontaneus: *actus, aut motus, aut affectus quasi sponte sua natus. Actus spontanei, sive spontaneæ animæ impressiones nihil, saltem in primitiva existentia, liberum habent: hæc enim liberi arbitrii exercitium præcedit, quod actus illos tantum approbat, aut improbat; tantum eorum consectaria aut permittit, aut impedit.*

tas *veram potentiam* habuisse, illum pro libito existentem reddendi, aut non existentem.

Hinc sequitur, veram *libertatis meæ sedem*, si datur, esse *in voluntate*, sive in ea animæ potentia, a qua volitiones emanant, & in qua resident determinationes.

1100. EXPLICATIO IV. Quæ in me contingunt attendens, etiam cum me nulli neque intrinsecæ, neque extrinsecę necessitati subesse sentio, noto animam meam necessariam propensionem habere ad bonum, quod tantum percipit sub ratione boni; & necessariam aversionem a malo, quod tantum percipit sub ratione mali.

Exempli causa, quum incommodus animæ status in me aut desiderium, aut indigentiam excitat, si unicum tantum objectum haberet anima, quo hoc desiderium explere, vel huic indigentiæ satisfacere posset, neque hoc objectum perciperet, nisi sub ratione boni, nihil mali prævidens præsentis, aut futuri, si hoc desiderium expleat, aut huic indigentiæ satisfiat; certum est, animam tunc *irresistibilem inclinationem* habituram ad hoc objectum, cui nihil contra obsistere, quam nihil continere, aut cohibere posset; quæque proinde hac in re omnem tolleret libertatem.

Contra vero, quodcumque sit animæ desiderium, quæcumque indigentia, si objecta, quæ assequi posset, videat tantum *sub ratione mali*, ut noxia, aut funesta, quin quidpiam sit, quo felix, aut saltem minus misera reddi possit; certum est, in anima futuram *invincibilem aversionem* ab his objectis, quæ illi omnem aufert libertatem illa diligendi, aut appetendi.

Quare, *anima non est libertas, quum objecta, quæ appetere, aut aversari potest, sub unica tantum ratione vel boni, vel mali illi proponuntur.* In utroque casu potentiam tantum habet ex se, & natura sua intrinsece necessariam.

1101. EXPLICATIO V. Adhuc ad ea, quæ in me contingunt, animadvertens, noto, plurimos esse casus, in quibus *inter actus contrarios seligere possum* ; exempli gratia, inter agendum, & non agendum, inter volendum, & nolendum, inter hoc, aut aliud faciendum, inter inclinationibus meis cedendum, vel obsistendum; ita ut actus, ad quem me determino, & quem efficio, non esse potuisset; & cujus existentia omnino contigit ex mea voluntate, meaque electione, a meæ libertatis exercitio; uno verbo, qui actus est *actus liber*.

I. Electio necessario *deliberationem* supponit, cognitionem, & discussionem motivorum, quas habeo agendi, vel non agendi, aliquid faciendi, aut omittendi, meis propensionibus resistendi, aut obsequendi.

Nisi deliberem, non eligo : tantum objectorum impressionem sequor : *effectus vero ab hac impressione recepta, quam sequutus sum, procedens, non est actus liber*, cujus existentia a mea voluntate, a libertatis exercitio pendeat.

II. Ut deliberem, debeo commoda, & incommoda novisse, quæ pariet aliquid agere, aut non agere, aliquid facere, aut omittere, meis propensionibus resistere, aut obsequi.

Deliberatio itaque necessario in me *rerum cognitionem* supponit, earum boni, malique rationis, motivorum quoque trahentium, vel removentium.

Meæ libertatis exercitium, quod ab hac deliberatione necessario dependet, supponit igitur æque necessario hanc in me cognitionem. *Non ergo datur libertas, ubi rerum cognitio deest, earumque boni, malique rationum, motivorum quoque attrahentium, aut removentium*. Nunquam ergo datur libertas sine intelligentia.

III. Quum rerum commoda, & incommoda cognosco, earum boni, malique rationem, *motiva trahentia, aut removentia*; habeo quid-

quid

quid requiritur, ut in me deliberem, num me determinavero ad agendum, aut ad non agendum, ad quid faciendum, aut omittendum, ad propensionibus resistendum, aut obsequendum; ut deliberem, num dati actus existentiam voluero, aut noluero.

IV. At post quamcunque *rationum agendi, aut non agendi* discussionem, quas mihi intellectus offert, nondum libertas mea est exercita. Non autem exercetur, nisi *ipsa voluntatis meæ determinatione*, quæ dati actus existentiam aut non existentiam definit. Rationes hæ agendi, aut non agendi voluntatem illustrant, non constituunt.

V. Quum post opportunam deliberationem talis actus existentiam determino, *veram potentiam* habeo ejus non existentiam determinandi; & quum ejus non existentiam determino, veram potentiam habeo ejus existentiam determinandi.

Uno verbo quum volo, veram facultatem habeo nolendi, quum nolo, veram facultatem volendi; atque ita in hoc sum perfecte liber.

1102. EXPLICATIO VI. Ad ea, quæ in me contingunt, tandem animadvertens noto, me aliquando male elegisse, cujus me pœnituit, aliquando bene elegisse, quo gavisus sum; tunc bene elegisse, quum cognitiones meæ perfectiores erant, male vero, quum cognitiones magis vitiosæ erant; utrobique vero me liberum fuisse.

Hinc infero, *cognitiones perfectiores* nos ad melius libertatis exercitium adducere; non tamen nos libertate carere, quum *minus exactas, ac magis infirmas cognitiones* habemus, unde in nobis dolor est & pœnitentia.

Primæ nobis necessariæ non sunt, nisi ut nobis *deliberandi facultatem* impertiantur; postremæ eandem nobis deliberandi facultatem præbent.

Minus tute procedimus postremas sequentes, quam primas. Sub utrisque tamen æque dari potest vera liberas.

LIBERTATIS DEFINITIO, ET DIVISIO.

1103. DEFINITIO. *Libertas*, sive liberum arbitrium, sive vis illa animæ activa, contra quam insurgere quidem potest sophista, at quam rectus homo semper in se sentit, est in humana voluntate *plena*, *& perfecta facultas* sese determinandi ut vult, & ad quidquid vult; quin a quopiam ad agendum necessitetur, quin illi quidpiam ad agendum necessarium desit; ita, ut ad re ipsa agendum, aut non agendum nihil requiratur, præter *ipsam voluntatis determinationem*; quæ determinatio ab ipsa nec coacta, nec necessitata procedit (1014, & 1017).

1104. DIVISIO I. Libertas primo dividitur in libertatem contradictionis, & in libertatem contrarietatis.

I. *Libertas contradictionis* est indifferentia activa voluntatis completæ ad volendum, aut non volendum, ad agendum, aut non agendum, ad quid faciendum, aut omittendum.

II. *Libertas contrarietatis* est indifferentia activa voluntatis completæ ad aliquid faciendum, aut ejus oppositum: exempli gratia ad actum honestum eliciendum, aut actum vitiosum.

Homo Deus libertatem habuit contradictionis ad bonum quod fecit, & quod omittere poterat; non tamen habuit libertatem contrarietatis ad bonum, & malum, ut ceteri habent homines. In illo enim voluntas humana ex intima cum voluntate divina conjunctione cujuscumque mali moralis necessario incapax erat.

1105. DIVISIO II. Libertas deinde dividitur in proximam, & remotam.

I. *Libertas proxima* est plena, & perfecta liber-

bertas, seu plena, & completa facultas aliquid actu faciendi.

II. *Libertas remota* est plena, & perfecta libertas, seu plena, & completa facultas sibi medium comparandi, quod non habetur, & quod ad actionem est necessarium; sive obstaculum removendi, quod adest, & actionem impedit:

Exempli causa, posita necessaria *gratia supernaturali*, ut homo agat cum merito in ordine ad salutem; qui modo supernaturalem gratiam actu non habet ad præceptum implendum necessariam, habet tamen actu supernaturalem gratiam, qua potest ad Deum oratione confugere; habebit *libertatem proximam* ad orationem, & *libertatem remotam* ad implendum præceptum, quod opus gratia oratione obtenta illi reddet perfecte possibile. Libertati opponitur necessitas tum intrinseca, tum extrinseca (1097 & 1098).

1106. NOTA. In intrinsecis voluntatis nostræ determinationibus liberum cum pure voluntario non est confundendum.

I. *Omnis actus liber semper est voluntarius*; elicitur enim electione voluntatis. Exempli causa, quum aliquid in Dei obsequium facio naturæ molestum, sentit voluntas mea, sese ad actum arduum determinare, se jucundæ propensioni obsistere; at nihilominus & hunc actum vult, & hanc sui victoriam; ad quæ sese ipsa determinat, & animadvertens motivis ducta præsenti suæ propensioni præferendis, quæ & electionem, & actionem suam determinant. Hæc animæ volitio est actus liber simul, & voluntarius.

II. Non tamen omnis actus voluntarius est liber; patet enim, actionem cum delectatione, & voluptate fieri posse, quæ libera non sit.

Exempli gratia, infantulus lactans, usu rationis carens, sine quo non est libertas, voluntarie,

.tarie, non libere ad ubera fertur, quibus alitur, ad bellaria, quæ illi sapiunt, ad crepundia, quibus oblectatur.

Pari modo beati in cælis Deum amant voluntarie, eorum enim propensio rationi maxime consona illos ad hunc amorem trahit; non tamen Deum amant libere; neque enim non amare possunt objectum infinite amabile, quod intuitive vident, & in quo nil nisi bonum vident.

III. Quare *actus voluntarius* ille est, quem anime eliicit cum delectatione, & voluptate, sive habeat, sive non habeat illum omittendi facultatem.

Actus liber est, quem anima eliicit habens in se plenam, atque completam facultatem illum pro libito omittendi, aut non omittendi.

Anima *internum suæ liberæ determinationis actum* producit, nempe volitionem; actus autem externi, qui hanc determinationem sequitur, aut comitatur, anima occasio est.

ERRORES, ATQUE HÆRESES DE LIBERTATE.

1107. EXPLICATIO. *Humana libertas* diversis temporibus diversisque in nationibus plurimis erroribus, atque heresibus oppugnata, & deformata fuit. Præcipuas indicabimus. A fatalistis exordiamur.

I. Græci, & Romani, ex Homero & eorum mythologia *universale Fatum* passim admittebant, quod in omnia tum physica, tum moralia influebat, omniaque reddebat æque necessaria.

In hoc systemate Catonis virtutes, & Marci Antonii libidines erant fati effectus necessarius; non secus ac corporis sibi relicti lapsus aut duorum in cælestibus spatiis planetarum conjunctio.

Jux-

Juxta hunc errorem, qui usque ad diffusam ab evangelio lucem, qua idololatria profligata fuit, perseveravit, Fatum omnia in physicis, & in moralibus regebat (955).

II. Pharisæi, & Essenii apud Judæos ipsi quoque quandam *Fati speciem* admittebant, quod tamen & in suo principio, & in consectariis a Græcorum, & Romanorum Fato omnino diversum erat.

Pharisæorum, & Esseniorum fatum erat tantum effectuum, & causarum nexus a divina providentia dispositus, cujus decreta infallibiles eventus reddunt, illæsa humana libertate. Sententia hæc parum distat a Bannesii sententia, quæ quidem parum philosophica est, nullo tamen pacto heterodoxa (998, & 1001).

1108. EXPLICATIO II. Manes tertio æræ Christianæ sæculo, ut in Deo, ita in homine bina principia admisit distincta, & e diametro opposita: *principium boni*, & *principium mali*: utrumque æque in suo genere necessitatum.

Quare in hoc ridiculo, atque informi systemate, quum principium boni in nobis prævalet, nos ad bonum necessitat; quum contra prævalet principium mali, tunc nos ad malum necessitat (929).

Quamobrem per Manetem virtutes nostræ, ac crimina nostra sunt semper binorum horum naturæ nostræ principiorum effectus necessarii; quæ principia invicem semper confligunt, & alterum modo vincit, modo ab altero superatur.

1109. EXPLICATIO III. Pelagius, qui præter modum naturæ vires extulit, in qua nullam originis labem agnoscebat, *plenam*, *perfectamque* in homine ad bonum, & ad malum *libertatem* admisit. Hactenus philosophum, & Christianum agebat.

At contendebat, *humanam libertatem nullo divina gratia auxilio indigere*; sive hominem

posse semper solis naturæ viribus, nulloque gratiæ supernaturalis auxilio & bonum facere, & malum vitare; & a se posse & sanctificationem suam, & suam prædestinationem operari. Qua in re & a sana philosophia recedebat, & plura præcipua Christianæ fidei dogmata vertebat.

1110. EXPLICATIO. IV. Lutherus, & Calvinus nullam amplius post originale peccatum veram libertatem in homine esse contendunt; & originale peccatum hominibus *liberum arbitrium*, quo in statu innocentiæ originalis gaudebant, ademisse.

Per ambos hæresiarchas *in statu naturæ lapsæ*,

I. Aut Deus nobis denegat *gratiam* omnem *supernaturalem* semper ad bene agendum necessariam; & tunc concupiscentia nostra, depravatio scilicet nostra naturalis, & in vitium ac malum proclivitas nos efficaciter, & irresistibiliter ad malum, & ad legis violationem trahit *misera necessitate*, quæ tamen non impedit, quominus rei simus.

II. Aut Deus nobis *supernaturalem gratiam naturæ efficacem*, *& victricem* impertitur, cui voluntas nostra nullo pacto resistere potest; tunc vero gratia hæc nos irresistibiliter ad bonum trahit, a proclivitate ad malum irresistibiliter retrahit, ad virtutem sequendam inducit *felici necessitate*, quæ bonæ actionis meritum nequaquam tollit.

1111. EXPLICATIO V. Recentiores theologi nonnulli, quorum sententia æque rationi, ac fidei contraria est, & quorum systema tum sanæ philosophiæ, tum christianæ religioni opponitur, animam humanam, saltem in moralibus, fecerunt *potentiam pure passivam*; quæ in se, & a se agere nequit; at quæ ad agendum adduci potest aut a concupiscentia, aut a gratia; quæ a se, & per se non se determinat ad bonum, aut ad malum; sed quæ ad alterutrum

in

in quavis peculiari circumſtantia determinatur aut *a concupiſcentia præponderantia*, aut *a gratia præponderantia*: quæ ad bonum, & malum libera eſt; ſed cujus libertas eſt tantum *intrinſeca mobilitas* ad bonum, aut ad malum.

I. In hac ſententia, atque in hoc ſyſtemate anima humana in ordine ad moralia tantum eſt aut veluti campus, in quo gratia, & concupiſcentia confligunt; aut veluti *bilanx mobilis*, cujus lances ſunt ipſa animæ ſubſtantia; pondera vero oppoſita, quæ lances has gravant & movent, ſunt concupiſcentia, & gratia: hac ratione humana libertas inane nomen tantum eſt; neque anima humana magis in ſuis determinationibus libera eſt, quam in ſuis motibus rudis materia ſit.

II. Hujus ſententiæ auctores, atque aſſeclæ contendunt, originali peccato humanam naturam intrinſecam potentiam amiſiſſe, qua *in ſtatu innocentiæ*, in quo creata fuit, gaudebat, ſeſe a ſe, & per ſe determinandi.

In præſenti ſtatu *naturæ lapſæ*, nos a nobis & propria activitate neque eligere, neque agere, neque nos determinari; ſed irreſiſtibiliter moveri, & determinari ad unum, ad bonum ſcilicet, aut ad malum præponderantia aut gratiæ, aut concupiſcentiæ, quæ in nobis eſt.

Humanam voluntatem, quæ jam non eſt niſi veluti *potentia mortua*, *& actione carens*, in ſuis determinationibus ſemper obtemperare viribus prædominantibus, & præponderantibus aut gratiæ, quæ dicitur *delectatio cæleſtis*, aut concupiſcentiæ, quæ dicitur *delectatio terrena*.

Si naturalis concupiſcentia decem intenſitatis, & virium gradibus me actu ad crimen quodvis inclinat, puta ad furtum, aut ad homicidium; & ſupernaturalis gratia novem intenſitatis, & virium gradibus me actu inclinat ad hoc crimen vitandum; voluntatem meam ſuperiori vi in ipſa agente motam, & tractam

irresistibiliter determinatum iri ad crimen perpetrandum: quum e contra irresistibiliter determinata fuisset ad illud omittendum, atque adeo ad opus meritorium faciendum inordinatam inclinationem vinces, si supernaturalis gratia in ipsam agens non novem, sed undecim, vel duodecim virium gradus habuisset.

Me nihilo minus re ipsa liberum esse quum crimen perpetro irresistibiliter, illud enim perpetro voluntarie; nec fieri potest, ne velim quod re ipsa volo.

Humanam libertatem sitam esse & in *potentia passiva*, quam voluntas habet, ut æque ad bonum, ac ad malum moveatur a gratia, aut a concupiscentia; & in *interiori delectatione* sensus, aut rationis, voluptatis, aut approbationis, qua voluntas in bonum, aut in malum fertur ab actione prædominante gratiæ, aut concupiscentiæ; Liberum enim, & Voluntarium in actu juxta hanc sententiam, & hoc systema non nisi voces sunt omnino synonimæ (1106).

NEXUS RERUM, ET EVENTUUM, SIVE HARMONIA PRÆSTABILITA LEIBNITII.

1112. OBSERVATIO. Juxta auctorem systematis monadum, in universa natura nil vacuum est, & omnia simul connexa sunt. Ab initio temporum ad hanc usque diem monades omnes, sive substantiæ omnes tum materiales, tum immateriales in se, & per se agunt, & *perpetua filiationum serie* harum monadum actiones alia ab alia nascuntur; ita, ut in quavis monade prima actio fuerit causa necessaria sequentis, hæc tertiæ, ista quartæ, & sic deinceps in infinitum (958, & 1217).

I. In hoc systemate *naturales corporum*, sive monadum materialium *vires* subsunt omnes me-

mechanicis legibus. Eorum motus communicantur, & ab uno in aliud corpus transmittuntur sese dividentes in infinitum, quin unquam in eorum actione, & reactione destruantur. Quare semper in materiali natura *eadem præcise motus quantitas* perseverat, nulla absoluta imminutione, nullo incremento; etsi motus ab uno in aliud corpus continenter transmittatur.

Exempli causa, actualis manus meæ, aut mei pedis motus non nisi corpora, quæ circa me premit, aut impellit, sensibiliter afficit; at insensibiliter ratione pleni, & reactionis transmittitur motibus in infinitum decrescentibus ad Sinas, ad lunam, ad solem, ad syrium, ad ultimos usque materiales mundi terminos; atque ex hoc motu ita communicato, & diviso alii enascentur motus necessarii sensibiles, aut insensibiles usque ad finem temporum duraturi.

In hac necessaria motuum filiatione *Monas infinite intelligens*, Deus scilicet, infallibiliter prævidit motus omnes mechanicos, & physicos, qui ab initio temporum ad hanc usque diem extiterunt, & usque ad finem temporum in universa materiali natura sunt extituri.

II. In hoc systemate *spirituum*, sive monadum intelligentium *vires naturales* subjacent omnes moralibus legibus; influxui scilicet motivorum, sive idearum, & sensationem.

Quævis monas intelligens existere incipit ideis, & sensationibus instructa, quæ quoque filiationes suas necessarias habent; ita ut prima idea necessario aliam ideam producat, hæc tertiam; atque ita porro in infinitum. Idem dicas de sensationibus.

In hac idearum, & sensationum filiatione monas infinite intelligens, sive Deus, indefectibiliter prævidit quadraginta, aut quinquaginta ante annos cogitationes, & sensationes

quas nunc habeo, quas habui, & quas omni meæ vitæ tempore ſum habiturus.

III. In hoc ſyſtemate homo materia, & ſpiritu eſt compoſitus; infinitis nempe materialibus monadibus, quæ corpus efficiunt, & unica monade intelligente, quæ eſt ejus anima: ita tamen *ut ejuſdem hominis anima, & corpus nihil in ſe invicem influant.*

Corpus in ſuis motibus regitur a legum, & cauſarum mechanicarum nexu; anima in ſuis ideis, judiciis, volitionibus legum, & cauſarum moralium nexu regitur, quin operationes animæ ullo pacto a corporis motibus pendeant, aut corporis motus ab animæ operationibus.

Qua igitur ratione mei corporis motus tam bene animæ meæ volitionibus congruunt; & brachium meum, exempli gratia, actu movetur eo prorſus modo, quo anima cupit, & vult? Hoc eſt, inquit Leibnitius, ratione *harmoniæ præſtabilitæ*, qua anima has ideas, has ſenſationes, has voluntates habere debet eo ipſo temporis momento, quo humanum corpus hos datos motus habebit; & reciproce.

Monas infinite potens, & infinite intelligens animam meam creans, ipſi cogitationes, & ſenſationes indidit, a quibus neceſſaria, & permanente filiatione aliæ prodire debent cogitationes, & ſenſationes; & res ita diſpoſuit, ac nexuit, ut ſenſationes hæ, & cogitationes in anima mea exoriantur ratione *legum moralium* eo ipſo tempore quo hi, & illi motus ratione *legum mechanicarum* in meo corpore contingent. Hæc analogarum operationum concordia & exiſtentia ſimultanea inter hominis animam & corpus ipſa eſt Leibnitii harmonia præſtabilita, & in qua animæ cum humano corpore unio ſita eſt.

Peritus artifex duo diverſa horologia perficiat prorſus exacta, quorum alterum indice carens, ſono tantum horas nunciet, alterum mutum indice

dice tantum horas notet. Diversa hæc duo horologia si semel in hora enuncianda, & indicanda concurrerint, ex prævia ista concordia, ex hac *harmonia præstabilita* perpetuo congruent, ita ut alterum horam elapsam sono enunciet quo ipso tempore alterum eam elapsam indice designabit, quin inter elastra, aut pondera, quibus moventur, ulla sit communicatio. Ita se habent corpus, & anima: nulla inter hanc, & illud connexio est: sunt veluti duo diversa horologia ab artifice infinite intelligente elaborata, & simul concordata. Ratione harmoniæ inter animam, & corpus ab amborum exordio præstabilitæ, motus hujus mechanici illius cogitationibus, & sensationibus exactæ congruere debent, nullo mutuo influxu physico, vel morali.

IV. In hoc systemate *eventus omnes tum physici, tum morales sunt, & eventuum præcedentium effectus necessarii, & subsequentium causa necessaria.*

Exempli causa, pugna Pharsalica, & Romanæ reipublicæ excidium sunt necessariæ consequutiones operationis cæsareæ, quæ matri Julii Cæsaris facta fuit. Matrimonium Maximiliani Austriaci cum Burgundiæ hærede necessario connexum est cum bellis omnibus, quæ per duo sæcula consequuta sunt, & tot nationibus exitio fuerunt.

Præsens manus meæ motus, seu pedis effectus est, non meæ liberæ voluntatis, sed primi motus, qui in mundo extitit, & qui infinitis sese invicem complectentibus nexibus actu ad manum meam, aut ad meum pedem transmittitur; quin anima mea ullo pacto hujus sit causa physica, efficiens, aut occasionalis. Fieri etiam potest, ut aliquando, post tria, aut quatuor annorum millia, innumera infortunia immensa perpetuarum filiationum necessariarum serie consequantur ex hoc pedis mei, aut ma-

nus meæ motu, qui eorum triſtis cauſa futurus ſit.

1113. CONFUTATIO. Quamvis nihil ſolidum, imo nec ſpeciem veri præſeferens in hoc Leibnitii ſyſtemate ſit; non tamen inopportunum erit ejus falſitatem, & abſurditatem brevibus verbis oſtendere, hac præſertim ætate, qua philoſophi nunnulli ejus principia aut ignorantes, aut non expendentes, ejus tamen conſectaria amplecti videntur.

I. Ut hic cauſarum, & effectuum nexus a Leibnitio in materiali natura ſuppoſitus vere haberetur, nec ſomnium eſſet; neceſſario, & vacuum in mundo viſibili dari non deberet; & motus talis natura, aut eſſentia eſſe deberet, qui reſiſtentia non periret.

Atqui recens phyſica docet, & demonſtrat, binas has præcipuas propoſitiones, quibus labentibus totum labitur Leibnitianum ſyſtema, omnino falſas eſſe, vacuum, illudque immenſum in natura dari, & motum reſiſtentia perire, ac deſtrui (*Phyſ.* 310, & 1299).

II. Si filiationes non ſemper dantur in corporum motibus, multo minus dantur in animæ modificationibus. Exempli cauſa, cuinam ratione utenti unquam perſuadeas, diras frigoris ſenſationes, quas pertulit anno 1709, vel 1768, vel 1776, in ejus animæ fuiſſe neceſſariam conſequentiam primarum ſenſationum, quas habuit in materna alvo, non vero effectum per accidens in ipſa productum ab horrendo frigore, quod organa corporis, quibus conjuncta erat, triplici ſupra memorata hyeme afficiebat, ac laniabat?

III. Patet, ſi Cæſar natus non fuiſſet, ipſum belli civilis auctorem futurun non fuiſſe, quo Rempublicam extinxit. At enimvero Cæſaris ortus ita ne bello civili alligatus eſt, ut poſito primo alterum neceſſario conſequi debeat? nequaquam ſane: bellum enim civile, & reli-

qui

qui omnes eventus ſeu liberi, ſeu neceſſarii, quorum illud occaſio fuit, primitus pendebant a *libera Cæſaris determinatione*: hæc vero diutius incerta, & fluctuans non niſi in celebri Rubiconis tranſitu firmata, atque ſtatuta fuit.

Pari modo nuptiæ Maximiliani Auſtriaci cum hærede Burgundiæ nepotes procrearunt, qui ducentis annis contra Galliam bella geſſerunt. At vero nuptiæ ne iſtæ, an plurium principum ſucceſſive ex illo connubio deſcendentium libera, & determinata ambitio tot bella inter Galliæ Reges, & Auſtriacos Imperatores excitavit, & fovit?

Cæſaris ortum cum Reipublicæ excidio nectere, & Maximiliani & hæredis Burgundiæ connubium cum bellis, quæ deinceps exarſerunt; eſt in dialecticam peccare, & ſophiſma illud proferre, quod alibi diximus vocari ſophiſma cauſæ non cauſæ (736).

IV. In rerum ſucceſſione eventus nonnulli ſunt, quorum effectus alios effectus pariunt; innumeri alii ſunt omnino ſteriles. „ Eventuum nexus, inquit Volterius, genealogiæ „ comparari poteſt: in hac rami nonnulli ſunt, „ qui in prima generatione ceſſant, alii ſtirpem propagant: eventus plures ſine filiatione „ ſunt ".

Quare generalis rerum, & eventuum nexus non datur, in quo cauſarum moralium actio a primo effectu ad alterum, ab hoc ad tertium, & ſic deinceps neceſſario tranſmittatur, continuata, & perpetua nexuum, & filiationum ſerie. Fatum, ſeu neceſſitas, quam nonnulli hoc fundamento, ſive hac filiationum ſerie, in ordine morali ſtatuere nituntur, & fabula eſt, & ſimul chimæra.

PROPOSITIO I.

1114. *Necessitas extrinseca, sive coactio nunquam in internis voluntatis nostræ actibus haberi potest.*

Si ergo humana libertas in sola immunitate a coactione consisteret, homo semper esset essentialiter liber, quin ulla unquam causa suam illi libertatem auferre posset.

DEMONSTRATIO. Evidens est, necessitatem extrinsecam, sive coactionem externos voluntatis nostræ actus afficere posse, ut alibi explicavimus (1097).

At æque evidens est, extrinsecam necessitatem, sive coactionem nunquam internos voluntatis nostræ actus, volitiones scilicet, afficere posse. Siquidem,

Ut anima mea intime ad aliquam volitionem cogi posset, puta, ad eam, qua modo scribere volo, sive ad eam, qua mox scribere noluero; necesse esset, ex ipsa coactionis idea, animam meam posse interius cogi ab aliqua causa naturæ suæ extrinseca, ut vellet quum non vult; ut vellet, quod non vult; ut simul ejusdem rei volitionem, & nolitionem haberet; adeoque ut duas simul modificationes haberet, quæ simul esse nequeunt; quod manifeste repugnat.

Si ergo humana libertas in sola *immunitate a coactione* sita esset, ut nonnulli recentiores philosophi contenderunt; homo semper in internis voluntatis suæ actibus liber esset, quin causa ulla intrinsecam suam libertatem illi auferre posset; patet enim, causam nullam efficere posse, ut velit, quum non vult, aut ut nolit, quum vult, Q. E. D.

PRO-

PROPOSITIO II.

1115. *Libertas humana est vera, & completa potentia sese determinandi ad volendum, aut non volendum, ad agendum, aut non agendum. Si ergo aliquando in homine hæc potentia sit, tunc liber est; & si quando in homine hæc potentia non sit, tunc non est liber.*

EXPLICATIO. Propositio hæc per se manifesta est. Satis erit ergo eam aliquatenus explicare, ut verus ejus sensus aperte pateat.

I. Adultus, & plena ratione utens, & optime membris valens plenam, atque completam habet ambulandi libertatem; habet enim *plenam, atque completam potentiam*, præmissa opportuna deliberatione, determinationem producendi, a qua sequetur aut ejus motus, aut ejus quies, prout ipse elegerit.

Quare in hoc est liber non modo quo ad actum internum, qui est ejus determinatio, sed etiam quo ad externum, qui est ejus motus, vel quies. A sua enim voluntate libera, & deliberata pendet alterutrius actus existentia.

II. Adultus plena ratione utens, sed qui paralysi correptus pedibus uti nequit, plenam habet, completamque libertatem volendi interesse sacro die Dominico; non tamen libertatem habet eundi quo sacrum fiet.

Quare liber est quo ad *actum internum*, qui est desiderium, & voluntas sacro interveniendi; non vero quo ad actum externum, qui est motus ad hanc rem requisitus. Interni actus existentia a libera sua voluntate pendet, actus externi non item.

III. Infantulus recens natus, ceterum membris, & mente sanus, neque quo ad internos actus, neque quo ad externos liber est. Ejus enim anima, quæ nullam adhuc de rebus reflexam cognitionem habet, neque de earum ra-

quidam nostræ voluntatis interni actus possint non esse liberi, etsi semper ab extrinseca necessitate immunes sint. Q. E. D.

PROPOSITIO IV.

1117. *Sensus intimus, ratio, universi humani generis suffragia, infallibilis ecclesiæ catholicæ auctoritas nostræ libertatis existentiam unanimiter testantur;*

Est ergo voluntas nostra ab omni tum extrinseca, tum intrinseca necessitatis immune in iis actibus, quos liberos agnoscimus.

DEMONSTRATIO. Non omnia in homine libera sunt. Hoc satis supra explicavimus (1098 & 1115).

At in homine *vera* datur *libertas*; atque hæc habetur in omnibus nostræ voluntatis actibus tum internis, tum externis, quos liberos sentimus, aut judicamus.

I. *Sensus intimus nostram libertatem nobis testatur.* Exempli gratia, ita de mea libertate, ut de mea existentia certus sum; meæ libertatis enim ita sensum intimum habeo, ut meæ existentiæ.

Experimentali sensu eorum, quæ in me contingunt, novi, si in me dantur determinationes spontaneæ, & indeliberatæ, quæ veluti sponte, inscia ratione, & nullo meæ voluntatis arbitrio, in me oriuntur; dari etiam in me *determinationes liberas*, quarum existentia omnino a mea voluntate, meaque ratione profecta est: quas elicere pro libito, aut non elicere poteram; quarum aliquas pœnitentia, alias probatio, & jucunditas sequutę sunt (1099 & 1102).

Novi quoque experimentali sensu eorum, quæ in me contingunt, sæpius me eligere aut inter *diversos probabilitatis gradus*, ut rerum veritatem assequar, & recte judicare possim;

aut

aut inter *diversas boni species*, ut absolutum, & relativum boni meritum expendam, & ut deinde pro libito, mea propria determinatione, motuque proprio alterutrum seligam, sive quod magis mihi arridet, sive quod minus.

Quare quum hæc omnia me liberum esse mihi testentur, me quoque docent, principium, in quo sita est mea potentia electiva, *potentia se determinans*, non esse potentiam tantum passivam, quæ sit tantum determinationum suarum, & liberarum volitionum subjectum; sed esse *potentiam activam*, quæ earum est vera causa efficiens; adeoque meam libertatem, quæ in activa hac potentia sese determinante sita est non esse passivam indifferentiam in ordine ad suas determinationes liberas; sed *indifferentiam activam*, quæ a se capit, & sibi a se dat determinationes suas.

Quod mihi hac in re testatur sensus intimus id ipsum cuique illum interroganti testatur.

II. *Ratio nobis existentiam nostræ libertatis testatur*. Quid enim de libertate mihi ratio ipsa dicit? Dicit ipsa, debere me bonum facere, malum vitare; meque vel probum esse, vel improbum, ut præcepta hæc sequor, vel infringo. Dicit, Deum legislatorem infinite sanctum, atque sapientem, & humanos legislatores, quorum rectas esse leges novi, neque impossibilia, neque absurda jubere.

Quum ergo tum divinus legislator, tum humani legislatores æque mihi præcipiant malum vitare, bonum facere, & ratio ipsa mihi præcepta hæc æquissima esse ostendat; necessario in mea potestate esse debet bonum præceptum facere, malum vetitum vitare; ceterum æque absurdum esset alterum præcipere, ac alterum vetare. Ergo necesse est, ut, vel ego liber sim, vel omnis tum divina, tum humana legislatio inepta, & absurda sit.

III. *Universi humani generis suffragia libertatem*

·em dari testantur. Apud omnes enim orbis tiones sive barbaras, sive excultas *lex* quæn *honoris* datur, qua laus, & honor factis buitur, quæ honesta, recta, heroica censen; dedecus vero, & vituperatio factis quidam, quæ improba, turpia, infamia centur.

Ergo omnes mundi nationes unanimes cent, esse homini *veram facultatem* faciendi, od bonum, vel malum judicatur, ita, ut aones vel commendatæ, vel improbatæ omniab illas facientis voluntate pendeant; ceum patet, ab actionibus neque vituperation ullam esse pertimescendam, neque laudem ectandam.

IV. *Infallibilis catholicæ ecclesiæ auctoritas ertatem dari testatur*. Certum est primo, nanæ libertatis dogma semper inter præua revelatæ religionis dogmata locum hasse: hoc scriptura, & traditio unanimes tetur. Certum est deinde, catholicam Chriecclesiam infallibilem in judiciis suis dogticis auctoritatem habere, ut in philosophia igionis ostendimus. Porro quum novatores erum hominis arbitrium impudenter impuire ausi sunt, ecclesia eorum sententias anamate damnavit, eas scilicet falsas, & chrinæ fidei contrarias declaravit.

n sancta Tridentina Synodo *Ecclesia congrea* Calvini, & Lutheri errores de libero arrio damnans hæc protulit: *Si quis dixerit rum hominis arbitrium a Deo motum, & itatum nihil cooperari assentiendo Deo exciti, atque vocanti... neque posse dissentire, elit, ... anathema sit*. Sef. 6. can. 4.

Hoc ecclesiæ in concilio congregatæ judim errores proscribens, veritates statuit, ut i ostendimus. Quid ergo nos docent statuhæ veritates, nisi homini esse *veram pote-*

statem

statem gratiæ divinæ consentiendi, vel resistendi, adeoque veram libertatem?

Huic ecclesiæ congregatæ judicio conformis est altera *ecclesiæ dispersæ* decisio, qua heterodoxam hanc propositionem ut hæreticam damnat, & anathemate proscribit: *In statu naturæ lapsæ ad merendum, & demerendum in homine non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*

Ex infallibili catholicæ ecclesiæ judicio, quæ non minus Christi ecclesia est quum dispersa est, quam quum congregata, propositio hæc est hæretica; ergo ejus contradictoria vera est, & catholica.

Consentit ergo infallibilis ecclesiæ catholicæ auctoritas & sensus intimi testimonio, & rationi, & universi humani generis suffragiis in libertatis nostræ existentia asserenda, atque testanda. Q. E. D.

OBJECTIONES SOLVENDÆ.

Præcipua in humanam libertatem recentiorum fatalistarum argumenta falsis ideis innixa sunt, quas sibi fingunt experimentalis sensus, naturæ libertatis, præscientiæ Dei, impossibilitatis electionis, judicii practici, virium gratiæ, & concupiscentiæ, propensionis in majus bonum, quarundam scripturæ, & sanctorum patrum locutionum. Hæc modo persequemur.

FALSÆ IDEÆ SENSUS EXPERIMENTALIS.

1118. OBJECTIO I. Sensus experimentalis ad probandam libertatem assumptus, illam nequaquam probat. Plures enim tum recentiores philosophi magni nominis, qui æque ac nos, ac ceteri homines experimentali sensu pollebant, definitiones libertatis protulerunt, quæ

fa-

um, seu rerum, & eventuum necessitatem non cludunt.

Exempli gratia, apud Græcos, & Romanos)ici, apud Hebræos Pharisæi, & Essenii fa-istæ erant, & tamen libertatem quamdam nittebant, quam statuebant in voluntatis ad-sione causis, a quibus ad agendum, vel ad ı agendum movetur. Pari modo Lutheri, Galvini asseclæ sunt fatalistæ; & tamen li-tatem quandam admittunt, quam statuunt *potentia passiva* humanæ voluntatis, ut a tia, aut a concupiscentia ad bonum, aut ad lum determinetur, & necessitetur (1107). ʖontra vero Saducæi apud Hebreos, Epicur-i apud Græcos, & Romanos, etsi materia-æ, non tamen erant fatalistæ. Veram ipsi ertatem admittebant, quæ qua ratione cum um principiis stare possit, ipsi viderint.

Quare sensus experimentalis libertatis existen-m solide non probat; datur enim hic sensus ım in illis, quorum sententia libertatem :ludit. Idem dici potest de universi humani ıeris suffragiis.

RESPONSIO. *Sensus experimentalis* homi-; docet, se esse liberos, ut docet illos, se stere, quocumque modo propriam existen-m, & libertatem definiant. Neque magis uno, quam in altero ex his objectis decipi sunt, etsi utrumque perperam possint defi-ɜ, & a veritate facti, quæ sensus intimi ectum est, ad errores ratiocinii transire, nihil huic intimo sensui commune habent ;88).

. Factum est, actus nostros, quos liberos icamus, nobis liberos videri; prorsus ut no-liberi viderentur, si re ipsa agentes liberi :mus.

Quare sensus experimentalis libertatem no-m nobis demonstrat prorsus ut existentiam tram nobis demonstrat. Si in libertate sen-

sus

ſus hic nos decipere poteſt, quare in exiſtentia non decipiat?

II. Dederint philoſophi, ac theologi nonnulli libertatis definitiones fatum, aut neceſſitatom non excludentes. Hoc nihil ad rem.

Libertas eſt vera potentia agendi, aut non agendi, ſeſe determinandi, aut non determinandi. Hæc ejus vera definitio eſt. Quum fataliſtæ oſtenderint, homini hanc potentiam non ineſſe, aut hanc potentiam cum fato, aut neceſſitate ſtare poſſe, tunc victores erunt (1107).

III. Ex ideis, quas ſibi philoſophi, ac theologi nonnulli libertatis finxerunt, ſequatur in homine non dari libertatem. Eſto; æque hoc nihil ad rem.

Non quærimus quid nonnulli de libertate cogitaverint, conceſſerint, negaverint, aſſeruerint, impugnaverint. Quærimus quid de libertate verum ſit.

IV. Omni ætate homines ſe liberos ſenſerunt, & cenſuerunt; at non ſemper propriam libertatem recte definire, ejuſque theoriam cum ceteris apte conciliare noverunt.

Hinc in eorum principiis errores ſunt, & contradictiones, quæ contra libertatis exiſtentiam nihil probant.

1119. OBJECTIO II. Omnes hominis actiones, inquit Collinus, ad quatuor hæc genera referuntur; aut enim res vident, aut de iis judicant, aut illas volunt, aut quod volunt faciunt. Atqui experientia ullam ex his actionibus liberam eſſe non probat. Prima enim neceſſaria eſt, & ſequentis neceſſitatem trahit: hæc neceſſaria eſt, & tertiæ neceſſitatem trahit; atque hæc quoque quartæ neceſſitatem inducit (1093).

RESPONSIO. *Diviſio animæ humanæ* in potentiam concipientem, judicantem, volentem, agentem, ſi recte attendamus, ad hoc unice opportuna videtur, ut in quæſtione de liberta-

te

omnia sus deque misceantur; videtur enim anima quatuor distincta ponere, quæ distin- non sunt. Anima humana principium est plex, atque unicum aliquando activum, ali- ndo non item, in aliquibus actionibus li- um, non in omnibus (1051, & 1154).

. *Res videre* est earum perceptionem habe- est earum ideam, vel sensationem admittere. n hoc ut plurimum anima humana passiva , & libertate caret; non enim semper in s potestate est has, vel illas ideas, seu sen- ones habere, vel non habere.

At in hoc ipso aliquando libera est, atque iva; in ejus potestate siquidem est magis mi- que ad quas habet perceptiones attentionem ibere; ad alias perceptiones attentionem vertere, quæ primarum impressionem mi- re possent: motiva attrahentia, aut remo- tia a rebus, quarum perceptionem habet, icem comparare.

I. *De rebus judicare* est ut verum admitte- quod verum, ut bonum, quod bonum vide- ; aut ut falsum rejicere, quod falsum, & lum, quod malum videtur.

In hoc passim anima libertate caret; non m in sua potestare est, ut videat, quod non et, aut ut non videat quod videt.

At in hoc quoque aliquando vera gaudet li- tate; in sua enim aliquando potestate est licium suum suspendere ad res accuratius rpendendas (1160).

Judicium semper esse actio videtur, sive li- ra sit, sive necessaria; hoc enim judicium nper continet internum animæ assensum, t dissensum; porro hic assensus, vel dissen- semper aliquid importare videtur præter pressionem a rebus ortam, quæ ejus objectum nt.

III. *Res velle* est earum existentiam, vel non istentiam determinare. In hoc anima huma-

na

na semper activa est; semper enim volitionem suam ipsa producit; & nunc libera est, quum volitio hæc, nulla re animam necessitante, ab ipsa elicitur.

IV. *Facere quod volumus* non est actio a rerum volitione distincta: anima siquidem non nisi sua voluntate agit: ipsi vero velle, & agere unum, & idem est.

Potentia faciendi quod volumus, nosmet ipsos a nobis determinandi ad quod volumus, & ut volumus, id est, quod *formaliter essentiam nostræ libertatis constituit;* porro de hac potentia in nobis existente ita certi sumus, ut de propria existentia certi sumus.

Inter rerum perceptionem, & eorum, quæ volumus effectionem media intercedit animæ actio, quæ ejus volitio, sive determinatio est. A rerum perceptione determinatio non emanat, at a determinatione id emanat, quod hic dicitur: facere quod volumus.

V. Quare anima humana, principium natura simplex, atque unicum, res videt, & de iis judicat, modo libere, modo sine libertate. Postea sese determinat; atque hoc aliquando necessitate facit; & semper libere facit, quum sensus intimus libere hoc fieri dicit.

Clarkius libertatem in *activa animæ potentia* indistincte, & nulla limitatione statuens; & ut liberum habens actum quemvis a voluntate emanantem, animæ determinationem quamcumque, volitionem omnem ab anima elicitam, magis tenebras, quam lucem in quæstionem de libertate invexit (1093, 1099, 1106).

1120. OBJECTIO III. Experientia, pergit Collinus, non modo nos agentia libera esse non docet, imo *agentia necessaria* nos esse ostendit. Hoc enim experientia testatur, hominem scilicet quovis vitæ suæ tempore invincibiliter determinari a circumstantiis, in quibus est, a causis ipsum moventibus, a cogni-

tio-

tionibus, quibus ejus mens illustratur, ut eam ipsam actionem, quam facit, faciat; quin aliam facere possit.

Qui vero libertatem ab experientia statutam, & demonstratam esse contendunt, adhuc concedunt, voluntatem semper *intellectus judicium* sequi; hominem semper in se efficaciter a motivis actu in ipsum agentibus determinari; & in quavis circumstantia id semper infallibiliter facere, quod tunc opportunum, aut rationi consonum judicat. Unde sequitur, hominem *sub motivis agendi* illi ab intellectu propositis semper re ipsa ita necessitari ad determinationem, quam capit, ad actionem, quam efficit, ut gladius, aut ensis necessitatus est sub impulsione manus, a qua distringitur, & movetur.

RESPONSIO. Sensus experimentalis nos docet, nobisque testatur, nos sæpius propensionibus, ac desideriis nostris resistere; & quum resistimus *veram* habere *potestatem* iis obsecundandi.

Quare evidens est, nos esse *agentia libera*; & quidquid hic in libertatem obtruditur, non nisi errorum, & sophismatum congeriem esse posse.

I. Quid enim primo intelligunt, quum dicunt, hominem semper a circumstantiis, in quibus est, a causis in ipsum agentibus determinari? Circumstantiæ hæ, causæ hæ illi sese determinandi occasionem præbent; non tamen sunt suæ determinationis causa physica, & efficiens.

Nisi heri cum iis sociis fuissem, nisi me illi ad ludendum provocassent, me ad ludendum non determinassem; at hæc determinatio a me ipso capta fuit, & in me producta a mea *potentia sese determinante*; non ab his sociis, aut ab hac invitatione.

II. Quid deinde intelligunt, quum dicunt, voluntatem semper intellectus judicium sequi? judi-

judicium intellectus *potentiam ſeſe determinantem* illuminat, non conſtituit.

Poſtquam judicavi, mihi in datis circumſtantiis ita agendum eſſe, memet re ipſa ad ita agendum determino. At memet ita determinans ſentio, me *veram potentiam* habere, memet ad alia ratione agendum determinandi. Memet ergo ad ita agendum determinans re ipſa liber ſum.

Quod homo ſemper quovis vitæ ſuæ tempore id agat, quod tunc opportunum, aut rationi conſonum cenſet, non probat, neceſſitatem eſſe, ut id agat. Haberi poteſt *concomitantia* inter judicium opportunitatis, aut rationis rei faciendæ, & rem ipſam, quæ opportuna, aut rationi conſona judicatur, faciendam; quin hæc concomitantia probet, *nexum phyſicum, & neceſſarium* inter judicium, & actionem intercedere.

Supponamus in aliquo ente rationis participe *perfectam libertatem*, quæ neque tenebris ullis, neque affectuum impulſibus vel minimum obnoxia ſit, & ſit veluti divinæ libertatis imago. Ens hoc in quavis vitæ ſuæ circumſtantia id aget ſemper, quod opportunum, & rationi conſentaneum judicabit. Quare quod quis ſemper id faciat, quod opportunum, & rationi conſonum cenſet, nullo pacto probat, hunc *potentia phyſica* aliud faciendi carere.

III. Quid tandem intelligunt, quum dicunt, hominem in quavis vitæ circumſtantia ad agendum invincibiliter determinari ab *agendi motivis* illi ab intellectu propoſitis?

An fortaſſe, motiva hæc agendi eſſe determinationis, & actionis ſuæ cauſam efficientem? hoc eſſet præpoſtere aſſerere, *notiones abſtractas* eſſe cauſas efficientes, adeoque ſubſtantias activas (239, 240).

An fortaſſe motiva hæc agendi eſſe determinationis, & actionis ſuæ occaſionem? Hoc damus,

mus, modo inter motiva, & actionem influxus physicus, & necessitans non statuatur.

An fortasse, quum homo ad agendum sese ex his motivis determinat, fieri non posse, quin agat ex his motivis? Verum dicetur, sed quid ineptum dicetur; tunc enim nihil aliud dicitur, nisi fieri non posse, quin homo rem faciat, quum illam facere supponitur. Atqui huc tandem spectant excogitationes omnes philosophorum fatalistarum, qui postremis hisce temporibus adeo in *judicio practico* exultarunt, cui necessitantem influxum tribuunt in actionem, quæ illud sequitur, & ab eo pendet.

Si enim eorum idea apte evolvatur, apparebit, omnia putida æquivocatione inniti, in qua perpetuo confundunt *postremam intellectus functionem*, quæ ut plurimum passiva est, & non libera, *cum prima potentiæ sese determinantis functione*, quæ ipsa est actus liber, apparebit, eos in sophistica sua declamatione tantum inepte dicere, fieri non posse, quin homo rem faciat, quum eam facere supponitur.

1121. NOTA. Quum demonstramus voluntatis determinationem a judicio intellectus minime necessitari, intelligimus ne cum Clarkio, voluntatem semper ab omni intrinseca necessitate essentialiter immunem esse; sive hominem in quavis circumstantia, & in quovis statu semper esse intrinsece liberum? Non ita sane. Homo liber non est, nisi quando *veram potentiam* habet agendi, aut non agendi, sese determinandi, vel non determinandi pro voluntate, atque electione sua.

I. Contingere potest, imo re ipsa contingit, in pluribus vitæ casibus hominem facultatem non habere se ad aliquid determinandi, aut non determinandi; *determinate ad aliquid trahi*, non jam physico cognitionum suarum, aut judicii intellectus influxu, sed *physica* suæ voluntatis *inclinatione*.

Hoc homini contingit in infantia ante ratio-

tionis usum. Hoc homini adulto contingeret, si res non perciperet nisi sub ratione boni vel sub ratione mali. Hoc homini contingit sive in infantia, sive extra infantiam sub his spontaneis voluntatis suæ motibus, qui in ipso illos non intendente enascuntur. Hoc homini contingeret sub impulsu supernaturali, quem illi Deus indere posset; & qui tunc suarum potentiarum affectivarum modificatio evadens illum ad aliquid determinate irresistibiliter traheret, nulla illi relicta potestate, qua hanc tractionem, & determinationem impedire possit.

II. At ex eo, quod homo in omnibus non sit semper liber, non sequitur, illum esse in omnibus agens necessarium. Quod homo in aliqua sua determinatione necessitetur, aut necessitari possit, non probat, illum & in iis determinationibus necessitari, quas ipse a sua voluntate, & electione pendere sentit, ac liberas esse: porro hic ipse est quæstionis status.

III. Homo postquam sibi ab intellectu proposita percepit, postquam agendi, aut non agendi, aliquid faciendi, vel non faciendi rationes, & motiva perpendit, *nondum ipse suam libertatem exercuit*. Hanc re ipsa non exercet, nisi quum activa voluntatis suæ vi eligit, & se determinat id facere, vel non facere, quod illi ab intellectu proponitur.

In hac determinatione *exercitii libertatis* principium, & finis est. Si hæc determinatio ab ipso pendeat, liber est, si in sua potestate ista non sit, non est liber.

FALSÆ LIBERTATIS IDEÆ.

1122. OBJECTIO IV. Libertas, inquit Collinus, cum natura entis rationalis stare non posse videtur. Quænam enim in homine ratio esset, si posset ut verum admittere quod falsum est, aut ut bonum quod malum est, posito intel-

tellectus lumine, juxta illud nec judicare, nec agere; si posset, exempli gratia, bonum videns, malum eligere, aut pejus amplecti, quum melius possit? Quænam in homine ratio esset, si posset, ut libertatis, seu activæ indifferentiæ notio postulat, ad bonum, & ad malum indifferens esse, ad voluptatem, & ad dolorem? Quid tunc valeant pœnæ, aut præmia a quavis legislatione proposita, si ad hæc homines indifferentes essent?

Patet, pœnas, & præmia non fore media ad legislationem tuendam opportuna, nisi homines a pœnis, & præmiis propositis moverentur, & determinarentur; & perniciosam libertatem haberent, qua potius miseros se esse vellent, quam beatos. Hujusmodi libertas non jam naturæ perfectio esset, & bonum; imo vitium esset, & damnum; hominem enim ad malum potius, quam bonum eligendum exponeret.

RESPONSIO. Hæc objectio innumeris falsis suppositionibus innititur, quarum inanitatem ostendere pronum est.

I. Supponitur primum, *libertatis ideam* includere potentiam admittendi ut verum, quod falsum est, aut ut bonum, quod malum. At quæso, quo hæc suppositio innititur? nihilo, nisi errore sane palmari.

Falsa, quæ confingitur, libertatis idea ex eo enascitur, quod judicandi facultas cum sese determinandi facultate confundatur. In hac est libertatis sedes, non in illa.

II. Supponitur deinde, libertatem esse indifferentiam inclinationis, non *indifferentiam determinationis* inter bonum, & malum ab intellectu propositum; qui adhuc gravis est error.

Ferme ἀδυνατον, maxime rarum saltem est, voluntatem ad duo objecta æque inclinari, quæ illi ab intellectu proponantur. At fieri omnino potest, nec rarum est, voluntatem, postquam

illi duo objecta intellectus obtulit, *veram potestatem* habere sese suis viribus determinandi ad unum potius, quam ad aliud; & quod lubet eligendo, sese ad illud determinandi ad quod magis, vel ad quod minus inclinatur; ut quamprimum explicabimus.

In hoc igitur statu *veram* habet voluntas *determinationis indifferentiam*; potest enim quam vult determinationem capere, & sibi inferre; a se enim æque eligere potest, & ferri in id, ad quod magis inclinatur, aut in id, ad quod minus propendet.

III. Supponitur tertio, quum de pœnis, & præmiis agitur a quavis sive divina, sive humana legislatione propositis, libertatem, sive agendi, & non agendi facultatem essentialiter excludere *omnem* rationum, & motivorum agendi, vel non agendi *considerationem*: hominem, ut agens liberum sit, sive ut veram habeat agendi, & non agendi facultatem, necessario esse debere, instar automatis, indifferentem ad voluptatem, & ad dolorem, ad unum, aut ad oppositum: quod sane maxime absurdum est.

Idea agentis liberi veram infert agendi, & non agendi facultatem, veram ad actionem, & ad non actionem activam indifferentiam; at neque si sanæ metaphysicæ, neque si probatæ dialecticæ stemus, aut insensibilitatem infert ad voluptatem, & ad dolorem, aut propensionis indifferentiam ad ea, inter quæ seligit, aut rationum, aut motivorum neglectum, quæ ad agendum, vel non agendum habeantur. Determinatio ex rationibus, & motivis sumpta, quæ agere, aut non agere suadent, tutior est, & sapientior; & si his motivis, hisque rationibus non obstantibus, oppositam cœpisti, non propterea minus liber es.

IV. Tandem supponitur, libertatem, ut detur, esse debere quid bonum, & melior ipsa, quam

quam non ipsa. Sit libertas perfectio, & bonum, aut secus; hoc nihil ad rem. Non enim quæritur utilius ne homini fuerit libertate carere, at quæritur num illa gaudeat; atqui omnia ostendunt, illum liberum esse: quare quidquid incommodorum ex ejus bene statuta, ac demonstrata libertate inferas, ejus libertatis existentiam non infirmabis.

1123. OBJECTIO V. Omnes hominis actiones initium habent: quidquid initium habet causam habet; atqui causa omnis est necessaria; ceterum causæ ad effectum relatio non daretur.

RESPONSIO. Argumenti hujus sophisma omnino versatur in illo termino *causa necessaria*. Quare ostendendum est qua ratione, quove sensu homo sit causa necessaria, quo non sit.

I. Causa omnis necessaria est hoc sensu, quod causa omnis completa, & efficiens quum operari supponitur, necessario *effectum* producit, cujus tunc illa est causa completa. In hoc sensu *necessitas* effectum productum afficit, non causam producentem.

Plenam nunc habeo aut incedendi, aut sedendi potestatem: in hoc sum causa libera; nihil enim in hoc me necessitat. Sed si me ad incedendum libere determino, ex hac libera determinatione orietur *motus in se necessarius*; causa enim libera quum completa est, & ad actionem applicata effectum suum sortiri debet ita re ipsa efficaciter, ac causa necessaria.

II. At quivis *effectus necessarius* non semper causam necessariam supponit; neque enim repugnat causa libera, quæ sese a se ipsa determinet ad actionem, quin ab ulla alia causa ad actionem necessitetur, aut determinetur: porro hujusmodi est homo in actionibus suis liberis.

FALSÆ IDEÆ DE DIVINA PRÆSCIENTIA.

„ 1124. OBJECTIO VI. Libertas, inquit „ Collinus, cum divina præſcientia ſtare ne„ quit. Si Deus enim rei alicujus exiſtentiam „ prænoſcit quatenus a propriis cauſis penden„ tem; non minus neceſſaria eſt hæc exiſten„ tia, quam ſi ſui decreti effectus eſſet: æque „ enim contradictionem implicat, cauſas effe„ ctum ſuum non producere, ac eventum a „ Deo decretum non contingere".

RESPONSIO. Fuſius jam oſtendimus, *qua ratione divina præſcientia nihil humanæ libertati officiat*; ſperamus quoque magnum hoc argumentum ea omni philoſophica claritate, ac rationum ſoliditate pertractaſſe, quam illud admittere poſſit (1011, 1014, 1017).

Hic igitur tantum peculiare hujus objectionis ſophiſma breviter ventilabimus.

I. Ut fataliſta philoſophus probet, homines eſſe cauſas neceſſarias, videtur ſupponere, inepta petitione principii, homines eſſe *cauſas neceſſarias*; per ipſum enim Deus futura non cognoſcit, niſi quatenus a propriis cauſis pendent; neque illa ut a propriis cauſis pendentia noſcere poſſet, niſi cauſæ illæ eſſent neceſſariæ. In hoc caſu objectionis ratiocinium putidum ſophiſma eſt (738).

II. Si fataliſta philoſophus non ſupponit homines eſſe cauſas neceſſarias; adhuc minus concludens eſt ejus ratiocinium; tunc enim quod ſtatuere vult nec ſupponitur, nec probatur. Niſi enim ſupponat, hominum actiones eſſe a cauſis neceſſariis, poſſum ego contra ipſum ſupponere, illas eſſe a *cauſis liberis*. Si vero a cauſis liberis eſſe ſupponantur, probare invicte debet, *Dei præſcientiam illas reddere neceſſarias*.

At enimvero hoc ipſum eſt, quod ille ne-

quâ-

quaquam probat, imo quod omnino probari non potest. Hoc enim esset probare, actionem, quæ momento temporis libera supponitur, eodem ipso momento necessariam esse; atque hanc illi necessitatem induci ab extrinseca prævisione illam, ut est, adeoque liberam referente.

FALSÆ DELECTUS IDEÆ.

1125. OBJECTIO VII. *Delectus impossibilitas* libertatem non dari invicte probat. Ut homo liber sit, debet ejus voluntas inter bona sibi ab intellectu proposita eligere posse. At voluntas ita eligere nequit:

Bona enim ab intellectu voluntati proposita vel inter se æqualia sunt, vel inæqualia. Si *æqualia*; voluntas libero, & rationabili delectu alterutrum præferre nequit; æqualitas enim quæ in illis supponitur, omnem prælationis rationem excludit. Si *inæqualia*; voluntas a majori trahi debet; quum enim ipsa necessario bonum amet, potiori ratione majus bonum amare debet.

RESPONSIO. Voluntas nostra, sive illa animæ potentia, qua bonum amamus, malum odio habemus, objectum ullum prosequi nequit, in quo nulla sit *ratio boni*, seu veri, sive apparentis. At quoque *vel minima ratio mali*, seu veri, sive apparentis in hoc eodem objecto satis est, ut illud voluntas aversari, & rejicere possit.

Quare *minus bonum* in objecto satis esse potest, ut, saltem aliquo tempore voluntas in illud prosecutive feratur, & illud eligat; hæc enim ratio boni, quantumvis parva, ex iis rebus est, in quas potentiæ nostræ affectivæ feruntur.

At vero *majus bonum* in hoc eodem objecto necessario voluntatis delectum non trahit; propterea quia hæc ratio boni, quantumvis ma-

gna supponatur, semper in præsenti rerum statu alicui mali sive veri, sive apparentis rationi conjuncta est, quod potentiis nostris affectivis oblatum, potest ipsis esse verum motivum retrahens, earum propensionibus oppositum, & vera ex hac parte aversionis, aut indifferentiæ causa.

Potest igitur voluntas nostra seligere inter duo bona æqualia, & inter duo inæqualia, quorum neutrum ab aliqua seu veri, sive apparentis mali ratione sejunctum est.

1126. EXPLICATIO I. *Humana voluntas inter duo bona perfecte æqualia seligere potest.*

Si enim hinc numum aureum A mihi proferas, illinc numum aureum B omnino similem, aut ita similem saltem, ut nullam inter eos diversitatem deprehendam, aut, si mavis, nullam alterutrum præferendi rationem; sentio, me posse alterutrum pro libito eligere. Porro delectus hic non prælationis erit, sed *libidinis delectus* erit, qui meam libertatem supponit, ac indicat.

Si voluntas mea *potentia* esset *tantum passiva*, ut nonnulli recentiores philosophi perperam contenderunt, evidens est, in facta modo hypothesi, voluntatem meam ab æqualibus bonis in diversa distractam, veluti a duabus æqualibus viribus, alterutrum præferre non posse. Quamobrem huic hypothesi tum experientiæ, tum sensus intimi testimonium adversatur.

1127. EXPLICATIO II. *Voluntas humana inter duo inæqualia bona eligere potest;* sive hæc ejusdem speciei, sive diversæ supponantur.

I. Dico primo, voluntatem inter *duo bona ejusdem speciei inæqualia* eligere posse. Si enim mihi ejusdem speciei duo bona inæqualia proferas, puta numos duos, aureum unum, argenteum alterum, quæ in ratione boni sint ut octo ad unum; sentio me posse argenteum præ aureo capere; potest enim voluntas mea minori

ri bono, quod illi sufficit, esse contenta; & majori bono carere, quod suæ felicitati non est necessarium.

Numus argenteus aliquem valorem habet, adeoque *rationem boni*; adeoque rationem habet, qua seligi possit.

Numus aureus, etsi octies pluris valeat, non tamen infinitum habet valorem, adeoque nec *infinitam boni rationem*; hac igitur ratione, sive hac imperfectionis, seu mali ratione, rejici potest.

Majus bonum minori oppositum huic *rationem boni*, sive suam *boni qualitatem* non adimit. Habet ergo minus bonum etiam majori comparatum semper in se veram rationem boni, qua voluntati placere possit, atque illam ad eligendum movere; ipsa siquidem potentia activa est, quæ sese ipsa ut lubet determinat; & sæpius se ad unum potius, quam ad aliud objectum, una potius, quam alia ratione determinat, unice quia illi ita placet sese determinare, & libertatem suam exercere.

II. Dico deinde, voluntatem humanam *inter duo bona inæqualia diversa speciei* eligere posse. Si enim inter bona diversæ speciei mihi sit eligendum, puta inter præsentem voluptatem, & æternam beatitudinem; sentio me posse memet ipsum determinare ad voluptatem præsentem ratione boni præsentiæ suæ; & parum curare æternam beatitudinem ratione mali absentiæ, aut distantiæ suæ.

Possum ergo inter diversæ speciei bona seligere, quorum alterum infinite parvum est, at sensibile, & præsens; alterum infinite magnum, at sensibus impervium, & quod modo obtineri non potest.

1128. NOTA. In quovis bono, quod in hac vita anima nostra appetere possit, & *motiva attrahentia* sunt, quibus in nobis illud assequendi desiderium excitat; & *motiva retrahen-*

tia, quibus ab eo assequendo nos removet, aut saltem ad illud indifferentes reddit.

Exempli gratia, *bonum præsens*, *& sensibile* motivum attrahens habet in præsenti voluptate, quam parit; motivum vero retrahens in ineptitudinem ad plenam, perpetuamque felicitatem procreandam.

Bona æterna, *& insensibilia*, cujusmodi sunt quæ nobis a fide in cælesti patria promittuntur, motivum attrahens habent felicitatis nobis paratæ plenitudinem, & perpetuitatem; motivum vero retrahens objecti insensibilitatem, illud possidendi dilationem, difficultates superandas, ut illud consequamur.

Inter diversas has bonorum species anima nostra libera est, quorum nullum illam necessario trahit, & inter quæ pro libito eligere potest; singula enim ipsi motiva exhibent & attrahentia, & retrahentia, rationes scilicet boni, & mali.

FALSÆ IDEÆ JUDICII PRACTICI.

1129. OBJECTIO VIII. Voluntatis determinatio semper a præcedente, & illam producente judicio intellectus necessitatur. Hoc *judicium practicum* in se liberum non est, & semper cum objecto suo, quod est actio, vel non actio, necessario connexum est.

Exempli gratia, vir militatis ad duellum provocetur; si ad acceptandum se determinat; hoc ideo est, quia tunc judicat duelli acceptationem bonum esse recusationi præferendum; ceterum, non acceptaret. Si ad non acceptandum se determinat, ideo est, quia tunc judicat, recusationem bonum esse acceptationi præferendum; ceterum acceptcret.

Quare quidquid decernat militaris vir ad duellum provocatus, determinationem habet non liberam, sed necessariam; est enim *effectus*

necessarius judicii practici, quod non habere non est in ejus potestate. Potest ne siquidem ille alias ideas habere, & alias cognitiones, quam quas habet? atque cum his potest ne aliter judicare, ac judicat? atque ita judicans potest ne aliam determinationem capere, quam eam, quam capit?

Patet, idem dici posse de ambitioso, de voluptuoso, de avaro, ac de ceteris in actione quavis ex iis, quas nos liberas appellamus, adeoque actiones has omnes a *judicio practico* eas præcedente, & producente *necessitari*.

RESPONSIO. Argumentum hoc magno animi œstro post Collinum urgent & promovent celebres philosophi duo, qui ad hoc nati videntur, ut ætate hac nostra ostendant quo usque ingenii acumen, & libido efferri possit. At re ipsa purum sophisma est, quod quævis recta mens sentit tunc etiam, quum illud solvere non valet.

Hujus sophismatis genericam quandam, & præviam notionem dedimus, quum ostendimus, *judicium practicum* terminum esse æquivocum modo significantem *postremam intellectus functionem*, modo *primam functionem potentiæ sese determinantis*: quæ duo apte distinguenda sunt, & quibus distinctis objectio cadit (1120).

Ut totam hanc objectionem sophisma esse ostendamus, in ipso ejus exemplo illam ad analysim breviter revocemus.

I. Non potest vir militaris alias habere cognitiones, quam quas habet; at iis omnibus, quas habet, apte uti potest.

Ab ejus voluntate pendet, antequam ad acceptandum vel recusandum se determinet deliberare, & animadvertere quid illi in tali discrimine faciendum sit; principia rationis, & religionis sibi impressa, & duellum acceptare vetantia comparare potest cum falsi honoris principiis, quæ non nisi barbaro, & fero præjudi-

cio innituntur, & quibus duellum acceptandum præcipitur: potest intellectu perpendere quid boni, quid mali, quid utilitatis, quid incommodi ab impia pugna, quam meditatur, illi obveniet.

II. Hac facta discussione evidenter possibili, & libera, ab hujus hominis voluntate pendet, ut pro libito sese determinet aut ad bonum, quod in duello percipit, aut ad bonum, quod in duello non acceptando quoque percipit.

Duo hæc opposita rationes habent singula boni, & mali, motiva habent tum attrahentia, tum removentia; neutrum voluntatem hominis hujus necessitat, quæ determinationis suæ domina perseverat (1127).

III. Quum demum hic se ad alterutrum determinat, puta, ad duellum acceptandum, interius judicat ex suis cognitionibus, & ex suo res percipiendi modo, non jam *opus esse* necessario duellum acceptare, sed se *velle* libere duellum acceptare; quod sane admodum diversum est, & in quo totus sophismatis dolus latet.

Quum determinationem capit, a qua duellum sequitur, videt, & sentit, se veram potentiam habere determinationem capiendi, a qua duellum non sequeretur; est ergo liber etiam sub judicio practico, a quo se ad duellum determinat. Quod vult facit duellum acceptans; at sentit, se quod voluisset facere potuisse etiam duellum non acceptando.

1130. NOTA I. Quod de duello diximus de quavis alia libera determinatione dici potest, in qua confligunt *motiva naturalis affectus*, & *motiva obligationis*. Quare responsio hæc generica est, & cuivis actioni accommodari potest, in qua motiva attrahentia sint, & retrahentia, quæ intellectus perpendere possit, & ex quibus voluntas se determinet.

I. Ho-

I. Homo, qui pravis affectibus obsistit *suam facit voluntatem* sese ad actum honestum, & virtuti consentaneum determinans ex motivis, quæ non esse pravus affectus cuperet, quæ tamen sua voluntas magni facit; etsi maxime vehementibus naturæ propensionibus adversentur.

II. Homo pravo alicui affectui obsecundans *suam facit voluntatem*, libere se ad actum pravum determinans motivis pravo affectui faventibus, quæ tamen ratio improbat, atque condemnat: quibus obsequitur quidem, at quibus se resistere posse, & debere sentit.

Primus virtutem sequitur, & præmium meretur; *vult* enim obsequium legi propriis affectibus præferre: alter reus est, *vult* enim pravos affectus obsequio legi debito præferre.

III. Uterque ex iudicio practico bene, vel male agens æque sentit se actu in se habere *veram potentiam* agendi prorsus oppositum; sive quum voluntas proprios affectus legi, sive quum legem propriis affectibus præfert. Uterque ergo intime sentit (quodnam vero sensu intimo certius testimonium?) *se libertatem habere quum eam exercet*; se liberum esse libertate indifferentiæ tunc quoque, quum se determinat ex intellectus cognitionibus, quod ejus judicium practicum est.

IV. Homo in genere semper liber est sub ipso quoque *judicio practico* in actione vel elicita, vel omissa, facienda, aut omittenda; quum omnino ab ejus voluntate fuit, ut talis actio sive bona, sive mala, existeret, aut non existeret.

1131. NOTA II. Si vir robustus, cui resistere nequeo, me invito meum brachium cogit ad actum in se pravum, reus non sum: si vero vir eloquens me suadentibus verbis ad eundem actum perpetrandum inducit, reus sum. Undenam hoc discrimen, quum uterque mihi libertatem eripere videatur; primus quidem vi

mechanica sui corporis, alter vi persuasiva animæ suæ?

Discrimen est, quod in primo casu libertate careo in actu, ad quem cogor; frustra enim obnitor, ne faciam. Contra vero in secundo adhuc liber sum in actu, ad quem sollicitor, non cogor.

In primo casu actio a mea voluntate non est, quum invita voluntate mea fiat. In altero actio a mea voluntate est; non enim existeret, nisi voluntas mea determinationem caperet, a qua ejus existentia pendet.

1132. OBJECTIO IX. Si *voluntatis determinatio* ab intellectus cognitionibus non necessitatur, sequitur, hominem agere posse, quum omnes sui intellectus cognitiones innuent illi ne agat: & non agere, quum omnes hæ cognitiones innuent, agendum esse. Si ergo hoc fieri potest, factum esse supponamus. Supponamus, inquam, hominem se libere ad agendum determinare, quum omnes sui intellectus cognitiones illi innuant, agendum non esse. Tunc evidens est, hominem fore ens omnino ratione carens; & si homo agere potest contra rationis lumen, & si in hoc libertas sita est, humana libertas jam non est, nisi potentia ratione abutendi, adeoque absurda.

RESPONSIO. Sophisma argumenti est primo, quod confunditur *potentia sapienter agendi* cum *simplici potentia agendi*; deinde quod confundantur rationes, quas *volumus* sequi, cum rationibus, quas *deberemus* sequi. Duplicem hanc ab objectione æquivocationem deme.

I. Alibi monuimus, intellectus munus esse activam hominis potentiam illustrare, non constituere. Vis ergo hominis activa natura sua ab intellectus luminibus non dependet: potest ergo æque in actione non dependere (1101, & 1102).

Sapiens sapienter agere nequit, nisi intelle-
ctus

ctus lumen sequatur. At quum homini essentiale non sit semper in omnibus sapientem esse, homo contra intellectus lumina agere poterit. *Vera agendi potentia* igitur in homine ad sapienter elicitas actiones non limitatur.

Duplex in homine *agendi motivum* datur, ratio scilicet, & affectus. Ratio id innuit, quod agendum, aut omittendum est: at sæpius affectus ad id faciendum inclinant, quod ratio vetat, aut ad id omittendum, quod ratio præcipit. Quum vero eligere possit homo inter objectum a ratione probatum, & objectum ab affectibus appetitum, potest ipse ad quod magis libet sese determinare. Si ad objectum a ratione probatum sese determinat, libere, & sapienter agit; si ad objectum sese determinat ab affectibus appetitum, & a ratione reprobatum, libere quidem agit, at non sapienter.

Hinc in poetarum elegantissimo, & maxime molli inclamat sensus intimus in absurdum cognitionum necessitantium systema. Id vult affectus, quod ratio improbat: in hoc conflictu bonum video, malum ago; melius probo, ad pejus ire determino. *Aliudque cupido, Mens aliud suadet: video meliora, proboque; deteriora sequor.*

II. Homo necessario ad bonum, cognitum ut bonum, inclinatur; at non semper inclinatione ad bonum, cognitum ut bonum, necessitatur. Quare valde diversum est, necessario inclinationem ad bonum habere, & *inclinationem necessariam* ad bonum habere. Hoc intrinsecam necessitatem dicit; illud ab hac præscindit.

Inter bona cognita, quæ affectivæ hominis potentiæ assequi possunt, alia a divinis, aut ab humanis legibus vetita sunt. Potest ergo homo necessario in potentiis suis affectivis intrinsecam inclinationem habere ad bona, quibus frui interdictum sit.

Si

Si intrinseca hæc inclinatio necessaria esset, sive necessitans, in his hominis libertas non esset: boni cognitio in intellectu inclinationem necessitantem ad hoc bonum in voluntate pareret.

III. At in præsenti naturæ nostræ statu, omne bonum cognitum *rationes* habet *boni*, & *mali*, motiva attrahentia, & retrahentia. Est ergo in bono quovis cognito, & ab intellectu proposito & aliquid, quod affectivæ voluntatis potentiæ aversari possunt, & aliquid, quod appetere possunt. Proinde voluntas ut lubet sese determinare potest; sæpius autem sese libere determinat ex iis intellectus luminibus, quæ sequi *vult*, aut cupit, contra ea lumina, quæ sane sentit se sequi *debere*.

FALSÆ GRATIÆ, ET CONCUPISCENTIÆ NOTIONES.

1133. OBJECTIO X. Hominem liberum asserere est statuere, quo usque in homine gratiæ cælestis, & terrenæ concupiscentiæ vires pertingere possint; vires, scilicet, incommodi animæ status, & pravorum affectuum. At vero quisnam hæc in se ipso noscere, & definire poterit? multo minus qui hoc in se non possit, in aliis poterit.

RESPONSIO. Quin cognoscam, & definiam quid in me gratia cælestis, & terrenæ concupiscentiæ, incommodi animæ status, pravi affectus possint; affirmare possum, me liberum esse, quum meæ libertatis sensum intimum habeo. Quare, si etiam in quibusdam circumstantiis non essem liber, dubitare nequeo, ne liber sim, quum me libere agere sentio. Atque hoc analogico udicio affirmare possum, quemlibet, qui ita se habeat, ut ego, quum me liberum sentio, libertate meæ simili gaudere.

I. For-

I. Fortasse sola ratio definire nequit, hominem semper sub gratia cælesti, & sub concupiscentia terrena liberum esse; neque enim magnorum horum liberæ voluntatis nostræ motorum intensitatem metiri potest.

At in hoc revelatio rationem supplevit; docet enim infallibili Dei testimonio, a quo ipsa certo procedit, gratiam omnem, & concupiscentiam omnem in se talem esse, cui resisti possit (1117).

II. *Incommodus animæ status* in nobis sensibilium bonorum desiderium, aut indigentiam excitat. Hinc *concupiscentia terrena*, quæ nihil aliud est, nisi hoc magis, minusque vehemens desiderium, hæc magis, minusve urgens indigentia, quæ ad magnum effervescentiæ gradum evecta *passio* nuncupatur.

At quoniam docet revelatio, concupiscentiam irresistibilem non esse, docet quoque incommodum animæ statum non esse irresistibilem; sive homini esse *veram potentiam* proximam, aut remotam resistendi inclinationi, desiderio, indigentiæ, passioni magis, minusve ad sensibilia objecta inclinanti, quibus gaudere illi interdictum est (1095).

III. Frustra dices, animam *in statu incommodo* vel invitam ferri in objecta, quæ appetit; hæc objecta vel invitæ diu, noctuque illi obversari; quibus donec careat bene habere nequeat, tædio, & mœstitia afficiatur, & discrucietur.

Probant hæc omnia, non jam animam in hoc statu *vera potentia* carere suis affectibus, & desideriis resistendi; sed tantum veram hanc potentiam in hoc statu, luctam, & pugnam, ut & ipsa sentit, postulare. Ratio vero invicta probans, animam habere, & se habere credere veram suis desideriis, & inclinationibus resistendi potestatem tunc quoque, quum illis obsecundat, est, quod sæpius ipsam pœnitet se

cu-

cupiditatibus suis obsecundasse eo vel ipso temporis momento, quo illis obsecundat.

Pœnitentia libertatem indicat. Absurdum enim est, pœnitere te non fecisse, quod facere nequibas, te id non vitasse, quod vitare non poteras. Quem unquam pœnituit, domum suam de cælo tactam fuisse, vineam grandine direptam? aut ostacula hisce infortuniis non opposuisse?

FALSÆ IDEÆ PROPENSIONIS IN MAJUS BONUM.

1134. OBJECTIO XI. Humana voluntas semper necessario ad bonum se determinat, quo magis afficitur, sive ad quod magis propensa est; ut notat, aut ut contendit Augustinus celebri illo textu. *Quod magis nos delectat, secundum id operemur necesse est.*

Ergo libertas humana sita tantum est in animæ *potentia passiva* majorem, vel minorem propensionem habendi ad diversa objecta ab intellectu cognita; & qua ab objecto magis alliciente trahi possit.

RESPONSIO. Alibi monuimus, ecclesiæ Patres duplici modo considerandos esse; nempe aut ex propria sententia philosophantes, aut ut dogmaticam christianæ fidei traditionem referentes; & utroque casu diversam esse eorum auctoritatem: quod in hac, & in sequenti objectione sedulo animadvertendum est (1092).

I. Sensu intimo noscimus, nos sæpe contra prædominantem appetitum agere & vehementissimis nostris cupiditatibus vim inferre. Evidens ergo est, aut Augustini assertum non satis accuratum esse, aut hujus asserti verum sensum non arripi: porro postremam hanc dilemmatis partem tuemur.

Quod certo probat, sanctum Doctorem non intendisse, humanam voluntatem semper necessario

cessario ad id, quod magis delectat sese determinare, est quod ipse asserit in suis confessionum libris, scilicet aliquando ea non fecisse, ad quæ multo vehementiori appetitu inclinabatur. *Non faciebam id, quod incomparabili affectu mihi magis placebat*. Lib. 1. cap. 3.

II. Quicumque celebris auctoritatis in objectione allatæ sensus sit, certum est, textum hunc, cui systema quoddam ab ecclesia proscriptum, atque anathemate damnatum totum innititur, non significare, humanam voluntatem semper necessario prædominantes suas inclinationes sequi: sensus enim intimus, ratio, ipse hujus textus auctor, infallibilis ecclesiæ tum collectæ, tum dispersæ auctoritas oppositum nos docent, nobisque testantur (1117).

III. Textus, de quo quæstio, cujus sensus valde ambiguus, & obscurus est, nihil aliud significare videtur, nisi *actus* nostros *externos* liberam voluntatis nostræ determinationem necessario sequi. Actus hi externi, nobis, si omnia considerentur, jucundiores censentur, quam eorum oppositi, vel eorum omissio: sese enim voluntas nostra libere determinat ad eos *praferendos* suis oppositis, aut eorum omissioni; ad eorum existentiam potius quam eorum omissionem, aut oppositorum existentiam volendam. *Libera* hæc *prælatio*, libera hæc determinatio, a qua actus externus necessario procedit: ipsa multo vero similiter est illud, *Quod magis delectat*, de quo hic sermo. Porro hoc in actu hoc externo, libere suo opposito, vel suæ omissioni prælato necessitatem tantum liberum nostrum arbitrium consequentem indicat.

IV. Si vero hic idem textus aliquam respicit ex internis nostris determinationibus, certum est, eas tantum respicere posse, quæ indeliberatæ sunt, quæ animadversionem præcedunt, & a spontaneis motibus enascuntur. Tunc vero scholastica illa omnibus nota distin-

ctio-

ctione excipi potest: *Secundum id operemur necesse est, quod nos magis delectat, delectatione indeliberata, concedo: delectatione deliberata, nego.*

FALSÆ IDEÆ DE QUIBUSDAM SACRORUM LIBRORUM ET SANCTORUM PATRUM LOCUTIONIBUS.

1135. OBJECTIO XII. Quamplurimæ ex sacris literis, ac præsertim ex Epistolis Divi Pauli, tum ex Sanctorum patrum, ac præsertim Augustini operibus fato faventes, & libertati infensæ locutiones proferri possunt. Non itaque, ut contenditur, certum est, humanam libertatem esse præcipuum catholicæ fidei dogma.

RESPONSIO. Certissimum est, liberum hominis arbitrium semper fuisse præcipuum fidei dogma tum Hebræorum, tum Christianorum, qui inspiratorum cælitus voluminum auctoritati innitebantur: ut nobis plenissime verbum Dei scriptum, & traditum testatur. Omnia, & in sacris litteris, & in Sanctorum patrum operibus liberum hominis arbitrium prædicant, atque præseferunt.

Quare si vel in scripturis; vel in sanctis patribus occurrant aliquæ *locutiones æquivocæ*, quæ universali ipsorum doctrinæ oppositæ videantur, hæ explicandæ, & ad veram significationem adducendæ sunt ex innumeris aliis locutionibus claris, atque perspicuis, quæ omnem de vera scripturæ, & patrum doctrina dubitationem adimunt. Ut vero omnes cavillationes præcaveantur, quæ in liberum arbitrium fieri possent ex locutionibus hisce perperam intellectis, satis erit tria de patrum doctrina hac in re animadvertre.

I. Originale peccatum ex sacrorum librorum & sanctorum patrum doctrina ita *concupiscentiam* ab bonum sensibile, & ad sensibilem vo-

Ipta-

luptatem in nobis auxit; ut *in hoc statu natura lapsa*, *& depravata* in plurimis circumstantiis impossibile nobis sit bonum præceptum operari, & malum vetitum vitare sine supernaturalis gratiæ auxilio.

Atqui de hac *absoluta gratia supernaturalis necessitate*, de hac præcepta omnia servandi impossibilitate sine gratiæ supernaturalis auxilio in statu naturæ lapsæ, & depravatæ loquuntur sancti Patres perniciosos Pelagii, & asseclarum errores impugnantes (1109).

At enimvero absolutam in statu naturæ lapsæ gratiæ supernaturalis necessitatem asserere, non sane est libertatem destruere, aut fatum admittere.

Exempli gratia, quum Divus Augustinus ait, *Adamum libero arbitrio peccantem, & se ipsum perdidisse, & liberum arbitrium*, docet Sanctus Doctor Pelagii discipulos, primum humani generis parentem libero suo arbitrio peccantem sibi, & posteris primitivam illam, quam habebat facultatem *in statu innocentia, & justitia originalis*, bonum faciendi, & malum vitandi solis naturæ suæ tunc perfectioris viribus amisisse: postea vero humanam voluntatem originali peccato vitiatam, atque corruptam gratiæ cælestis medela, & auxilio absolute indiguisse, ut *veram facultatem* plenam, atque completam haberet bonum operandi, quo mereretur, & malum vitandi, ad quod pravis inclinationibus vehementer trahitur (*a*).

II.

(a) *Quaso hac, & qua superius ab auctore nostro proferuntur benigno sensu intelligas, amice lector. Neque enim puto ejus sententiam esse, quod Adam in statu innocentia, & justitia originalis gratia talesti prorsus caruerit, & sine ullo ejus auxilio bonum operari potuerit; scire enim profecto debuit auctor noster qua Divi Augusti-*

II. Sancti Patres, qui non prævidebant fore, ut nonnulli suis locutionibus abuterentur, aliquando magnam difficultatem *necessitatem* vocant, & simplicem intrinsecam necessitatem *coactionem*. Nos quoque passim ita loquimur; & in familiaribus sermonibus accuratam dogmaticam præcisionem exigere iniquum esset.

Quare quum Sancti Patres in suis oratoriis operibus, quibus movere magis intendunt, quam docere, aliquando dicunt, *habitum peccandi fieri peccandi necessitatem*; non nisi moralem necessitatem intelligunt, aut intelligere possunt. Porro hæc tantum magna difficulas est vincenda, & quæ raro vincitur.

Pari modo, quum dicunt, *eum, qui non cogitur, liberum esse*, patet hac immunitate a coactione intelligere eos tantum immunitatem a necessitate; fatentur enim necessitatem aliquando in actibus internis voluntatis nostræ haberi posse; demonstratum vero est, coactionem in illis nunquam dari posse (1114, & 1116).

III. Per Sanctos Patres datur *libertas proxima*, & *libertas remota*. Prima deficiente, altera ad agendum satis est. Quare nonnullæ Sanctorum Patrum locutiones, quibus libertas generatim negari videtur, de proxima, & immediata libertate intelligendæ sunt; nec jam etiam remotam libertatem negant, sub qua actio

gustini etiam de Adamo in statu innocentiæ, & originalis justitiæ sententia fuerit; quum aperte dicat Sanctus Doctor, Adamum gratiam habuisse, & magnam gratiam. *Quare intelliget fortasse auctor noster, vires Adami ab ipsa gratia perfectiores factas fuisse, ut bonum hoc auxilio cælesti operaretur: nos vero ab originali peccato vitiatos, atque infirmatos validiori auxilio cælestis gratiæ indigere, ut bonum operari possimus & præcepta servantes æternam vitam promereri*. Interpres.

actio adhuc obtineri mediate potest (1105).

Ex his omnibus sequitur, in Patrum operibus quae locutiones aut aliquam videntur tribuere intrinsecam necessitatem actionibus, quas nos liberas dicimus, & ipsi nostrae voluntati; intelligendae sunt sive *de divina gratia necessitate*, sine qua in ordine supernaturali nihil possumus, sive *de necessitate morali*, quae tantum magnam difficultatem importat vincendam; sive *de proxima libertatis defectu*, qui per libertatem remotam tolli potest; sive *de naturali ad bonum in genere propensione*, quae naturae nostrae intrinseca est, & qua fit, ne ipsa res desiderare, & appetere possit, nisi sub aliqua ratione boni proponantur.



§. II.

HUMANAE LIBERTATIS COMPLEMENTA.

1136. DEFINITIO. *Humanae libertatis complementa* dicuntur auxilia quaedam sive naturalia, sive supernaturalia homini omnino necessaria, ut *veram*, & *completam agendi potentiam* habeat, & sine quibus humana libertas, quae essentialiter in hac vera & completa agendi potentia sita est, nulla esset.

Per theologos, ac philosophos omnes *gratia supernaturalis*, & *Dei concursus* duo unica sunt humanae libertatis complementa. Primum, gratia scilicet supernaturalis, non nisi ad opera supernaturalis ordinis homini est necessarium; alterum, concursus scilicet, ad opera tum supernaturalis, tum naturalis ordinis necessarium est. De utroque agere pergimus.

GRA-

GRATIA SUPERNATURALIS.

1137. OBSERVATIO. Vox iſta, *gratia* generatim explicat aliquid, quod conceditur, utile, & indebitum. Si enim deberetur, non jam gratia, ſed juſtitia eſſet. Inter gratias a Deo hominibus gratis datas plures ſpecies diſtinguuntur, quarum præcipuas indicabimus, ut ita facilius intelligatur quænam vere gratia ſit, de qua in quæſtione de libertate ſermo eſt; illa ſcilicet, quæ *potentiam agendi* complet in ordine ſupernaturali.

I. *Gratiæ* Dei dividi poſſunt in *gratias naturales*, quæ diverſa naturæ, & fortunæ dona complectuntur, cujuſmodi ſunt bona valetudo, ingenium, divitiæ, ea demum omnia, quę ad præſentis vitæ commoda ſpectant; & in *gratias ſupernaturales*, quæ omnia Dei beneficia ad futuram vitam, & ad æternam beatitudinem obtinendam impertita complectuntur.

II. In ordine ſupernaturali, & in iis, quæ ad æternam ſalutem obtinendam ſpectant, gratiæ cæleſtes dividi poſſunt *in gratias externas* quæ pro nobis dantur quidem, at in nobis non ſunt; cujuſmodi ſunt merita Chriſti, divinæ revelationis lumen, vera religio, miniſtrorum evangelicorum paterna vigilantia, & ſollicitudo, aliaque, hujuſmodi; & in *gratias internas*, quæ in nobis re ipſa exiſtunt; cujuſmodi ſunt lumen a Deo nobis infuſum, quo ad ſupernaturalium bonorum cognitionem intellectus noſter elevatur, motus illi ſuperni, quibus Deus voluntatem noſtram ad ſupernaturalia bona appetenda inclinat: cujuſmodi ſunt, ſeu tamquam actus, ſeu tamquam habitus, fides de ſupernaturalibus hiſce bonis, ſpes horum bonorum obtinendorum, charitas, ſive amor erga Deum horum bonorum auctorem, & largitorem.

III. Gratiæ iſtæ cæleſtes, & ſupernaturales, no-

nobiſque internæ dividi poſſunt in *gratias habituales*, quæ in nobis ſtabiles ſunt, & permanentes, cujuſmodi ſunt, aut eſſe poſſunt fides, ſpes, charitas; & in *gratias actuales*, quæ non ita in nobis permanentes ſunt, neque adſunt, niſi ut auxilia tranſitoria, ſive ut actus & impreſſiones tranſitoriæ; cujuſmodi ſunt inſpirationes quædam ſupernaturales, quæ nos mundi tædere, & ad Deum tendere faciunt; lumina quædam ſupernaturalia in intellectu, motus quidam ſupernaturales in voluntate; quæ cuncta nos ad malum vitandum, ad bonum operandum, & ad viam ſalutis tenendam inclinant.

Gratiæ internę, & ſupernaturales, actuales, vel habituales, omnes natura ſua, & Dei intentione ad *animam*, in qua ſunt, ſanctificandam ſunt deſtinatæ; at inter gratias has omnes in anima receptas una tantum eſt, quæ illam ſanctificat *formaliter*, & Deo *formaliter* gratam reddit: porro *gratia* hæc *ſanctificans* charitas eſt.

Gratiæ efficaces agendi poteſtatem dant, aut complent: gratiæ excitantes, & inefficaces illæ quoque hanc poteſtatem dant, aut complent. Primæ effectum ſemper conſequuntur, alteræ nunquam.

De hiſce tantum gratiis, *efficaci* ſcilicet, & *inefficaci* in quæſtione de libertate ſermo eſt.

1138. DEFINITIO. *Gratia ſupernaturalis* ſive efficax, ſive inefficax quæ ſalutariter *agendi potentiam* dat, aut complet, juxta omnes theologos eſt *lumen ſupernaturale* in intellectu, & *motus ſupernaturalis* in voluntate.

Ut lumen, bonum rerum ſalutarium intellectui indicat; ut motus, animam ad bonum rerum ſalutarium appetendum elevat, atque inclinat; ut utrumque, inviſibilium, & æternorum bonorum æſtimabilitatem noſcere facit.

1139. **NOTA I.** Cognitio hæc, atque apprehen-

hensio salutarium bonorum quum diversos gradus intensitatis admittat ad datum gradum crescere potest in anima, quam Deus supernaturaliter illuminat, & movet; & eo adduci potest, ut invisibilium, & æternorum bonorum privatio in ipsa *tædium* illi simile excitet, quod nimium sæpius terrenorum bonorum privatio creat (1095.

Hinc in anima ita a Deo illuminata, atque excitata oritur magis, minusque ardens æternorum bonorum desiderium, magis, minusque urgens indigentia; quæ illam a terrenis rebus avertens, ad cælestia summo affectu convertet.

Hinc in anima irrequietus quidam supernaturalis agitationis status illi similis, quem Paulus sentiebat, quum cælesti lumine illustratus, & a divina gratia impulsus terrenorum bonorum inanitatis pertæsus a perituri corporis carcere solvi tam vehementer exoptabat, ut ab hoc exilio liberatus Deo creatori, redemptori, ac sanctificatori suo, inexausto omnium bonorum fonti in cælesti patria æternum conjungi posset. *Quis separabit me de corpore mortis hujus! cupio dissolvi, & esse cum Christo.*

1140. NOTA II. Ratio aliquid nobis, etiam a revelatione non adjuta, de *gratiæ supernaturalis*, de qua sermo, necessitate, & possibilitate dicere potest.

I. Dicit nobis ratio, teste experientia, ut bonum desideremus, opus esse, ut illud cognoscamus, & ejus indigentiam sentiamus; juxta philosophicum axioma: *nihil volitum, quin præcognitum*; unde gratia supernaturalis necessaria ut supernaturalia appetamus.

Sine gratia supernaturali homo, qui acceptam fidem nondum amisit, poterit fortasse bonorum supernaturalium velleitatem aliquam habere. (1095).

At sine gratia supernaturali nunquam hoc *desiderium* habebit *satis ardens*, hanc *indigentiam*

tiam satis urgentem, sine quibus nec veram potentiam habere potest illa appetendi, nec veram potentiam arduos actus operandi, quibus illa promereri, & comparari debent (*a*).

II. Ratio dicit quoque ex idearum testimonio, Deum infinite potentem, & intelligentem necessario in inexaustis providentiæ suæ thesauris habere *infinitam cujusvis generis gratiarum supernaturalium supellectilem*, quibus semper, & bonorum supernaturalium cognitionem, & eorum voluntati desiderium impertiri potest (417).

Quare supernaturalium gratiarum cujusvis speciei possibilitas, & necessitas dogma est tum a revelatione, tum a ratione confirmatum.

1141. NOTA III. Ceteræ cognitiones de *supernaturali gratia* ferme omnes a sola revelatione proficiscuntur. Docet hæc:

I. In inexaustis divinæ providentiæ thesauris *gratias esse & efficaces*, *& inefficaces*; utrasque vero homini, cui Deus illas gratis impertitur, *veram potentiam* tribuere *salutariter operandi* (*b*).

II.

(a) *Imo nec facillimos actus operari poterit, modo supernaturaliter meritorii sint, cujusmodi esset orationem dominicam recitare, sine gratiæ calestis auxilio.* Interpres.

(b) *Veteres, & recentiores theologi, inquit cathechismus Monspessulanus, consentiunt omnes dari* gratias efficaces *ad bonum excitantes, & agendi potentiam tribuentes; quæ tamen ex voluntatis resistentia effectum, ad quem excitant, non consequantur: atque hæ gratiæ sunt, quas* sufficientes *dicunt.*

Gratiæ hæ efficaces *sunt quo ad potentiam complendam, non quo ad actum.*

At fortasse legendum inefficaces: *quo nomine passim a theologis vocantur.* Interpres.

II. *Nullam gratiam, ne efficacem quidem, natura sua irresistibilem esse*; & sub quavis gratia homini *veram potentiam* esse id faciendi, quod omittendum gratia suadet, id omittendi, ad quod faciendum gratia inclinat (1117).

III. *Homini gratiam a Deo nunquam deesse*; & quamvis homo in quibusdam terrenæ concupiscentiæ effervescentiis nequeat aliqua Dei præcepta implere sine gratiæ cælestis auxilio (*a*); potest tamen præcepta divina tum positiva, tum negativa re ipsa, & perfecte implere; potest enim semper, si velit, supernaturalem illam gratiam habere, qua horum præceptorum observantia illi re ipsa perfecte possibilis evadit (1105).

IV. *Posse quidem hominem se supernaturali gratia indignum non reddere*; *at nunquam posse illam vere, & proprie promereri*. Quare gratiæ istæ sive efficaces, sive inefficaces a Divini reparatoris meritis provenientes, homini quantumvis perfecto, cui conferuntur, semper gratuitum Dei donum sunt.

CONCURSUS DEI MEDIATUS, ET IMMEDIATUS. CONCURSUS MEDIATUS.

1142. DEFINITIO. *Concursus Dei mediatus* dicitur id omne, quod potentiam rei creatæ sive intelligentis, sive intellectu carentis efficit *perfecte aptam ad agendum*, antequam re ipsa agat; sive quidquid potentiæ activæ necessarium est, ut re ipsa, & perfecte potentia activa sit; sive

(a) *Cave ex aliquantum ambiguis auctoris verbis inferas, extra has concupiscentiæ effervescentias ad Dei præcepta salutariter implendæ gratiam Dei supernaturalem non semper esse necessariam*. Interpres.

five tandem ut veram *completam potentiam* habeat illum actum producendi, in ordine ad quem potentia dicitur; exempli gratia:

I. Deus mediate ad actum concurrit, quo oculus meus ad objectum visibile dirigitur, quo oculus visibile objectum attingit, & mihi refert, oculo meo (si oculus potentia activa censeri potest) organicam structuram, & quæ ab hac pendent tribuens, atque conservans.

II. Pari modo ad actus meos supernaturales concurrit Deus, animæ meæ facultates naturales conservando, mihi gratias supernaturales impertiendo, quibus facultates meæ elevantur, atque complentur, unde supernaturales actus, & naturæ sibi relictæ vires excedentes elicere possim (291).

1143. NOTA I. Potest igitur *concursus* iste *mediatus* considerari, ut patet, & ad actus naturales, & ad supernaturales: in hoc secundo casu aliquid plus dicit, quam in primo.

I. Mediatus Dei concursus *ad actus naturales* est tantum conservatio potentiæ naturalis, & eorum, quæ ad ipsam spectant.

Hac sola conservatione concipimus, Deum mediate concurrere ad omnes hujus potentiæ actus; vires enim activas producit, atque conservat, a quibus necessario actuum horum existentia pendet.

II. Mediatus Dei concursus *ad actus supernaturales* petit a Deo præter potentiæ naturalis, & eorum, quæ ad ipsam spectant, conservationem, omnium supernaturalium auxiliorum collationem, quibus illa indigere potest, ut *plenam*, *atque completam* habeat supernaturaliter agendi potentiam.

Ferme omnes philosophi censent, supernaturalia hæc auxilia homini conferri ex *Decreto indifferente*: quo Deus decrevit semper homini conferre, quoties actus supernaturales eliciturus sit, supernaturalem gratiam, qua sese determinare

poterit ad bonum faciendum, vel omittendum, ad bonum, aut bono oppositum pro libito faciendum (1005, & 998).

Per Bannesium, & ejus discipulos supernaturalia hæc auxilia homini conferuntur Decreto prædeterminante, quo Deus decrevit homini in datis circumstantiis gratiam cælestem impertiri, quæ ipsum ad bonum efficaciter prædeterminabit; in aliis vero circumstantiis aliam cælestem gratiam, sub qua illum concupiscentia prædeterminabit ad malum.

1144. NOTA. II. Philosophi omnes consentiunt in necessitate *mediati Dei concursus* admittenda ad rerum creatarum actionem quamcumque; evidens enim est, rem quamvis creatam sive materialem, sive immaterialem, intelligentem, aut non intelligentem, modo activa supponatur, agere non posse neque in naturalibus, neque in supernaturalibus, nisi Deus a quo in omnibus essentialiter dependet, illi quidquid ad agendum necessarium est tribuat, atque conservet.

CONCURSUS IMMEDIATUS.

1145. DEFINITIO. *Concursus Dei immediatus* dicitur immediatus Dei influxus in rei creatæ actionem; ita ut actio quævis libera, aut necessaria, proba, aut improba rei creatæ indivisibiliter a duabus hisce causis tota existat, nempe ab immediato Dei, & ab immediato causæ creatæ influxu. Exempli gratia.

I. Si supponamus actualem motum rhedæ ab equi trahentis actione tamquam a causa efficiente procedere, *motus hic actualis* rhedæ, juxta concursus immediati assertores, immediate, & indivisibiliter est a conjuncta, & simultanea duarum causarum efficientium actione, equi scilicet totaliter, & immediate illum efficientis, & Dei illum pariter eodem tempore

im-

immediate, & totaliter cum equo efficientis.

II. Pari modo quum anima aliquam capit ex suis determinationibus liberis, hæc *libera determinatio* per concursus immediati assertores immediate, & indivisibiliter producitur conjuncta & simultanea duarum causarum efficientium actione, immediata scilicet animæ, & immediata Dei actione.

Vides itaque nomine concursus immediati intelligi conjunctionem actionis Dei rei creatæ cujuscumque actioni.

1146. NOTA I. *Concursus immediatus* a nonnullis recentioribus philosophis admitti nequit, qui Deum esse unicum naturæ agens, atque unicam omnium causam efficientem voluerunt; & res creatas quascumque intelligentes, sive intellectu carentes esse tantum *Entia passiva* quorum omnes modificationes a Deo producantur.

Evidens est, in hac sententia a Deo, & a rebus creatis *actionis concursum* non haberi ad eundem effectum producendum; puta ad rhedæ motum, ad animæ determinationem; in his enim res creatæ activæ non sunt.

1147. NOTA II. Inter philosophos *veram actionem* magis minusque extensam in rebus creatis admittentes sententiæ de *immediato concursu* diversæ sunt: alii eum volunt necessarium; alii, minori tamen numero, eum ut inutilem reiiciunt.

I. Per primos, ut anima volitionem boni, aut mali eliciat, non satis est ipsam habere & naturalem suam activitatem, & complementa omnia ad hanc volitionem producendam necessaria, quæ mediatum concursum constituunt. (1142).

Necesse præterea est, Deum physice, & immediate cum anima hanc volitionem producere, ita ut volitio hæc indivisibilis simul immediate, & totaliter ab anima, & totaliter quoque a Deo producatur; quod concursum immediatum constituit.

II. Per alteros, ut anima humana hanceandem volitionem eliciat, satis est, si Deus animæ & existentiam, & naturalem activitatem conservet, & ut illi supernaturalem gratiam impertiatur, si volitio producenda in ordine supernaturali sit: quibus habitis anima se sola, & nullo physico, & immediato Dei influxu hanc volitionem elicit. Tunc vero concursus immediatus fit inutilis in hac, & in quavis simili operatione.

1148. NOTA III. Ut exactam immediati concursus notionem exhibeamus breviter utriusque sententiæ rationes referemus.

I. Qui *immediatum concursum tuentur* hoc ratiocinio, quod eorum fundamentum est, illud probare nituntur.

Deo omne possibile dominium in res creatas est tribuendum: res creatæ omnem possibilem dependentiam a Deo habere debent; atqui ad hoc necesse est, ut res creata a Deo dependeat non in existendo tantum, sed & *in operando:* adeoque ut in operando non mediato tantum, sed & immediato concursu indigeat; si enim immediato Dei concursu in agendo non indiget, a Deo dependebit existentia, non actione.

II. Qui *immediatum Dei concursum reiiciunt*, contendunt, eorum sententiam nihil supremo Dei dominio officere, in eaque res creatas omnimodam adhuc a Deo dependentiam habere tum relate ad *existentiam*, tum ad *operationes*; ut enim agere possint, necesse est, Deum illis & existentiam, & naturales facultates conservare; neque ullum temporis momentum esse, quo Deus illis & existentiam, & naturales facultates auferre nequeat, a quibus essentialiter, & perseveranter, & universim ejus actio pendet.

Quare contendunt, in eorum sententia nullam rerum creatarum actionem esse, cujus existen-

ſtentia eſſentialiter, & perfecte a Deo non dependeat; etſi per ipſos rerum creatarum actiones ab immediato, & concomitante Dei influxu non producantur; per eos enim hic influxus nihil ſupponit, & nihil ſtatuit.

1149. NOTA IV. Facile quiſque intelliget, diſputationem hanc parvi momenti eſſe; *utrinque enim ſupremum Dei in res creatas dominium, & perfecta, ac permanens earum a Deo dependentia intelligitur*; neque aliud inter ſcholarum clamores queritur, niſi definire quo incipiat, & quo modo habeatur ſumma hæc, & permanens rerum creatarum a Deo dependentia; quod hac ratione ſane nunquam definietur.

In neutram ſententiam deſcendentes tantum dicemus, eam in philoſophicis, ac theologicis ſcholis eſſe paſſim receptam, quæ immediatum Dei concurſum admittit. De hac iterum paragrapho tertio ſectionis ſequentis nobis agendum erit (1230, & 1238).

SECTIO II.

POTENTIÆ ANIMÆ HUMANÆ.

1150. DEFINITIO. P*otentiæ animæ humanæ* dicuntur diverſæ facultates tum activæ, tum paſſivæ, quas habet, aliquid faciendi, vel admittendi.

Exempli gratia, potentia verum cognoſcendi eſt ejus potentia, ſeu facultas intellectiva: potentia bonum amandi eſt ejus potentia, ſeu facultas affectiva; potentia inter duo bona ejuſdem, vel diverſæ ſpeciei eligendi eſt ejus potentia, ſeu facultas electiva; atque ita de ceteris.

Ut vel ab ipſo initio claram diverſarum ani-

mæ potentiarum ideam habeamus, satis erit accurate nobis in memoriam revocare, quæ alibi de *potentia*, & *actu* in genere diximus. Ibi eorum omnium, quæ hic pertractanda sunt veluti semina invenientur (173, & 175).

POTENTIARUM ANIMÆ HUMANÆ PERFECTIBILITAS.

1151. OBSERVATIO. Si *diversarum* animæ humanæ facultatum, sive potentiarum evolutiones & progressus perpendamus, sive si hominem a vitæ exordio, ad ætatem, qua diversæ ejus potentiæ maxime vigent, perpendamus:

Satis verosimiliter statui potest, *animam humanam primis vitæ temporibus esse velut tabulam rasam in ordine ad cognitiones*; hoc est, nullam extraneam ideam illi esse innatam, nullum speculationis, aut practicum principium illi esse insculptum; omnes naturales cognitiones, illa excepta propriæ existentiæ, illi successive, & paulatim obvenire, aut sensuum ministerio, aut animadversione ad se ipsam; ut satis in tractatu de certitudine docuimus (465 475, 478).

En itaque quem rerum ordinem videtur Deus in homine statuisse in evolvendis suis facultatibus sentientibus, & intelligentibus. Quod vero hac in re dicturi sumus, potius quam theoria, theoriæ jam statutæ, & ad memoriam revocandæ corollarium est.

I. Deus *animam humanam* condens, substantiam scilicet cogitandi, & agendi capacem, decrevit:

Cogitationes, & sensus, quos anima humana habere potest, in ipsa nasci, ac perfici eo gradu, quo organa materialia, quibus conjuncta est, vigerent, & perficerentur.

Cogitationes, & sensus hos animæ acciden-

ta-

tales, a sua essentia non necessario consequentes, ab organorum materialium, quibus conjuncta est, actione physica non productos, in ipsa nasci, & perfici juxta quasdam *certas leges*, quas ipse statuit, quum humanum compositum condidit, & ad finem a ceterarum rerum fine diversum ordinavit.

II. Quo gradu *humani corporis organa* explicantur, & roborantur, eodem anima humana roborari, crescere, perfici videtur. Ideæ plurimæ in illa enascuntur; animadversio illas invicem confert, comparat, scrutatur, extendit. Honoris, justitiæ, humanitatis, religionis sensus in ipsa germinant, atque explicantur. Hos ratio approbat, atque commendat.

Physicus organorum motus, quibus conjuncta est, quæque regit, ac moderatur, ipsi novas sensationes parit: quibus, experientia, & animadversione juvante, naturam dignoscit, eamque magis, minusve perfecte observat atque scrutatur.

III. Anima itaque *eo magis cognitionibus, & sensibus ditari, ac perfici debet*, quo organa corporea, quæ animat, explicantur, & perficiuntur; hæc enim organa, quæ harum cognitionum, horumque sensuum occasio sunt, quo magis vigent, dilatantur, ac perficiuntur, eo magis juvant expeditum, atque perfectum potentiarum intelligentium, & sentientium exercitium.

Intima animæ humanæ substantia semper eadem est, nec ullam substantialem mutationem admittit; at hujus substantiæ natura immutabilis operationes, necessario a causis occasionalibus pendentes, quibus eas Dei voluntas alligavit, cum his causis mutantur, & earum mutationes, ac progressus sequuntur.

1152. NOTA. In experimentali animæ humanæ theoria tres veluti præcipuæ facultates sive potentiæ facile dignoscuntur; ad quas di-

recte, vel indirecte ceteræ referuntur. Tres hæ seorsim perpendendæ videntur: sunt autem *Potentia intellectiva*, idearum, judiciorum, ratiocinorum principium, sive subjectum: *Potentia sensitiva*, sensationum, & sensuum principium, sive subjectum: *Potentia motrix*, diversorum motuum quos suo corpori imprimit, causa efficiens, aut occasionalis.

POTENTIARUM ANIMÆ HUMANÆ IDENTITAS.

1153. OBSERVATIO. Duplex diu inter philosophos de humanæ animæ facultatibus sententia fuit.

I. Alii *realem distinctionem* inter ejusdem animæ facultates admittebant, puta, inter facultatem intelligentem, & facultatem volentem, inter judicantem, & ratiocinantem, inter imaginantem, & reminiscentem; atque ita de ceteris.

Per hos philosophos diversæ animæ facultates totidem entia sunt inter se re ipsa distincta: intellectus non est memoria magis, quam brachium dexterum sinistrum sit. Hujus sententiæ assertores *Reales* dicti fuerunt.

II. Ceteri *nullam distinctionem* esse inter ejusdem animæ facultates asserebant; in eaque memoriam, puta, & judicium unum & idem esse, quod diversis nominibus appellaretur. Hi *nominales* dicti fuerunt.

Errabant primi, quum distinctionem realem admitterent, ubi non esset: Errabant alteri quoque, quum nullam distinctionem omnino admitterent inter res, quæ diversis ideis menti occurrunt.

Distinctionum philosophicarum theoria a recentioribus melius explicata philosophis opportunitatem præbuit definiendi quænam distinctio inter diversas ejusdem entis potentias sit admit-

mittenda, adeoque & animæ. Porro hæc est distinctio rationis (175, 303, 316, 321).

1154. ASSERTIO. *Anima humana est substantia simplex a diversis suis facultatibus realiter non distincta, & in qua diversæ hæ facultates realiter inter se distinctæ non sunt.*

EXPLICATIO. Alibi ostendimus, animam humanam, substantiam simplicem omnem necessario partium, & facultatum realem compositionem excludere (1051).

Non itaque realis, sed tantum *rationis distinctio* datur inter diversas animæ humanæ facultates; puta inter facultatem intellectivam, & affectivam, quæ anima ipsa tantum sunt considerata vel in ordine ad diversos effectus, quos producit, vel in ordine ad diversas modificationes, quas admittit.

I. Anima humana considerata in ordine ad ideas, quas habet, ad iudicia, quæ de rebus fert sive sensibilibes, sive insensibiles, dicitur *Intellectus*.

II. Anima considerata in ordine, ad volitiones, affectiones, aversiones, determinationes suas liberas, vel necessarias, dicitur *Voluntas*.

III. Anima considerata in ordine ad sensationes mentales, & ad sensus intimos, quos experitur, vocatur *Potentia sentiens*.

IV. Anima humana quatenus capax principium aliquod percipere, & ab eo consequutiones deducere, verum, bonum, honestum dignoscere, & secernere, res recte æstimare, dicitur *Judicium*, sive *Ratio*.

V. Anima quatenus vim habet reminiscendi suarum idearum, seu sensationum, sive suorum judiciorum, & ratiociniorum præteritorum, dicitur *Memoria*.

VI. Anima quatenus apta res sibi repræsentare aut aliquid magnum agentes, aut magnum quid patientes, aut pluribus adjunctis illas distinguentibus convestitas, dicitur *Imaginatio*.

Non igitur inter diversas animæ humanæ facultates realis distinctio est admittenda : sine hac distinctione siquidem nulla ratione innixa diversæ hæ facultates optime percipiuntur.

1155. OBJECTIO. Nisi animæ facultates realiter inter se distinctæ sint, anima voluntate cognosceret, intellectu amaret; quod est absurdum. Qui memoriam amiserunt animæ substantiam amisissent; ex dictis enim memoria, & anima, quatenus præteritorum reminiscens, unum, & idem sunt; Hoc vero est evidenter falsum.

RESPONSIO. Objectio hæc inane sophisma est, quod serio propositum hominem in metaphysica omnino jejunum indicaret.

I. Anima humana in ordine ad suas cognitiones considerata non est anima in ordine ad suas volitiones considerata. At principium, sive subjectum *cognoscens* est re ipsa principium, sive subjectum volens: nulla ergo inter utrumque datur realis distinctio.

Juxta axioma in philosophia receptum, *non sunt multiplicanda entia sine necessitate*. Quum igitur una, eademque substantia possit & cognitiones habere, & volitiones, quumque tum hæ cognitiones, tum volitiones uni, eidemque subjecto tribui possint, duo admitti nequeunt, nisi huic principio, imo rationi repugnare velimus.

Quod anima humana diversas modificationes habere possit, & ad objecta specie diversa referri, probat ne ipsam esse natura multiplicem & principiis, sive subjectis constare inter se distinctis? non sane. Duplex modificationum species duplex principium, aut subjectum non infert, quum ex unico principio, sive subjecto duplicis modificationis ratio reddi possit.

II. Memoria, quatenus spiritualis animæ facultas, est ipsa animæ substantia; est enim in ipsa facultas cogitationes, aut sensationes suas præteritas iterum excitandi. Quum memoria amit-

amittitur, hæc animæ operatio amittitur, non ipsa animæ substantia, quæ sine hac naturæ suæ operatione stare potest.

Anima humana in ipsis spiritualibus operationibus a materialibus organis pendet; ut præteritorum reminisci possit, debent hæc organa, quæ ejus sedem in cerebro constituunt, facile, & ordinate concussa antiquas vibrationes habere, quas habuerunt quum res, cujus reminisci vult, percepta fuit.

Quum hæc organa, a quibus præsertim hæc animæ operatio pendet, aut perturbantur, aut valde rigescunt, memoria amittitur: perit enim causa occasionalis, quæ præteritas ideas seu sensationes iterum excitare debet. Tunc memoria perseverat quatenus facultas iners, & suis operationibus orbata, non quatenus facultas libera apta munus suum optime exequi (1174).

DIVERSA ANIMARUM HUMANARUM PERFECTIO.

1156. OBSERVATIO. Certum est sæpius *maximum* inter animas humanas, cognitionibus, ingenio, commendandis qualitatibus *discrimen* esse.

Undenam tanta diversitas? num tantum ex diversa organorum, quibus conjunctæ sunt, & a quibus in suis muneribus pendent, perfectione, an *ab intrinseca, & substantiali natura inæquali perfectione*? Animæ humanæ omnes ne intrinseca perfectione æquales sunt, aut aliæ aliis perfectiores? Problema hoc magnum facile proponitur, at solvi nequit.

I. Non est demonstratum, omnes animas humanas *æquali intrinseca, & substantiali perfectione donatas esse.*

Qua solida probatione ostendetur, Pradoni animam intrinseca, & substantiali ingenii perfectione animæ Cornelii æqualem esse? Neronis

nis animam humanitate animæ Titi intrinseca perfectione æqualem esse?

Quare Deus, qui tam varios omnibus cujusque speciei individuis perfectionis gradus impertitur, quæ observatione dignoscimus; animis humanis quoque, quas in se observare non possumus, diversos perfectionis gradus impertiri non potuerit?

II. Demonstratum non est, *humanas animas intrinseca perfectione æquales esse*.

Qua solida ratione probabitur animam ingeniosissimi hominis animæ hominis perpetuo hebetis perfectione intrinseca non esse æqualem? Quid opus est, ut prima alteri omnino similis evadat, saltem apparenter? satis est magna organorum, quibus conjuncta est, perturbatio.

III. Potest ergo cognitionum, ingenii, laudandarum qualitatum in animis diversitas æque tribui aut diversæ corporeorum organorum perfectioni, aut intrinsecæ perfectionis diversitati, aut utrique causæ simul; nulla hac in re habita aut habenda certitudine.

ACTIO DEI, ET RERUM CREATARUM.

1157. OBSERVATIO. Magna olim fuit & nunc temporis est inter philosophos de *Dei, & rerum creatarum actione* controversia; ut alibi indicavimus quum de causis efficientibus, & occasionalibus ageremus.

I. Peripatetici sequioris ævi *res creatas quascumque sive materiales, sive immateriales*, volunt esse *causas efficientes omnium suarum operationum*: Deum vero tantum cum illis ad actionem immediate concurrere. (1212, & 1213).

II. Vult Malebranchius, *Deum in universa natura esse unicum agens*; ipsum solum, in corporibus actionem, & motum, in spiritibus ideas

deas, ſenſationes, judicia, & volitiones producere.

III. Juxta maximum recentiorum philoſophorum numerum, *ſubſtantia materiales nullam a ſe actionem habent; ſpirituales in diverſis ſuis modificationibus partim activa, partim paſſiva ſunt*. Non tamen omnes conſentiunt de iis, in quibus ſubſtantiæ ſpirituales activæ, & paſſivæ ſint.

Secunda hac ſectione in quatuor articulos diſtributa oſtendere conabimur in quibus anima humana activa ſit, in quibus paſſiva. Primo articulo de animæ potentia intellectiva agemus, altero de affectiva, tertio de motrice, quarto de ſuarum operationum ad fluidum animale relatione.

ARTICULUS PRIMUS.

POTENTIA INTELLECTIVA ANIMÆ HUMANÆ.

1158. DEFINITIO. *Potentia intellectiva* animæ humanæ, ſive *intellectus humanus* eſt anima ipſa conſiderata in ordine ad modum cognoſcendi, judicandi, ratiocinandi; quod & ſuas ideas reſpicit, & ſua judicia, & ſua ratiocinia, & cognitiones ſuas quaſcumque. (1154).

Potentia hæc animæ activa ne eſt, an paſſiva? hoc inquirere pergimus, diverſas modificationes perpendentes, quas reſpicit, & quarum vel principium eſt, vel ſubjectum, vel utrumque.

IDEÆ ANIMÆ HUMANÆ.

Alibi fuſius egimus de idearum origine, natura, certitudine, quam faciunt. Hic itaque ipſa-

ipſarum ad *Potentiam intellectivam* earum vel ſubjectum, vel principium relationem tantum indicabimus (392, 452, 475).

1159. ASSERTIO. *Veroſimile eſt, Deum eſſe unicam primordialium noſtrarum idearum cauſam efficientem; animam vero eſſe plurium idearum, quas ad primordialium ſimilitudinem, & his dirigentibus ſibi comparat, cauſam efficientem.*

EXPLICATIO. Nos docet ſenſus intimus, animam ideas, ſive ſpirituales imagines habere objectorum plurium tum ſenſibilium, tum inſenſibilium. Quæ vero harum idearum eſt cauſa efficiens?

I. Docet experientia, & ratio, non poſſe animam ſibi *primordiales* rerum *ideas* comparare, quarum rerum nullam antea implicitam vel explicitam ideam habeat. Non poſſunt ergo primordiales hæ rerum ideæ, ſive imagines in nobis gigni, niſi a Deo, in quo neceſſario intelligentia omnis eſt, & a quo procedit. Hac in re anima paſſiva eſt.

II. Experientia, & ſenſus intimus docet, animam poſſe quas habet ideas innumeris modis ſimul componere. Hinc *novæ ideæ* naſcuntur, quas anima ſibi efficit. In hoc activa eſt (478, & 483).

JUDICIA ANIMÆ HUMANÆ.

Alibi quid *judicium* ſit ſatis declaravimus illud ut actum, & ut potentiam conſiderantes. Hic illud ut actum conſiderabimus (178, & 182).

1160. ASSERTIO. *Probabiliter anima humana ſuorum judiciorum eſt cauſa efficiens.*

EXPLICATIO. I. Docemur ſenſu intimo, animam ſæpius *veram potentiam* habere judicia ſua ſuſpendendi, eorum motiva inquirendi, & perpendendi, ea quum lubet ferendi.

II.

II. Nulla convincens ratio probat, animam non habere *veram potentiam* actum internum eliciendi, quo judicat, & qui ab ipsa emanare illi videtur.

III. Probabile ergo est, animam esse suorum judiciorum *causam efficientem* non liberorum tantum, sed & necessariorum.

Anima humana *ut plurimum passiva* est in rerum ideis, ex quibus vel necessario, vel libere judicat.

At *semper activa* videtur, sive libere, sive necessario agat, quum ex his rerum ideis intima judicia fert.

Rerum idea præcedit: judicium sive liberum, sive necessarium sequitur, at semper ab ipsa anima productum (1119).

HUMANI SPIRITUS ANALYSIS.

1161. OBSERVATIO. Terminus *Spiritus* varias significationes habet, quas apte distinguere oportet.

I. Significat *substantiam immaterialem, & intelligentem*, cogitationis simul, & sensus, & moralitatis capacem.

Hujusmodi est *Spiritus increati, & creatoris* substantia a se essentialiter existentis, & a quo omnia in natura existunt.

Hujusmodi est substantia Spiritus creati hominem animantis, & regentis; animæ humanæ scilicet.

Hujusmodi est substantia innumerorum aliorum spirituum creatorum ab humana anima diversorum, quorum natura nihil *αδυνατον*, aut repugnans præsefert, & quorum existentiam, & numera ex fide novimus.

Hac significatione terminus Spiritus humano spiritui convenit, at non soli; hunc enim cum spiritibus ab ipso distinctis confundit. Non ita erit sequentibus significationibus.

II. Si-

II. Significat *humanum intellectum*, five eam animæ facultatem, quæ res magis, minufve recte, majori, minorive facilitate percipit.

Hoc fenfu dicunt Galli, hominem recto, falfo, rudi, exculto fpiritu effe.

III. Gallice id fignificat, quod Latini, aliique *ingenium* dicunt, five humani intellectus *non communem omnibus facilitatem varias rerum relationes dignofcendi*.

Hoc fenfu Galli hominem ingenio ceteris præftantem dicunt fpiritu donatum. At enimvero quibus, & quot non ita merentibus laus hæc, & fama tribuitur, quæ a recentiore auctore dicitur: *Fama, cur nefcis*!

IV. Significat quoque in humano intellectu *facultatem res percipiendi*, quatenus ab inveniendi, aut exequendi facultate diftinguitur.

Hac fignificatione humani intellectus facultates tribus vocibus diftinguunt Galli, aliam quippe *fpiritum* dicunt, aliam *genium*, aliam *talentum*. *Spiritus* cito rerum relationes percipit. *Genius* nova creat, atque invenit, *Talentum* jam nota, & inventa facile percipit, aut exequitur.

Tria hæc ad bonum, & ad malum indifferentia nobis laudem non pariunt, nifi his recte utendo illam mereamur.

Si illis utamur juxta Dei voluntatem in veritate inquirenda, in natura inveftiganda, in bonis artibus, ac difciplinis excolendis, patriæ, & hominum bono, in innocentia, & virtute tuenda, in religione, & bonis moribus confirmandis; recte iis utemur, præmium, & veram laudem promerebimur.

Si iis abutamur ad vitium, ad libidinem, ad pravos mores propagandos, ad Deum, & religionem contemnendam, ad innocentiam, & virtutem proterendam; erit hoc eorum finem pervertere, fefe criminibus fœdare, eaque vituperio devovere. Si quando & eorum abu-

abusus celebratur, non nisi rectum eorum usum vera gloria comitatur.

Tria hæc Dei dona certo sunt natura sua & fine utilia; at abusu noxia, & funesta esse possunt. Hic abusus problema hoc celebre protulit, quod fortasse nondum solutum est: *num scientiæ, & artes ingenii filiæ moribus, adeoque hominibus utiles, an noxiæ fuerint.*

V. Sæpius apud Asceticos, & christianos oratores animam significat consideratam ut *potentiam intellectivam*; eo ferme pacto, quo *cor* apud eosdem auctores significat *potentiam affectivam*. Hac significatione *spiritus*, & *cor* universalem hominis divisionem faciunt in ordine ad ideas, & sensus suos considerati; sive in ordine ad modum, quo res percipit, & sentit.

DIVERSÆ HUMANI SPIRITUS PROPRIETATES.

1162. OBSERVATIO. *Humanus spiritus* ea significatione, qua illum considerandum suscipimus, est anima humana considerata in ordine ad cognitiones suas, sive in ordine ad modum, quo res percipit, atque intuetur.

Hac significatione spiritus in hominibus maxime varius est, pro diversis eorum cognitionibus, & proprietatibus.

I. *Spiritus lætus* res percipit hilari, ac jucundo aspectu. Jucundus ipse, rebus etiam jucunditatem, atque hilaritatem inspergit, & grato quodam lepore animos sibi devincit.

II. *Spiritus falsus*, eo aspectu res percipit, qui ipsarum non est proprius, & earum ideas effingit, in quibus deformantur, & naturam mutant. Aut cæcus est, aut fallax; deceptus, aut deceptor.

III. *Spiritus causticus*, *& malignus* res non percipit, aut exhibet nisi pravo earum aspectu, quem investigat, imo & effingit ipse.

Quum

Quum maledicendi, & mordendi mania correptus ſit, nihil in vita Cæſaris, niſi Dyrrachii pugnam adnotabit: in egregiis Cornelii, aut Racinii tragœdiis aut aliquem minus elegantem verſum, aut minus harmonicum, & poeticum hemiſtichium tantum in medium proferet: in magnanimo aliquo, & præclaro facinore carpet agendi cauſam, quam pravam ſupponet, aut finget: modo in ceteris nihil boni, plurimum mali invenire poſſit, nihil vituperium curabit, quod ſibi pariet.

IV. *Spiritus elegans*, & *argutus*, res exhibet ingenioſe, & elegantibus alluſionibus conveſtitas. Præſefert aut perfectiorem percipiendi quidquid in rebus elegantius eſt facultatem, aut verſatilem imaginationem, qua omnes rerum ſinus permeat, & colorum vel minimas veluti varietates aſſequitur.

V. *Spiritus profundus* intima rerum penetrat, quavis ex parte illas intueri nititur, & omnes earum relationes dignoſcere priuſquam judicium ferat. Ideas habet robuſtas, amplas, firmas, quibus judicat.

VI. *Spiritus præoccupatus*, res videt, aut exhibet, non ut ſunt, ſed uti a ſuis præjudiciis, & inordinatis affectibus pinguntur.

Si Deshoulieres audias, Racinii Phædra contemnenda tragœdia eſt. Si Orgonem audias, Tartuffus probatiſſimis, atque honeſtiſſimis moribus homo eſt.

Spiritus præoccupatus rerum veritatem, ac meritum ex ſua præoccupatione metitur: ſectarum, atque factionum hic ſpiritus eſt.

VII. *Spiritus verus*, *ſeu rectus* vero earum aſpectu, veriſque earum notis res percipit, atque exhibet. Nec judicia, quæ de iis fert, ſive illis faveant, ſive opponantur, aut propriæ utilitatis, aut pravorum affectuum influxu vitiantur. Veritatis, & juſtitiæ amans, eas ſemper colit, illiſque obſequitur.

VIII.

VIII. *Spiritus litigiosus* in rebus semper falsa, & impugnanda videt, & obiicit. Futiles rationes solidis præfert, neque harum vires sentit, cavillationibus nimis gaudens.

Inter varia spirituum genera, hoc ad veritatem inquirendam omnium ineptissimum est; nullus enim spiritus minus hoc opportunus est ad verum a falso secernendum.

IX. *Spiritus acutus* dum ea in rebus intueri vult, quæ ceterorum hominum passim aciem effugiunt, ideis mergitur nimis abstractis, & procul conquisitis; ratiociniis implicatur nimis acutis, & parum solidis; viis oberrat insuetis, & parum perviis, quæ a recta ratione, & a communi hominum sensu teri non consueverunt.

Si forte veritatem assequitur, eam nimis attollens, ac veluti dissecans enervare, ac destruere videtur; saltem ita eam profert, ut ab aliis percipi nequeat, adeoque ut ceteros suadere non valeat.

X. *Spiritus solidus* in suis judiciis, ac determinationibus immotus est; nec tamen nisi matura, & attenta deliberatione judicat, aut se determinat; nec a statutis recedit, nisi quum novis illi a ratione luminibus propositis, videt a prius statutis esse recedendum.

XI. Spiritus solidus a *pertinaci* diversus est; hic enim ab arrepta opinione non removetur neque quum ratio ostendit, injuria se, & falso judicasse.

XII. *Spiritus audens*, libere cogitat, atque agit ratione duce, nihil territus neque a præjudiciis, quibus ratio oppugnatur, neque ab incommodis in ea sequenda perferendis, neque a molestiis, quæ ita operanti imminent: de hoc spiritu sequenti definitione agere pergimus.

SPI-

SPIRITUS AUDENS.

1163. DEFINITIO. *Spiritus audens*, five *fidentia spiritus*, de qua tanta viginti, aut triginta jam annis dicuntur, quæque fortasse nondum definita est, in eo sita est, ut libere cogitare, & agere non vereamur ratione duce, & præjudicia contemnentes, quibus oppugnatur, & incommoda superantes, quæ subeunda sunt, & pericula non timentes, quibus objicimur illam sequentes. Exempli gratia:

I. Julius Cæsar primus arbores sylvæ sacræ securri ferit. Hoc audet, frustra obluctante populari præjudicio, quod hoc impium opus execrandum facinus putat, a quo innumera infortunia sint oritura.

II. Junius Brutus filios tyrannidi faventes, & reipublicæ hostes capite damnat, naturæ pro natis clamantis vocem negligens, quæ patriæ filios præferendos suadet, & barbaram crudelitatem esse dicit judicii hujus severitatem legibus tuendis, & reipublicæ servandæ necessariam.

III. Attilius Regulus perorat, ne Romani captivi, inter quos & ipse recensebatur, cum Carthaginiensibus permutentur, aut redimantur: ita vero coram Senatu sententiam dicit, etsi exquisitissima hinc sibi supplicia imminere videat: vitæ tamen amori obluctatur, eamque profundere non veretur consilium dans patriæ profuturum.

IV. Fabius Maximus cunctari pergit, & in Hannibalem pugnare recusat, frustra contra insurgentibus clamoribus popularibus cunctationem hanc improbantibus, & pudendum timorem dicentibus summam viri hujus prudentiam, & in re militari virtutem.

V. Athanasius sæculo barbaro, & sectariorum furore execrando, magno pectore, mirabili-

bilique virtute orthodoxæ fidei veritatem propugnat, ſeque tamquam murum æreum errori, & impietati objicit; nihil calumniæ rabiem veritus ejus famam diſcerpere nitentis, neque proſcriptiones, & exilia, quibus vix illi ſepulcrum ſupereſt, quo celatus perſecutorum hæreticorum iram vitare poſſit.

VI. Fenelonius in re difficili, maximeque periculoſa audacter eam fert ſententiam, quam Regi glorioſam, ac decoram arbitratur, ſeſe fidenti animo procellis objiciens, quas ita in ſe ab avaritia, & perverſa politica excitatum iri non dubitabat.

Hæc eſt fidentia ſpiritus, quæ ſi perſeveret, fit *animi fortitudo*. Porro hæc commendari non meretur niſi, quum rationem ducem ſequitur, & juſtitiæ, ac virtuti eſt conſentanea. *Si fractus illabatur orbis impavidum ferient ruinæ.*

IMAGINATIO ACTIVA, ET PASSIVA.

1164. DEFINITIO. Quum ſeſe mens explicat evidentibus imaginibus, illuſtribus ſimilitudinibus, vivida, & res pingente dictione, tunc *imaginatio* habetur, eaque activa, & creatrix, nec cum paſſiva confundenda, quæ omnino diverſa eſt.

I. *Imaginatio activa* eſt animæ facultas rerum imagines creans, atque præſentes exhibens. Hæc in anima intrinſecam activitatem ſupponit; ipſaque animæ energia, & functio eſt.

II. *Imaginatio paſſiva* eſt animæ aptitudo ad extrinſecas impreſſiones admittendas. Hæc in anima intrinſecam tantum aptitudinem ſupponit ad actionem ſuſcipiendam, quæ illi communicabitur.

Prima eſt imaginatio Carteſii, Neutoni, Miltoni, Virgilii, Homeri, Demoſthenis, Archi-

me-

medis: qui omnes naturam arripiunt, ut illam intueantur, & pingant.

Altera muliercularum, & puerorum imaginatio eſt, qui omnes illis oblatas impreſſiones admittunt; & phantaſmata, quibus illuduntur, vera putant.

1165. NOTA. Præclara hæc animæ facultas, a qua cogitationum, & ſenſuum noſtrorum enegia pendet, duplex hæc imaginatio fere ſemper & utilitatem parit, & incommodum, tum in ingenii operibus, tum in vitæ uſibus.

I. *Imaginatio activa* Phyſico, Geometræ, Oratori, Poetæ utilis eſt ad rerum imagines, quibus ſtudent, illis vivide, & permanenter referendas; at ratione ſemper regi, ac duci debet.

Imaginatio a ratione ſejuncta ſæpius cæca, & fallax eſt: ſine imaginatione ratio fere ſemper areſcit. In humanis cognitionibus imaginatio intellectum elevat, effert, & aliquando devium trahit: ratio intellectum illuminat, dirigit, perficit: ambæ ſimul *inſigne ingenium* pariunt, quale in ſummis viris admiramur.

II. *Imaginatio paſſiva*, quæ quo vividior eſt, eo debiliorem animam indicat, & plerumque noxia magis, quam utilis eſt, pueris prodeſſe poteſt, quos ſuis crepundiis oblectat, ridiculis amantibus, qui hiſce imaginibus magis exardeſcunt, & inſanis quibuſdam, qui aliquando phantaſmata quid verum putant.

HUMANI INTELLECTUS VITIA.

1166. OBSERVATIO. Imbecillitas, ſtupiditas, ſtultitia, furor ſunt in anima humana *potentia intellectiva* vitia. Quum itaque vitia ſint potentiæ percipientis, & judicantis, rationis vitia ſunt, quæ tandem eſt intelligentia judicio conjuncta (144).

I. *Im-*

I. *Imbecillis* ideis caret, cum admodum paucas habet, quas nec distinguere scit, nec comparare, nec sejungere, nec genericas reddere.

Qui ideis caret intelligentia caret: qui ideas non habet, quas intueri, & præsentes habere possit, animadversione caret; qui ideas non habet, quas simul comparare possit, judicio caret. Qui ideis caret, quarum relationem percipere possit, ingenio caret; qui ideis caret quas dividere, conjungere, comparare possit, imaginatione; & inventione caret.

Imbecillitatis status, qui & ab origine, & a morbo esse potest, & qui aliquo pacto magis, & minus admittit, omnes has naturales animæ qualitates re ipsa excludit, nempe intelligentiam, animadversionem, judicium, ingenium, inventionem.

Visus est Lockius opinari, imbecilles *mediam quandam entium classem* inter hominem, & bruta constituere. Hac in re lusisse, non philosophatum fuisse, putandus est. Quot a rationis statu ad imbecillitatis statum declinarunt? num proinde naturam mutaverunt? num proinde quid medium inter hominem, & bruta effecti sunt?

II. *Stupidus* quadam sentiendi, percipiendi, judicandi activitate caret. Ideas habere potest, at non illi quum opus est occurrunt, memoria, aut perceptione deficiente. Sentire potest, percipere, judicare; at in ipso adeo iners sensus est, tam lenta perceptio, tam tardum judicium, ut ad omnia, ferme ac imbecillis, ineptus sit.

III. *Stultus* sæpius plures ideas, easque vividas habet. At eas perpendere, & dirigere ineptus dum conjungit monstra facit. Ideas jungit invicem pugnantes, harumque idearum chimæras veras res putat.

Quum ad hoc judicandi vitium accedit imaginationis effervescentia, & impetus, motusque

in organis violentus, & convulsivus, tunc *furor* est, aut *phrenesis*: supremus stultitiæ gradus.

Jungat stultus ideam sui ipsius ideæ illi inditæ regis Marochii, aut hominis vitrei; se jam dicet Marochii regem, aut vitreum: si se regem putat, omnes sibi obsequi præcipiet: si se vitreum putat, omnium contactum sedulo vitabit (386, & 428).

1167. NOTA I. Ideæ nonnullæ sunt, quæ natura veluti sociantur: eas conjungere sapientia est; aliæ sunt natura veluti diffidentes: has conjungere stultitia est.

Si accurate homines considerare velimus, quum ideas conjungunt; ex *ridiculis idearum conjunctionibus* plures fortasse, quam putabamus, in hominibus stultos inveniemus.

I. Mulierem novimus ceteroqui recte sentientem, quæ summo odio feles omnes habebat; quod olim feles passerem canarium sibi carissimum vorasset.

Hujus exosi felis ideam ipsa ad universam speciem felium stulte extenderat.

II. In fanaticis idea hominis aliter, ac ipsi, sentientis, & idea hominis exterminandi nunquam sejunguntur: semper conjunctæ procedunt.

III. In pueris, quorum memoriam, & imaginationem fatua nutrix spectrorum nocturnorum fabellis vitiavit, idea tenebrarum, & idea spectrorum, quæ fortasse nihil habent, quo conjungendæ sint, ita junguntur, ut sæpius deinde illas sejungere nequeant, neque ab inanibus hisce terroribus liberari.

1168. NOTA II. Stulti aliqui sunt omni ex parte stulti. In his nullus rationis usus.

Alii sunt aliqua tantum in re stulti, in ceteris sana mente. Eorum caput est aut ut antiquus liber, in quo magnæ lacunæ sunt, aut ut organum aliqua tantum tibiarum parte dis-

so-

sonum. Omnia recte procedunt quamdiu extra lacunas sumus, quandiu consonas tibias excitamus: extra hæc nullus ordo.

1169. NOTA III. Stupidus, & imbecillis, stultus, & phreneticus in aliquibus similes sunt, in aliquibus dissimiles. Omnes ratione carent, at non eodem modo.

I. Stultus ideas jungit invicem pugnantes, & disparatas: monstrosas propositiones profert, quas principia esse vult: ex his aliquando satis exacte ratiocinatur.

II. Imbecillis minimum in ideis jungendis adlaborat; eas non alligat: principia ex iis non statuit: nullo pacto ratiocinatur.

III. Phreneticus aliquando ratiocinatur, sed furore semper periculoso.

IV. Stupidus in tardis, lentisque suis judiciis, & ratiociniis aliquid rationis lumen ostendit, quod tamen nihil perspicui, ac certi habet. Quænam horum intellectus vitiorum *causa physica* sit alibi investigabimus (1257).

QUID SIT RECTUS SENSUS MORALIS.

1170. DEFINITIO. Quæ anima *certum lumen* habet, & *exquisitam sentiendi vim* quam recte rerum quarumcumque convenientiam, elegantiam, perfectionem sentit, & quanti par est facit, illa *rectum sensum moralem* habere dicitur. Sensum hunc a sensu physico, sensatione scilicet illa intima ab organorum vibratione orta distinguas oportet. Rectus hic sensus & aliquid habet ab ingenio percipiente, & a ratione judicante; neuter tamen est.

I. Rectus hic sensus non est tantum *ingenium*, sive illa animæ facultas, quæ rerum relationes magis minusque sensibiles, remotas, complicatas facile assequitur; sunt enim acri ingenio præditi, qui recte hoc sensu carent, seu qui nec recto hoc sensu quidpiam elucubrare, nec

in aliorum elucubrationibus rectum hunc sensum dignoscere sciunt.

II. Rectus hic sensus non est *ratio* tantum, sive hæc animæ facultas, quæ discussione, & animadversione de rebus judicat: rectus enim hic sensus sæpius definit, & optime definit priusquam ratio lentior perpenderit, & judicaverit.

III. Videtur tamen rectus sensus a ratione non omnino distinctus; quid enim est rectum sensum habere? est res quanti faciendæ sunt facere, est bonis bene, malis male affici, est falsis speciem veri præseferentibus non decipi, & nihil contra valentibus illusionibus recte judicare.

Quæ quum ita sint rectus sensus, & ratio, si rem intime attendamus, idem sunt, etsi non eadem via procedant. *Ratio* enim ut definiat longo ambitu procedit, principia statuit, consectaria deducit, causa cognita judicat; & postquam judicium tulerit, hoc probare, & ratiociniis jure probatum estendere parata est. *Rectus sensus* nihil horum attendit. Priusquam rationem consuluerit recta procedit, & recte definivit. Vix illi quidpiam oblatum est, jam impressionem sensit, sensus excitatus est: judicavit, & recte judicavit.

Sicuti auris discordi sono læditur, sicuti olfactus ingrato odore vexatur priusquam ratio ad hæc objecta sese converterit, ut de iis judicet; ita rectus hic sensus, moralis, & intellectualis agit, de objecto definit, & rationis animadversiones prævenit.

Possunt quidem hæ rationis animadversiones deinde sequi, ut illum in statutis confirmet, & ut secreta statutorum motiva illi detegat, at hæc sensus expectare non potuit. Aliquando etiam omnia hæc ignorat, nec unquam quid ipsum ad ita definiendum adduxerit valet detegere.

IV.

IV. Dici ne poterit rectus sensus esse primus motus, seu veluti *recta rationis instinctus?* qui celeriter animam trahit, & omnibus ratiociniis rectius ducit.

Quidquid sit, rectus sensus, & judicium re ipsa tandem idem sunt, *eadem* scilicet animæ *facultas*, cui diversa nomina tribuimus pro diversis modis, quibus agit.

Eam *rectum sensum* dicimus, quum sensu agit, & ex prima objectorum impressione. Eam *rationem* nuncupamus, quum ratiocinio agit postquam res artis præceptis, & veritatis lumine perpenderit. Quare dici poterit, rectum sensum esse judicium naturæ; & judicium esse rectum sensum rationis.

1171. NOTA. De recto sensu elegantissimum opusculum consuli potest, quod inscribitur *de Pulchro* (*Essai sur le Beau*). In hoc de Pulchro sensibili, de morali, de intelligibili, de harmonico, seu musico agitur; & ostenditur in his quatuor generibus *pulchrum* quoddam *essentiale* haberi ab omni institutione etiam divina independens; *pulchrum naturale* a divina quidem voluntate pendens, non vero ab hominum opinione; *pulchrum arbitrarium* ab humana institutione, seu consensione pendens.

I. In *sensibilibus*, exempli gratia, in humano corpore, sive in natura visibili, pulchrum essentiale in totius unitate, atque ordine, ac in partium relatione situm est; pulchrum naturale in copia, & concordia colorum, quibus animatur; pulchrum arbitrarium in rebus natura sua satis indifferentibus, sed quas nonnullis ætatibus nonnullæ nationes consenserunt oppositis elegantiores esse.

Quum pictura non nisi naturæ visibilis repræsentatio esse debeat, ingeniosæ hujus artis præstantia in tribus hisce pulchri sensibilis generibus imitandis sita est, & in affectibus repræ-

sentandis, qui entibus animatis veluti adnexi esse possunt.

II. In *moralibus*, sive in moribus pulchrum essentiale situm est in conformitate voluntatis cum ordine æterno, qui est omnium intelligentium lex universalis; pulchrum naturale in voluntatis conformitate legi generali totius humanæ naturæ; pulchrum institutionis in voluntatis conformitate peculiaribus legibus nationis, in qua sumus.

III. In *intelligibilibus* sive in humani ingenii operibus, puta, in eloquentia, in poesi, in historicis, in moralibus, in politicis, in physicis elucubrationibus, pulchrum essentiale in quatuor his situm est: in veritate, in ordine, in honestate, in decentia; pulchrum naturale in imaginum, sensuum, motuum pulchritudine; pulchrum arbitrarium in modo, quo res proponuntur, in stylo, quo ornantur, & illustrantur.

IV. In *harmonicis*, sive in musicis pulchrum essentiale situm est in ordine inventionis, in totius unitate, in proportionum, & progressionum harmonicarum præceptis; pulcrum naturale in quorundam sonorum cum affectibus in anima excitandis sympathia; pulcrum arbitrarium, & conventionis, in quodam œstro harmonico conformi propensioni peculiari alicujus nationis, quod aliis nationibus non ita fortasse gratum esset.

HUMANA VOLUNTAS.

1172 DEFINITIO. *Humana voluntas* & ut potentia, & ut actus considerari potest. Ut potentia est ipsa anima: ut actus est animæ functio, seu activa modificatio.

I. *Ut potentia* est illa animæ facultas, qua bonum amat, atque appetit, qua malum odit, & re-

& refugit; seu qua in bonum fertur, & a malo avertitur; quæ ut talia illi ab intellectu exhibentur.

In anima intellectus, & voluntas *ipsa anima substantia* tantum sunt, sed ut diversa objecta, aut diversos effectus respiciens.

Substantia hæc unica, & simplex ut cognoscendi capax, intellectus est; ut a se determinationes capere, & volitiones elicere capax, voluntas est. Ut intellectus magna ex parte passiva est; ut voluntas, saltem ut voluntas libera, semper activa est.

II. *Ut actus*, est hujus facultatis functio; sive actus ipse appetitus, aut aversionis, quo anima objectum prosequitur; sive actus, quo vult, rem, quæ in sua potestate est, esse, aut non esse. Actus hic, decretum hoc, determinatio hæc aliquando *Volitio* dicitur, ut omnis inter actum, & potentiam ambiguitas vitetur.

III. In nostræ voluntatis ut potentia considerata modificationibus, *propensio* cum *volitione* non est confundenda; hæ siquidem diversæ sunt. Propensio non est volitio: hæc siquidem sæpius illi obsistit, & ambæ sæpius opponuntur.

Quare si etiam anima in propensionibus passiva esset, non propterea etiam in volitionibus, & determinationibus, quæ propensiones non sunt, passiva esset.

1173. ASSERTIO. *Anima humana suarum determinationum, & volitionum saltem liberarum est causa efficiens.*

EXPLICATIO. I. Omnia indicant, animam esse suarum determinationum, & *volitionum liberarum* causam efficientem. Sentit enim eas se sibi pro libito tribuere, aut recusare; si vero earum non sit causa efficiens, nulla in ipsa activa, adeoque vera libertas concipi potest.

II. Nihil probat, animam suarum determina-

tionum, & *volitionum necessariarum* non esse causam efficientem; neque enim ullo pacto repugnare videtur, has determinationes, & volitiones necessarias ab eadem causa, a qua libere producuntur, produci.

Exempli causa, bimus puer ad matrem amplectendam sese sine libertate determinat, ipse viginti annos natus ad matrem amplectendam se libere determinabit. Qua ratione probabitur duarum harum determinationum unam esse a causa efficiente, quæ alterius causa non sit?

Pari modo nihil probat, *volitionem*, qua animæ beatæ cupiunt Deum amari, & coli, ab earum voluntate in cælis non produci, ut dum in terris viverent producebatur; etsi hæc volitio olim in terris libera, in cælis sit necessaria.

MEMORIA, ANIMÆ HUMANÆ FACULTAS.

Quid est memoria? qua ratione exercetur? problemata hæc sunt magni momenti, sed difficilis solutionis.

1174. OBSERVATIO I. *Memoria* & ut animæ potentia, & ut hujus potentiæ functio; sive ut facultas, & ut actus considerari potest.

I. Memoria, *ut animæ potentia*, est illa facultas intellectualis, ac sentiens, qua anima retinet, & revocat impressionem a diversis objectis effectam, sive organa corporea afficientibus, sive intellectu tantum perceptibilibus.

Patet, hanc *animæ facultatem* in natura, ac subjecto suo consideratam, esse facultatem æque spiritualem, ac illæ sint, quas intellectum, voluntatem, judicium, rationem nuncupamus. Omnes æque in muneribus suis ab organis corporeis pendent (508, & 1155).

II. Memoria, *ut hujus potentiæ functio*, est ve-

veluti *sensus continuatus*, *aut renovatus*, *sed magis*, *minusque tenuis* rerum quarumcumque materialium, sive immaterialium, quibus antea diversis temporibus, diversisque vitæ circumstantiis affecti fuimus: sive harum rerum nos subjectum, & testes fuerimus; sive illas ex ideis aliunde vel immediate, vel mediate communicatis, ab iis scilicet, qui earum subjectum, aut testes fuerunt, cognoverimus.

Res hæ, memoriæ objectum, æque esse possunt aut ipsæ animæ modificationes, cujusmodi sunt ideæ, judicia, dolores, voluptates, amor, odium; aut objecta quævis, ad quæ hæ animæ affectiones referebantur.

III. Memoria in *intimo objecto* suo considerata, sive in rerum imaginibus, quas retinet, & revocat, est veluti series exiguorum intellectualium adversariorum, in quibus invisibilis stylus, seu calamus, magis minusve ordinate, & exacte innumera tum sensibilia, tum insensibilia objecta descripsit.

Est veluti archivium, in quo diversis scriniis *descriptio magis*, *minusve accurata* plurium, quorum imaginem, aut sensationem habuimus, servatur; quam descriptionem, quum opus est, invenit anima, & excitat, quæque ita excitata, novam veluti vitam impertitur ideis, & imaginibus antea habitis rerum, quas novit, sensationibus, aut sensibus, quos res hæ in ipsa excitarunt, judiciis, quæ tulit, ratiociniis, quæ de illis fecit, liberis determinationibus, quas olim in indefinito tempore de illis sumsit.

1175. OBSERVATIO II. At quodnam est naturæ artificium, sive physicus rerum ordo, a quo in functionibus suis, & actibus hæc animæ facultas pendet? Qua ratione, quove *mirabili machinamento* fit, ut idea, sive sensatio in ipsa excitata innumeras alias naturali earum ordine excitet, & revocet? Qua ratione

a prima ad alteram, ab hac ad tertiam, hinc ad quartam, & sic deinceps progressus fit? sive in sermone, sive in poemate memoriæ commendato, sive in prolixa eventuum serie, quorum testes fuimus, aut quos in historia legimus? Hoc nemo novit, nec noscet unquam.

Ut inexplicabilis hujus phænomeni rationem aliquam physicam philosophi nonnulli afferrent, in cerebro *naturalis* cujusdam *cytharæ* speciem excogitarunt infinitis fidibus compositam, quarum plurimæ unisonæ sint, quarum aliqua si vibretur, ut in cythara artificiali, aliam sibi unisonam ad sonum excitat, ceteris non unisonis immotis (*Phys.* 778., & 759).

I. In hac hypothesi, inquiunt, facile est memoriæ exercitium percipere. Exempli causa:

Nomen *Alexandri* prolatum in aure impressionem facit, & in cerebro fibram concutit, cujus vibrationi *Alexandri idea* adnexa est.

Fibra hæc *vibrata* omnes sibi unisonas, & olim vibratas cum celebris hujus regis gesta legeremus, iterum excitat.

Quare omnes alias in cerebro ad sedem animæ diversas fibras excitat, quarum vibratio alias omnes *ideas successivas* excitare iterum debet, quas olim ad Alexandrum spectantes habuimus: proinde hinc successive illum videbimus a Philippo nasci, Græciam subigere, Darium e solio pellere, Porum vincere, Asiam invadere, Ægyptum prædari, & in Babylonica obsidione mori.

Primæ fibræ vibratio alteram ad vibrandum excitat, hæc tertiam, ista quartam, & sic deinceps.

II. Hæc, inquiunt, causa esse videtur sive efficiens, sive occasionalis, quæ in nobis ideas & sensationes præteritas iterum excitat, & sive orationis, sive evetuum seriem iterum in mentem revocat.

Conatus, quem adhibemus, sive ut oratio-
nem

nem memoria addiſcamus, ſive ut negotii, ſive hiſtoriæ ſeriem retineamus, ſucceſſive, & iterum, iterumque *fibrarum ſeriem* percellit uniſonarum in cerebro, ſeu quas contentio fecit uniſonas, quæque uniſonæ perſeverant; ita ut cujuſcumque ex illis vibratio ceteras omnes ſucceſſive excitare debeat, & totidem in nobis ideas, aut ſenſationes iterum excitare.

In iis, qui *perfecta memoria* prædití ſunt, unius fibræ vibratio ceteras omnes ad motum excitat, uniſonæ ſiquidem perſeverant. Ubi *memoria imperfecta* eſt, lacunæ ſunt, propterea quia fibræ olim uniſonæ laxantur, nec eandem tenſionem ſervant; quare non amplius fremunt, aut vibrantur.

III. At enimvero hæc hypotheſis fortaſſe omnium ingenioſiſſima, maximeque philoſophica, quam nos explicare dilucide conati ſumus *immedicabili vitio* laborat, quo parvi jam facienda eſt.

Vitium hoc eſt, quod phænomenon certum & cujus natura ignota eſt explicet cauſam afferens maxime incertam, & cujus natura nil magis intelligi, ac percipi poſſit, ac phenomenon ipſum explicandum.

Quare *naturale machinamentum*, ſeu cauſa occaſionalis, a qua memoriæ exercitium, & munus pendet inter ignota recenſetur, fortaſſe etiam ſemper impoſterum recenſebitur.

ARTICULUS II.

POTENTIA SENTIENS ANIMÆ HUMANÆ.

Anima humana hic, & quo ad phyſicum, & quo ad moralem potentiæ ſentientis ſtatum conſiderari poteſt. Hinc tres orientur ſequentes paragraphi, in quorum altero preſtan-

tiſſimam philoſophiæ partem pertractabimus, *humani* ſcilicet *cordis analyſim*, ſive *ſenſus philoſophiam*.



PARAGRAPHUS PRIMUS.

SENSATIONES, ET SENSUS ANIMÆ HUMANÆ.

1176. DEFINITIO. P*otentia ſentiens* animæ humanæ eſt anima ipſa in ordine ad ſenſationes, & ſenſus ſuos conſiderata : ſunt hæ binæ *ſpiritualium modificationum* ſpecies, quæ nimium ſæpius ſimul confunduntur, & quas hic diſtinguere pergimus (1154).

I. *Animæ ſenſationes* dicuntur ejus modificationes quædam reſpicientes præſentiam, ſeu ſenſibiles qualitates objectorum, quæ aliquem ex noſtris quinque ſenſibus actu afficiunt.

Impreſſio alicui ex noſtris ſenſibus effecta, ſive phyſica organorum noſtrorum concuſſio eſt *ſenſatio organica*. Impreſſio in anima recepta, & ab anima percepta eſt *ſenſatio mentalis* (455 & 457).

II. *Animæ ſenſus* dicuntur interiores quædam motiones gaudii, aut triſtitiæ, ſpei, aut timoris, amoris, aut odii, approbationis, aut improbationis, propenſionis, aut averſionis, voluptatis, aut moleſtiæ; hæ motiones in anima naſcuntur priuſquam ad objecta animadvertat, ſive etiam quum ad illa animadvertit; ab illis, quas organicas, & mentales ſenſationes dicimus vix, aut ne vix quidem pendent, quum ſine illis ſæpius habeantur; magis a ſpiritu, quam a ſenſibus pendere videntur : magis inſenſibilia, & moralia, quam ſenſibilia, & phyſica objecta reſpiciunt : ad utraque tamen ſpectare videntur, & veluti *nexum medium* efficere modificationum, quibus animæ actio a pure

re sensibilibus ad pure intellectualia transitum facit (1325).

Quare *sensus animæ* sunt veluti intimæ impressiones internique motus, quibus in intima substantia afficitur, qui illam titillant, aut laniant vehementissime, qui aliquando nulla animadversione excitantur, aliquando animadversione evanescunt, sæpius tamen animadversione vehementius irritantur (1168).

1177. NOTA. Inter animæ sensationes, & sensus patens est diversitas.

I. *Animæ sensationes* a potentia intellectiva non dependent, nempe ab ingenio, a judicio, ab inventione, ab imaginatione.

Etsi profundam Neutoni inventionem habeam, sublimen Cartesii imaginationem, cujusvis præstantissimi politici acutissimam penetrationem, vividiores, acrioresque sensationes non habuero, quam quas habeo quum objecta video, audio, tango, olfacio, gusto.

Sensationes hæ omnes a *physica organorum meorum constitutione* pendent, per quæ anima impressiones accipit.

II. At *animæ sensus* magna ex parte a potentia intellectiva pendere videntur, ab ingenio scilicet, a judicio, ab imaginatione, a quovis percipiendi modo illius, in quo sensus hi sunt.

Mens magis exculta, & ardua, homo intellectu præstantior vividius præclari facinoris merito afficitur, iniquo, turpique scelere vehementius indignatur: in omnibus exquisitiores animæ vires, & irritabiliorem sensibilitatem habere videtur; quo perfectius ea percipit, quæ horum sensuum objectum sunt.

III. Aliud quoque satis patens, & a nobis jam indicatum inter animæ *sensationes*, & *sensus* est discrimen. Illæ semper ex impressione in organa corporea enascuntur; isti ab animæ idea, aut judicio passim proveniunt. Illæ physicum

ſicum ordinem tantum reſpiciunt, hæ præcipue moralem.

Utrinque *ſenſibilis in animæ impreſſio* habetur; at hujus impreſſionis origo, & modus non idem utrinque eſt; adeoque duo modificationum genera in anima diſtinguenda ſunt, quorum alterum magis ad ſenſus, alterum magis ad ſpiritum pertinet.

ANIMA HUMANA IN SUIS SENSUS MODIFICATIONIBUS POTENTIA PASSIVA.

1178. ASSERTIO I. *Solus Deus eſt in nobis cauſa efficiens mentalium noſtrarum ſenſationum*. Neque enim aut materia, aut anima noſtra poteſt illas producere; ut alibi ſatis oſtendimus (467, & 462).

1179. ASSERTIO II. *Deus ſolus eſt in nobis cauſa efficiens ſenſuum noſtrorum internorum, quos a mentalibus ſenſationibus diſtinguimus.*

DEMONSTRATIO. Ut hoc breviter, dilucide, & ſolide demonſtremus, obſervandum proponimus primo, ſenſus hos a ſenſationibus noſtris vix, aut ne vix quidem pendere: deinde ex his ſenſibus nos nobis illos non excitare, qui jucundi ſunt, ut vellemus; neque pro libito nos ab iis eximi, qui moleſti ſunt; tertio de his ſenſibus hic dici poſſe, quod de internis noſtris ſenſationibus alibi diximus; earum ſcilicet in nobis productionem tribui non poſſe neque externis objectis, neque materialibus organis, neque animæ ipſi; adeoque eorum productionem non niſi Deo eſſe tribuendam. (461, & 462).

I. Certum eſt primo, ſenſus, de quibus quæſtio, vix, aut ne vix quidem ſæpius ab organicis, & mentalibus ſenſationibus pendere. Exempli cauſa:

Tenero benevolentiæ sensu amicum prosequor tunc etiam, quum centum, aut mille leucis a me distat. Quare hic benevolentiæ sensus diversus est, & minime pendet ab organicis, vel mentalibus sensationibus, quæ ab objecto tam dissito haberi nequeunt.

II. Certum est deinde, sensus hos voluntatis arbitrio haberi non posse, neque nos illos nobis aut excitare pro libito posse, aut adimere. Exempli gratia.

Lethali apoplexia corripitur hic amicus absens: infortunium hoc, quod tam procul a me contigit, & per literas tantum innotuit, me dolore summo, ac tristitia afficit.

Tunc nequeo mihi magis gravissimum hunc ægritudinis sensum adimere, quam intimam doloris sensationem adimere queam, quam experior fracto crure; neque magis molestissimo huic sensui alium jucundiorem sufficere possum quam solis oculos mihi ferientis sensationem intimam syrii sub horizonte latentis intimæ sensationi sufficere possim.

Non ergo sum egomet molestissimi hujus sensus causa efficiens; neque enim qua ratione in me exoriatur scio, nec quæ ejus natura sit, & quidquid obnitor, ut illum minuam, aut obliterem, frustra obnitor.

III. Certum est tandem, sensus hos, ut & mentales sensationes *solum Deum* causam in nobis efficientem habere posse, qui hac in re omnia in nobis operatur. Sensu enim intimo nobis constat, nos ignorare penitus qua ratione, quove arbitrio sensus hi varii in nobis enascantur; eodem siquidem intimo sensu constat, nos pro libito illos nobis non excitare, qui jucundi sunt, ut gaudii, & quietis; nec pro libito illos a nobis auferre, qui molesti sunt, ut timoris, aut tristitiæ sensus: nullos ex his animam causam efficientem habere; novit enim apprime ipsa, se sæpius illos experiri, quos fru-

frustra fugere nititur, aut abiicere; neque eos semper experiri posse, quos sibi procreare, aut excitare conatur. Q. E. D.

1180. OBJECTIO. *Animæ nostræ sensus* nobis innati sunt, inquit recentior philosophus. Natura ipsa a sui ipsius amore in individuo nascuntur, a doloris metu, a mortis horrore, a bene habendi desiderio. Nobis existere sentire est. Sensibilitas in nobis intelligentia certissime prior est; sensus habuimus priusquam ideas haberemus.

RESPONSIO. Quid verba ista sonantia probant, nisi sæpius nihil rectius quæstionem de sensibus intelligi, ac quæstio de ideis innatis intelligatur? Potentia ideas, & sensus habendi, sive activa sit, sive passiva, innata profecto est; est enim anima ipsa; at ideæ, & sensus non sunt innati: ceterum quem modo sensum habeo, & olim semper habuissem, & imposterum semper habiturus essem.

I. At sensus habuimus, inquies, priusquam ideas. Esto. Num proinde sensus hi erunt innati, quos anima scilicet in natura sua plane productos inveniat? non sane. Num proinde eos producit anima ut causa efficiens? ne hoc quidem. Sequitur tantum sensus hos, undecumque procedant, *animæ nostræ naturales* esse; sive naturæ suæ commodam, aut incommodam modificationem esse.

II. At qua ratione, pergent fortasse, diversi hi sensus, amor sui ipsius, mali metus, boni desiderium, quorundam vitiorum horror, ad quasdam virtutes propensio, ceteraque hujusmodi, sint *sensus animæ nostræ naturales*. si eos anima in natura sua non invenit, aut ipsa tamquam causa efficiens non producit?

Diversi hi sensus, etsi non innati, etsi ab anima tamquam causa efficiente non producti adhuc animæ naturales jure censentur. Non enim id tantum in subjecto quovis *naturale* dicitur,

citur, quod naturam suam constituit, sed etiam quod speciei suæ semper adnexum est; quæcumque tandem ejus origo, aut causa efficiens sit; a quo præscinditur.



§. II.

HUMANI CORDIS ANALYSIS, SIVE PHILOSOPHIA SENSUS.

1181. OBSERVATIO. I*Ntellectus*, & *cor*, ut jam monuimus, genericam hominis divisionem faciunt in ordine ad ideas, & ad sensus considerati, sive in ordine ad modum, quo res percipit, ac sentit. Quemadmodum intellectus non nisi anima ipsa est considerata ut potentia intellectiva; ita cor nihil est, nisi anima ipsa considerata ut potentia affectiva. De intellectu jam egimus; nunc de corde agendum.

I. *Cor humanum*, seu *cor morale*, de quo tantum hic sermo, anima ipsa est, quatenus potentia affectiva; sive quatenus considerata in ordine ad diversos sensus, quos experitur, ad varios affectus, quibus agitatur; exempli gratia, in ordine ad diversas impressiones, diversosque motus benevolentiæ, aut odii, desiderii, aut metus, gaudii, aut tristitiæ, voluptatis, aut molestiæ, quibus tam sæpe in intima sua substantia afficitur (1154).

II. Cor materiale, *cor physicum*, viscerum nostrorum præstantissimum, a quo partium omnium humani corpori motus exordium capit, & cujus motu cessante, reliquarum partium motus omnis intercidit, est tantum *carnis*, *& materialium fibrarum congeries*, cujus in nostra regni animalis theoria anatomicam notionem tradidimus (*Phys.* 540).

Quum itaque carnis, & fibrarum materialium con-

congeries sive organica sit, sive non organica, semper natura sensus incapax sit; patet, cor physicum in se varios illos sensus habere non posse, quos homo experitur; sunt enim natura intrinsecæ modificationes substantiæ spiritualis, & sua natura sentientis.

Quum tamen plerumque affectus hi, & sensus benevolentiæ, aut odii, desiderii, aut metus, gaudii, aut tristitiæ, voluptatis, aut molestiæ occasionem præbeant, ut *cor materiale* physice, & sensibiliter aut constringatur, aut dilatetur, diversas has animæ, modificationes ad cor materiale referre consuevimus, in quo non sunt; ut ad pedem, aut ad manum sensatio voluptatis, aut doloris refertur, quæ in ipsa anima est.

1182. NOTA I. *Scientia* igitur *humani cordis* non materialis cordis scientia est, sed animæ humanæ scientia, aut cognitio, quatenus ex suis affectibus agentis, & ex diversis sensibus amoris, odii, æmulationis, ambitionis, superbiæ, cupiditatis, zelotypiæ, iræ, vindictæ, quibus magis, minusve afficitur. Quare cor humanum noscere est humanorum affectuum progressum, & influxum noscere in diversis individuis, & circumstantiis.

Ut est metaphysica intellectus, ita & metaphysica cordis est. Illius operationes analysi subjici possunt; cur & hujus non subjiciantur? postrema hæc analysis *philosophia sensus* est, & hujus paragraphi argumentum.

I. *Metaphysica intellectus* homini arridet, atque jucunda est; gratum enim homini est sibi posse rationem reddere diversarum cognitionum, quas ab anima acquiri, in eaque enasci perspicit; hinc principiorum, illinc consequutionum nexus tenere: fontem, genesim, & nexum videre variarum operationum, quibus illi ad veritatem via sternitur.

II. At *metaphysica cordis* minus ne homini ad-

adridens, atque jucunda erit? minus ne homini gratum erit sibi posse rationem reddere diversorum motuum, ac sensuum, quibus ejus cor agitatur, & qui suos affectus efficiunt: noscere primum, & unicum germen, a quo universi hi affectus tam varii, cum omnibus eorum variationibus, & filiationibus propagari debent: eos omnes videre ab eodem fonte derivatos, ab *Amore proprio* scilicet, cum omnibus notis, quibus distinguuntur, cum omnibus gradibus, quibus diversi sunt, cum omnibus principiis, quibus roborantur, quæ illos transformant, aut extinguunt?

AMOR PROPRIUS MAGNUM MOBILE HUMANORUM AFFECTUUM.

1183. DEFINITIO. *Amor proprius* est ille amor sui, & rerum omnium propter se, qui humanos omnes affectus excitat, qui in hominibus & virtutes, & vitia procreat, prout bene, vel male dirigitur.

Deus ad imaginem suam hominem condens, universæ homini substantiæ, *instinctum hunc energicum, & inamissibilem* veluti immiscuit, quo ad se ipsum amandum fertur, quo omnia sibi utilia, & commoda comparare studet, quo se veluti centrum considerat, ad quod entia omnia in activitatis suæ sphæra sita referantur.

Instinctus hic infinite activus quibus viribus hominem non urget, ut omnia sibi obtineat, quæ & ejus existentiam, & ejus felicitatem permanentem facere possunt?

Instinctus hic infinite irritabilis, quo impetu hominem non excitat, ut contra ea quæcumque pugnet, quæ jucundas ejus voluptates, gratas sensationes, gaudia quævis impedire, tollere, ac minuere possunt?

Instinctus hic infinite fœcundus omnium in homine affectuum fons est, & origo; ab eo vir-

virtutes omnes, & vitia, benevolentia, odium excitantur, & ad agendum provocantur; & quum contra se pugnare videtur, sibi ipsi pugnat.

AXIOMA PRÆCIPUUM.

1184. *Amor proprius est communis origo in homine virtutum, & vitiorum, desideriorum, & timorum, benevolentiæ, & aversionis, uno verbo affectuum omnium, sive liciti sint, sive illiciti.*

EXPLICATIO I. Satis est vel paululum animadvertere quid in anima nostra contingat, ut saltem confuse moralis hujus axiomatis veritatem percipiamus; ac videamus, semper esse *Amorem proprium* bene, aut male directum principium motuum omnium nostrorum internorum quibus agitamur, determinationum omnium liberarum, quas capimus, actionum omnium seu virtuti conformium, seu vitio turpium, quas patramus.

II. At quum amorem proprium affectuum omnium, atque humanarum actionum universalem motorem facimus, non illum semper *Amorem proprium inordinatum* esse contendimus, in se veluti, & in suis motivis vitiatum, atque corruptum. Hoc esset veritatem ejurare, & philosophiam evertere perversa homines calumniandi libidine, & in illis vitia tantum, aut falsas virtutes detegendi desiderio.

Est in homnibus & *amor proprius ordinatus*, qui cor humanum humanis, & divinis legibus, honestatis, & religionis principiis subiicit; & *Amor proprius inordinatus*, qui cor humanum suis effrænatis appetitibus tradit, frustra ratione, & religione contra inclamantibus. Primus virtutem, alter vitia parit, & crimina; ut in philosophia religionis ostendimus.

III. Ut ostendamus qua ratione amor proprius

prius magnus potentiarum affectivarum animae motor sit, illum in praecipuis humanorum affectuum propaginibus considerabimus.

Facile inde erit percipere, qua ratione *Principium* hoc *morale* genericum fieri possit, seu quomodo etiam iis affectibus adhiberi possit, quos silentio praetereundos arbitramur.

VOLUPTATIS APPETITUS, DOLORIS TIMOR.

1185. EXPLICATIO. " Voluptas, & dolor, ait sapiens quidam, magni duo mundi magistri sunt; primi illecebrae vitam amare faciunt: alterius metus aliquando ad illam perferendam est necessarius ".

Ab amore proprio oritur *voluptatis appetitus*, sive motionum illarum sensibilium, & gratarum, quae animam excitant, atque titillant, & novum illi, ac jucundius existentiae, & vitae genus impertiri videntur.

Ab amore proprio oritur quoque *doloris timor*, sive illius status molestissimi, quo anima excruciatur, & quo existere illi supplicium est; quo ad compositi dissolutionem adduci videtur per tormentorum, ac convulsionum seriem, cujus aspectus magis fortasse re ipsa molestus est.

I. *Voluptatis illecebris* Providentia nos vitam, & valetudinem curare facit, nos ceteris hominibus adjungit, ad Deum ipsum nos trahit. Exempli gratia.

Est voluptas, quae edendo percipitur, qua urgemur corpus, & vires alimentis reparare. Non satis in his solliciti essemus, nisi necessitates nostrae voluptatem nobis non parerent.

Est voluptas societatis utilitati, & jucunditati conjuncta, quae homines invicem jungit, & sociat, sive domestica, & oeconomica societas attendatur, sive civilis, & politica.

Du-

Duplex hæc societas, Dei finibus plane conformis, cito solveretur, si amor proprius, & voluptatis appetitus illam non solidaret.

Est voluptas a Dei infinite boni, amabilis, benefici, veri parentis nostri, æterni nobis futuri gaudii cognitione percepta, quæ ejus amicitiam, ac possessionem nobis ambire facit.

Non ergo voluptas omnis prava est, & condemnanda: voluptate enim utitur Divina providentia, ut hominem ad finem illi propositum adducat.

II. *Doloris metu* nos quoque Providentia vitam amare facit, nos ceteris hominibus sociat, in officio continet.

Indigentiæ motus inertem ad laborem excitat. Vituperii, & supplicii motus improbum a maleficio retrahit. Mortis timor, & dolorum, qui ipsam sibi inferendo perferendi sunt, desperantis brachium continet. Æternorum suppliciorum metus peccantem deterret, sæpius etiam ad Deum reducit.

1186. NOTA I. Voluptas & ad sentientem, & ad societatem, & ad Deum relata considerari potest.

Illicita est, & reprobanda, quoties natura sua aut gaudentis, aut societatis bono, aut Dei præceptis contraria est.

I. Ab hoc morali principio, cujus certitudo, & evidentia satis se ipsam prodit, facile est plura rectissima consectaria deducere, quibus innumeræ illicitæ, & pravæ voluptates proscribuntur, quæ tantum valent vires enervare, discordias, & diffidia in societatem invehere, Dei ordinem, & providentiam pervertere, humanum genus in suo ipso fonte extinguere, & hominem ad perpetuam Dei auctoris sui oblivionem adducere.

II. Generatim voluptas illicita, & prava est, quum aut a naturæ lege, aut ab aliqua positiva lege immediate, vel mediate a Deo emanan-

nante proscribitur; quum alicui ex sacris morum principiis vel ratione, vel revelatione notis adversatur: quum religiosum, ac debitum cum Deo commercium vel destruit vel infirmat, nos ad sensibilia illegitime convertendo.

1187. NOTA II. *Voluptas* dicitur quævis perceptio, quam anima potius habere vult, quam non habere. *Molestia*, *&* *dolor* dicitur perceptio quævis, quam anima non habere potius vellet, quam habere. Voluptates, & molestiæ infinitum variæ esse possunt natura, duratione, intensitate.

Voluptatum summa *felicitatem* constituit; molestiarum summa *infelicitatem*.

Felicitatis, *&* *infelicitatis æstimatio* in suis diversis speciebus videtur esse productum ex intensitate voluptatis, aut molestiæ in durationem.

1188. NOTA III. Voluptates, & molestiæ omnes ad animam ipsam evidenter pertinent, non ad corpus, cui conjuncta est.

Quæcumque enim ab objecto in sensus meos impressio fiat, evidens est, hanc mihi non futuram nisi *motum physicum*, nunquam vero voluptatem, aut molestiam, nisi ab anima sentiatur.

Quare voluptates, & molestiæ re ipsa non nisi animæ perceptiones sunt. At hæ perceptiones inter se diversæ sunt, quatenus aliquæ ab externorum objectorum in sensus impressionibus exoriuntur, aliæ ab ipsa anima exoriri videntur.

Primæ *corporis voluptates*, *aut molestiæ* dicuntur: sunt hæ sensationes naturæ. Postremæ dicuntur *animæ voluptates*, *aut molestiæ*: sunt hæ sensus nostri. Sensationes igitur, & sensus duo sunt distinguenda (1176).

1189. NOTA IV. Binæ hæ diversæ voluptatum, & molestiarum species ad animam tan-

tum

tum pertinent; anima tantum enim sentit. At quænam determinate est earum natura?

I. *Voluptates corporis* sunt sensationes organicæ, & mentales, quæ animam alliciunt, & quas ipsa experiri gaudet.

Molestiæ corporis sunt sensationes organicæ, & mentales animæ ingratæ, quasque ipsa experiri metuit.

Sensationes organicæ nihil ad animam spectant, nisi quatenus suarum sensationum mentalium sunt causæ vel efficientes, vel occasionales.

II. *Animæ voluptates* in tribus gratarum, ac jucundarum perceptionum generibus positæ esse videntur: primo in placida jucunditate, quam pariunt virtutis exercitium, officia sancte obita, intimum conscientiæ testimonium; deinde in vivida jucunditate, quam parit veritatis inventio, aut contemplatio sive in physicis, sive in mathematicis, sive in moralibus, sive in pure intelligibilibus. Tertio in suavi jucunditate, quam parit ceterorum hominum sibi comparata benevolentia, & existimatio.

Animæ molestiæ positæ sunt in defectu trium horum felicitatis fontium, & triplicis hujus perjucundæ, ac pergratæ perceptionis; & in criminis admissi stimulo, vel in probro inscitiæ, vel in odii, & infamiæ horrore intime perceptis.

1190. NOTA V. *Animæ, & corporis voluptates* aliquando valde proximæ videntur. *Voluptas amicitiæ*, exempli gratia, aliquid habere videtur & de corporis voluptate ratione sensationum, & aliquid de animæ voluptate ratione quorundam sensuum a sensationibus non pendentium.

Idem dicamus de *animæ, & corporis molestiis*. Amici interitus, exempli gratia, animam meam dolore summo afficit; hujus vero doloris præcipuum principium est cessatio teneræ illius ne-

necessitudinis, qua devinciebamur, quamque sentire magis possumus, quam verbis explicare.

1191. NOTA VI. Inter animæ molestias, & voluptates nonnullæ sunt, quæ ab intima sua perfectione, *a sua morali sensibilitate* procedunt; ab illa scilicet vivida sentiendi vi, qua ceterorum bono gaudet, malo tristatur, eorum præcipue, quibus amore magis conjuncta est.

Hinc præclarum problema hoc exortum est, quod nobis a tribus vestalibus aspera in solitudine viventibus, ac pietate, & ingenio maxime commendandis propositum fuit, scilicet: *sit ne moralis sensibilitas bonum quoddam, aut malum, felicitatis ne, an infelicitatis principium.*

En tibi, mea sententia, vera principia, a quibus præclari hujus problematis, & fortasse omnium in philosophia sensus difficillimi solutio peti potest.

I. Certum est primo, felicitatem esse summam perceptionum jucundarum ductam in earum intensitatem; ut infelicitas est summa perceptionum ingratarum ducta quoque in earum intensitatem.

II. Certum est deinde, sensibilitatem moralem plurimum addere bono, & malo plerumque ex nostris *perceptionibus ordinis moralis*. Quæritur itaque quid ex una parte anima sensibilis lucratura, quid ex alia amissura sit.

Anima insensibilis nobis automatis species quædam videtur, seu naturæ mutilæ, & abortivæ, quæ in ordine ad sensum id est, quod anima hebes, & stupida in ordine ad intelligentiam, & cui nec bonum datur, nec malum saltem in ordine morali.

Anima sensibilis natura est omni ex parte completa, & animata, omnino vivens, & agens, omnino voluptati, & dolori obnoxia, sive in physicis, sive in moralibus (1177).

Illa huic præſtabit in dolorum ſumma, quos ex naturæ vitio, & imperfectione non ſentit. Hæc illi multo magis præſtabit in voluptatum ſumma, quarum delicias ejus natura vivida, magiſque energica multo magis ſentit.

III. Definitum non eſt, omnia moleſtiam eſſe, & infelicitatem in *perceptionibus moleſtis*, quas moralis ſenſibilitas nimium ſæpius parit. Si eorum, quos diligimus, mala ſenſibilem animam noſtram afficiunt, tunc quoque illi obvenire videtur *interna voluptas*, ex hac dolorum participatione; porro hæc quoque tacita, ſed vera voluptas, qua ſenſibilis anima nulla ratione carere vellet, inter voluptatum ſummam recenſenda eſt.

Plura ingrata vidi, ajebat ſapiens quidam, quibus contriſtatus non fuiſſem, ſi cæcus fuiſſem. Non tamen propterea aut oculis orbari, aut cæcus natus eſſe voluiſſem.

BENEVOLENTIA, & AVERSATIO.

1192. EXPLICATIO. Ab amore proprio exoriuntur in nobis odium, & benevolentia, antipathia, & ſympathia: quos ſenſus ſatis experientia noſcimus, & definiendo tenebris obvolveremus; ſenſus enim quidam ſunt, qui definiri nequeunt; atque ex hoc genere hi eſſe videntur.

I. Meritum inſigne aliquando odimus, aut odiſſe ſollicitamur; a nobis enim publicam, quam ambimus, attentionem avertit. Superbiam odimus; ſe enim ſtulte exaltans, nos deprimere velle videtur. Avaritiam odimus; animam enim aſperam, & miſericordiæ neſciam indicat, auri tantum amantem, quæque nullo pietatis, ac beneficentiæ ſenſu tacta non niſi nocere nobis poſſet. Injuſtitiam odimus; manifeſta enim eſt animi diſpoſitio ad damnum in bonis, aut in honore inferendum. Crudelitatem,

tem, & ferocitatem odimus, implacabilem ulciscendi libidinem, nimiam asperitatem; hæ siquidem noxiæ qualitates sunt, a quibus mala nobis timere possumus. Rusticitatem, obscœnitatem, impudentiam, sordes odimus; sive quod hæc vitia non nisi ingratas in nobis ideas excitent; sive quod in subjecto turpes, & contemnendas qualitates indicant, unde non nisi quid ingratum, & molestum expectari possit. Cetera.

II. Contra vero justitiam diligimus, nostra enim jura, & bona tuetur; beneficentiam, quod propensionem præsefert ad nobis pro opportunitate benefaciendum; clementiam, quod nobis indulgeat, atque ignoscat; fortitudinem, quod nos protegat, ac defendat; modestiam, & humilitatem, quod nos honore, & reverentia prosequantur; sapientiam, & prudentiam, quod nos erudiant, ac dirigant. Cetera.

1193. NOTA. Habet aliquando anima *sympathias* quasdam, & *antipathias* indeliberatas, quarum nulla apparet causa, aut ratio. Hæ quoque ab amore proprio enascuntur.

Exempli causa, duos video ludentes, quos nunquam alias neque de visu novi, qui neque me norunt, nec mihi ratione ulla conjuncti sunt; quare non fere semper uni præ altero faveo? ideo hoc est, quia unus mihi vel aspectu, aut voce, aut indole satis detecta adridet, alter non item.

Fieri etiam potest, ut alteruter mihi, hoc non animadvertenti, similitudinem quandam exhibeat cum aliquo mihi amicitia conjuncto; aut ut alter alicui similis sit, qui aliquando mihi infensus fuerit, & aversationis semina in me reliquerit ab eis omnibus, quæ illi similia esse possunt. Porro hoc amori proprio satis est, ut inde naturalis sympathia excitetur, aut antipathia.

PROPENSIO AD SOCIETATEM.

1194. EXPLICATIO. Ab amore proprio in hominibus oritur *propensio ad societatem*, sive ad simul convivendum.

I. Certum est, *propensionem hanc in humana natura haberi*, in universo enim orbe ejus effectus manifesti sunt.

Quum vero in universo hominum genere propensio hæc inveniatur, certum est, a Deo humanæ naturæ datum esse *vinculum quoddam*, sive *secretum impulsum*, quo voluit homines simul jungere, ut socialiter viverent; ut certum est, apibus, & formicis aliquid indidisse, quo ad simul vivendum ducerentur, quod lupis, ursis, falconibus non indidit.

II. At vero *quid est vinculum hoc secretum, secretus hic impulsus, quo ad socialiter vivendum homines immediate propendent*? est amor proprius, est commodum, & voluptas, quam in sociali vita experiuntur.

Omnibus hominibus easdem facultates intellectuales, & sensibiles Deus impertitus est. Hinc in illis eædem exoriuntur necessitates, iidem sensus, eædem notiones magis, minusve explicitæ boni, & mali physici, commodi, aut noxii humano generi. Hinc quoque unanimis in illis opinio enata, si socialiter vivant, se sibi posse utilitatem, & cognitiones mutuo parere; se ita vivendo posse molestiarum summam multo minuere, voluptatum summam multo augere. Hinc ad societatem propensio.

III. Sine legibus societas stare nequit. Hinc unanimis eorum consensus in inquirendis in anima ipsa sanctionibus sacræ, & inviolabilis legislationis, quam a natura ipsa sibi insculptam censent, & quam *universalem* humani generis *legem* appellant. Hinc unanimis quoque eorum consensus de virtutibus ab hac universali lege

præ-

præceptis, quæ omnes ad bonum societatis tendunt, diligendis, atque colendis.

1195. NOTA. Impia philosophia a sola sociali propensione, atque ab hominum utilitate ortas voluit & *naturæ legem*, & *sociales virtutes*, quæ societatis cujusque basis sunt, & fundamentum.

Alibi ostendimus, præposteram esse hanc philosophandi rationem; in hac chimæricam esse *naturæ legem*: *virtutes* vero *sociales*, ut justitiam, rectitudinem, probitatem, fidelitatem, gratum animum, amicitiam, majoribus obedientiam, inter stultas, & insanas res esse recensendas (845, 851, 872).

AMOR CONSANGUINEORUM.

1196. EXPLICATIO. Ab amore proprio in hominibus exoritur amor sanguinis; sive prædilectio illa, & ille prælationis affectus, quo magis ceteris consanguineos nostros prosequimur.

I. Pater peculiari modo natos diligit, ipsum enim referunt, & ejus veluti partes sunt, hi ipsi *exiguum*, *& peculiare dominium* constituunt, cui ipse præest; ipsius felicitatem facturi sunt, in senectute adjumeuto futuri, ejus nomen, gloriam, stirpem, quidquid demum magis cordi habet propagaturi sunt.

Filius peculiari amore patrem prosequitur, patri enim vitam sibi datam debet, educationem, amoris beneficium: patris quoque gloriam, honorem, fortunam gloriæ, honori, fortunæ suæ veluti commixtam videt: in patre *necessarium amicum* invenit, cujus amicitia, & subsidia nunquam illi sunt defectura.

Varia hæc motiva, quæ omnia ab amore proprio derivantur, *officii motivum* ingens non excludunt; hoc enim in ingenuis animis om-

nium maximum motivum est; ac ipsum quoque *cum amore proprio recte ordinato* stare potest; ut de virtutibus, & vitiis agentes in philosophia religionis ostendimus.

II. Maritus uxorem peculiari amore prosequitur; hæc enim jucundum illi suarum voluptatum objectum est, sortis suæ inseparabilis comes, veluti alter ipse: hæc enim ad obitum usque est *amica* illi *necessaria*, cujus sors generatim sumpta suæ conjuncta, ac commixta est. Eadem amoris proprii motiva uxorem marito devinciunt.

Mutuus conjugum amor minus posset, si principia, quibus enascitur minus activa essent, minusque fortia, ac vincula, quibus adnectitur, minus arcta, minusque duratura.

Nisi tam valida motiva, & principia essent, mutuæ libertatis amissionem nunquam compensare potuissent, nec mutuæ obligationis vincula perferenda reddidissent, nec incommoda, molestias, sollicitudines familiæ alendæ, atque educandæ necessario adnexas subire fecissent.

III. In aliis consanguinitatis, & affinitatis gradibus decrescit amor, ut gradus remotiores fiunt; in eadem enim ratione amoris proprii motiva decrescunt. Magis itaque amatur, & amari re ipsa debet germanus frater, quam patruelis frater, magis consanguineus in linea directa, quam in collaterali.

1197. NOTA I. Ex hac *amoris proprii theoria* plura exigua phænomena perbelle explicantur, quæ passim observamus. Hoc ipsum quam vera, & naturæ, ac rationi consentanea sit ostendit. Exempli gratia:

I. Quare passim *magis diligitur amicus non consanguineus, quam consanguineus non amicus*.

Hoc ideo est, quia amici magis, quam consanguinei societas jucunda est, & voluptatem parit; & voluntatum, ac indolis cum primo sym-

ſympathia libertatem quandam, hilaritatem, commodum animæ creat, quæ omnia cum altero non obtineret.

II. Quare *paſſim conſanguineus non amicus amico non conſanguineo præfertur*, ſi quando aut dignitas, aut munus aliquod utile alterutri obtinendum ſit?

Hoc ideo eſt primo, quia, aut dignitas decora, aut munus utile parenti ſollicitatum cenſetur honor, aut bonum in univerſam familiam redundans, cujus pars ſumus; deinde quia benevolentia in conſanguineum, etſi minus tenera, & ſenſibilis, cenſetur tamen *benevolentia neceſſaria, & inalienabilis*, quæ nobis in rerum diſcrimine deeſſe non poſſit, benevolentia vero in amicum cenſetur *benevolentia libera, & amovibilis*, quæ abſolute ceſſare poſſit. Prima igitur prælationis titulum habet ſupra alteram.

Hinc vides, amorem proprium, etſi fortaſſe explicite non animadvertat, habere tamen natura ipſa in omnibus acutiſſimam, & accuratiſſimam *metaphyſicam ſenſus*.

III. Pari modo, quare *amor ſanguinis deſcendit magis, quam aſcendat*? ſive quare parentum in filios amor vividior, ac vehementior eſt amore filiorum in parentes? Amor proprius hoc quoque problema ſolvet.

Pater in filiis *parvum dominium* videt *ſibi ſubditum*; filii in patre dominum vident amantem quidem, & beneficum; ſed tamen dominum, qui præcipiendi jus habet, arguendi, domeſticas leges ferendi, communia bona pro libito adminiſtrandi. Amor proprius hac in re magis in patre allectus, quam in filiis, illum his magis arcto nexu devincire debet.

Beatos ſane dicam parentes, qui auctoritate non imminuta, ſe filiis amabiles reddere norunt, qui opportuno in eos ſervato dominio, illos ſibi amicos, & aliqua ratione ſibi æqua-

l s facere sciunt. Hi sanguinis amorem ascendere faciunt ferme æque, ac descendit.

1198. NOTA II. Sanguinis vincula laxantur quum dividuntur; roborantur vero, si constringantur; amoris enim proprii commoda eadem proportione minuuntur, aut augentur.

I. Consanguineos quis habet plures, fratres puta, & sorores: horum aliquis, quum nil tale putabatur, morte abripitur.

En, bonum, quod aufertur, auxilium, quod deficit; pars nostri nobis hac morte veluti sublata est. Gravis dolor hac jactura percipitur; at in superstitibus amor proprius medelam invenit, & levamen.

II. Unicus est frater, aut soror unica; & morte corripitur.

Gravissimus hic dolor est, & vitam ipsam nobis invisam facit; quasi unici in orbe superessemus mœstitia cruciati, & infortunio prostrati.

1199. NOTA III. Idem ferme contingit in patriæ, & nationis vinculis; eo debiliora hæc sunt, quo magis dilatata, fortiora, quo magis contracta.

Exempli gratia, in Gallia Gallus de alio Gallo non nimis sollicitus est, cui solo nationis vinculo conjunctus sit: hic enim tantum vicies millies millesimam sollicitudinis partem sibi vindicat, quam Gallus nationi debet.

In Sinensi regno Gallus de alio Gallo maxime sollicitus esset; ibi enim hic Gallus alteri sympathia, & nationis vinculo alligatus sibi eam totam sollicitudinem ab hoc vindicaret, quam nationi universæ, a qua abest, deberet.

AMOR PATRIÆ.

1200. EXPLICATIO. Ab amore proprio procedit *amor patriæ*, sive sympathia illa, quæ nos

nos regioni, in qua nati sumus, maxime addictos efficit.

Amœna vallis, quam Draco vix e montanis suis fontibus elapsus, & jam indomitus torrens partitur, atque irrigat: ridentia plana Chabotti, & Planæ, jucundi colles *Phaniasi*; amœna loca, ubi primum lucem aspexi, ubi infans educatus fui *a matre carissima*, quæ jamdiu diem extremum obiit, quæque conjugum, matrum, virtutum omnium, pietatis in Deum, misericordiæ in pauperes exemplar fuit; & *a patre æque carissimo* recens morte sublato summo mœstissimæ familiæ dolore, ac patriæ ipsius lacrimis, qui semper fuit dulcissimus filiorum suorum amicus, amicorum delicium, propinquis, & indigenis consilio acceptissimus, sæpius etiam illorum arbiter, & judex ea sola auctoritate, quam intelligentiæ, rectitudinis, & probitatis fama impertitur: dulcis patria, natalis tellus, mihi tu semper in mente versaris, tui mihi gratissima semper est recordatio. Te iterum aliquando invisendi spes me summa, ac jucundissima afficit voluptate.

I. Pars organica naturæ humanæ aliqua in regione crescens, & sese explicans, sese sensim sine sensus conformat analoga quadam ratione aeri, quem haurit, cibis, quibus alitur, caloris, aut frigoris intensitati, in qua casu sita est. Si patria mutetur quid continget?

Densior aer, natali rigidior, minusque elasticus non ita libere interno sinus permeat, quibus sibi iter facere debet; sanguinem, humores, fibras, organa non apte percellit: animalia, aut spiritualia munera aut inertia relinquit, aut languere sinit. Hinc in humano composito inertia, torpor, languor, extenuatio, incommodus hominis status, quibus purius illud cælum appetit, tepidius, ridentius, sub quo melius habebat, & beatior vivebat.

II. Aer subtilior, siccior, adustus magis, quam na-

nativus sit, nimis libere, nimiaque vehementia pulmones, sinus, & vasa omnia aerea pervadit: nimia facilitate, nimioque impetu sanguinem, & humores agitat; naturalem fibrarum, organorum, totius humani corporis statum perpetuo fatigat, atque immutat. Hinc etiam in humano composito incommoda, nulla quies, tædium, molestia, languor, quæ omnia mitioris cæli, minusque devorantis desiderium creant, sub quo majori placidarum, & gratarum sensationum copia fruebamur; & beatiorem vitam vivebamus.

Laponem a gelidæ zonæ horrendis rigoribus, aut Æthiopem a torridæ zonæ ardenti calore, ad mitius clima, puta in Galliam, aut in Italiam transfer. Regiones hæ horum hominum organis non erunt analogæ; & irrequietus eorum animus Laponiæ, & Æthiopiæ desiderio torquebitur, & tam vehementer angetur, quam Galliæ, aut Italiæ desiderio angeretur Gallus, aut Italus, si aut ad circulum polarem, aut ad æquatorem transferretur.

Quum quisque vel ab incunabulis patriæ moribus, & consuetudinibus assueverit, cogitandi, sentiendi, agendi modum sibi sensim sine sensu effinxit, qui extra natale solum insolens apparet.

Qui patriam deserit, naturam veluti mutare, & novam induere debet. Novas hic sibi ideas effingat oportet, nova desideria, novos habitus, novos ferme sensus. Quid inde? perpetua hæc contentio, non intermissus hic in naturam nisus, ut cum extraneis sociatim vivat, amorem proprium torquent diuturno, atque ardenti jucundæ, ac liberæ illius vitæ desiderio, qua in patria fruebatur.

III. Infantia, & adolescentia dulcis, ac placidæ fœlicitatis ætates sunt. Tunc magna bonorum copia fruimur; sensationes enim vividæ, & elasticæ objectum suum apprime asse-

quun-

quuntur, & omnem solatiorum, ac voluptatum vim percipiunt. Paucis tunc malis agitamur; nondum enim animadversio irrequietas cogitationes, & curas excitavit, quæ præsentes voluptates amaritie spargunt, & futurorum eventuum molestias, & incommoda præcurrunt.

Quum quis firmiori ætate ad exteras terras transmigrat, incommodis, ac molestiis afficitur, quibus in patria non vexabatur: & temere cæli diversitati tribuitur, quod ab ætate mutata esset repetendum. Hinc amor proprius patriam expetit, ubi infantiam, aut adolescentiam transegit; & cum jucunditate vixit, quæ illi semper menti gratissima obversatur, & quam in novo domicilio frustra quærit.

1201. NOTA. *Amor patriæ* non semper tantum est sympathia ad ejus physica. Sepius moralia amplectitur, & iis vehementer afficitur. Aliquando viresacquivit, & œstro quodam corripitur, quo patriam considerans ut *Totum politicum*, cujus pars quisque civis est, & cujus vices secum communes sunt, vivide excitatur ad eam defendendam, ad ejus jura tuenda, ad ejus gloriam ulciscendam, ad ejus hostes exterminandos.

Si patria in ordine ad politica, & moralia consideretur, ejus amor in civibus crescit, aut minuitur ad normam commodorum, quæ illi amorem proprium conciliant, atque devinciunt. Princeps de patria magis subdito est sollicitus, homines summo loco nati, magis plebe; nationis liberæ cives magis civibus nationis δεσποτῳ subditæ de patria solliciti sunt.

In Romana republica civis quispiam patriæ in politicis consideratæ amore vehementissimo ardebat; e re sua siquidem erat quam maxime, ut incolumis servaretur; & ingenio, & virtute ad maximas dignitates evehi poterat.

In Turcarum imperio nemo privatus patriæ in politicis consideratæ studio ullo tenetur; se sem-

ſemper enim vilem ſervum futurum novit, quæcumque patria viciſſitudines ſubjerit.

Quum omnia commodi, & amoris proprii vincula, quibus patriæ devinciebamur, ſoluta ſunt; quum extra patriam ſumus, & ſine ulla ad res patriæ phyſicas, vel morales relatione, majorem, aut æqualem bonorum, & commodorum copiam invenimus; tunc amor patriæ, prælatio hæc, & prædilectio ceſſat, & evaneſcit; & juxta vetus adagium: *ubi bene, ibi patria.*

AMOR GLORIÆ, INVIDIA, ZELOTYPIA.

1202. EXPLICATIO I. Ab amore proprio enaſcitur *amor gloriæ*, famæ, prælationis.

I. Gloria eſt fama exiſtimationi conjuncta, aliquando etiam admirationi; hæc eſt egregio merito noto obſequium præſtitum.

Excellentiæ noſtræ perſuaſio nos ipſos allicit; nos enim propriis ideis extollit; & hujus exaltationis ſenſus, ſi certa ſit, omnium perceptionum noſtrarum gratiſſima nobis eſt.

Exellentiæ noſtræ perſuaſio apud ceteros nos allicit; in ipſis enim jucundam nobis noſtrum ideam excitat, cum qua nos identificare gaudemus; in ea enim multiplicari, aut æternum vivere nobis videmur.

Gloria *apud poſteros conſiderata* bonum tantum poſthumum eſſe videtur; at illi, qui eam ſibi paratam ſentit, bonum re ipſa præſens eſt.

Poſteritatis elogia hominis ingenio, & inventis clari auribus inſonuerunt. Quum illa promereri ſtudebat, ea prævidens illis frui cœpit.

At vero, *præſtat ne tanta perferre, ut illa adipiſcamur?* Vulgus nihil præſtanti viro ſimilis, & omnino diverſa ſentiens, procul dubio negabit.

Animis ſublimis, ingenio præſtans, quo apud

pud posteros gloriam jure expectare possit, fortasse affirmabit; ac arbitrabitur, Homerum, Virgilium, Demosthenem, Ciceronem, Euclidem, Archimedem, Cartesium, Neutonum, Sophoclem, Cornelium, Pindarum, Russoum doctarum suarum vigiliarum locuples præmium consequutos fuisse, si vel unico instanti communem admirationem prævidere potuerunt, quam apud posteros eorum immortalia nomina adepta sunt.

Ut quam dum viverent voluptatem ceperint summi isti viri percipiatur, quum ex secretis suis domiciliis gloriam hanc sibi parari videbant, & eorum nomina immortalitate donari; fortasse ipsos æquare, aut ipsos esse oporteret.

1203. EXPLICATIO II. Ab amore proprio procedunt invidia, & zelotypia; affectus satis noti, melius percepti, quam definiti.

I. *Invidia* est tristitia orta ex alieno merito vel felicitate, quam invidus habere vellet, & non habet. Invidia sæpius est obsequium; quod invidus merito, aut virtuti vel invitus exhibet.

Cave tamen invidiam *cum recto indignationis sensu* confundas, quem sæpe ingenui animi experiuntur, quum videant indignis, & vitio turpibus munera, dignitates, honoris gradus conferri, quæ omnia meritis, & virtuti debebantur; quæque meritis, & virtuti collata de eorum abusu metum ademissent.

II. *Zelotypia* est illa molesta, & tristis agitatio, quam amor proprius experitur; quum bonum amittere, aut cum aliis dividere timet quod solus ipse, & semper vult possidere.

In magis communi, magisque violento zelotypiæ genere zelotypia affectus, a zelotypia consuetudinis, morum, legis est distinguenda. „ Altera, inquit celebris Montesquieu, est febris ardens, ac devorans; altera frigens, at „ aliquando terribilis, cum indifferentia, &

„ con-

„ contemptu componi poteſt. Altera, quæ a-
„ moris abuſus eſt, ab ipſo amore naſcitur;
„ altera ad mores tantum ſpectat, ad nationis
„ alicujus conſuetudines, ad leges municipa-
„ les, ad moralia, aliquando ad religionem
„ ipſam. Mahumetes ſuis ſectatoribus ſedulam
„ fœminarum cuſtodiam commendat: Confuſius
„ hoc ipſum æque inculcavit. “

III. Invidia, & Zelotypia ſupponunt, idem bonum, aut eandem boni ſpeciem a pluribus affectari; & hujus ambitus rationem ſequuntur. Exempli gratia, vir militaris docti hominis gloriæ non invidet, neque doctus gloriæ militaris; in ambobus enim amoris proprii diverſum objectum eſt.

At vir militaris alterius militaris gloriæ invidet, doctus alterius docti gloriæ; in utroque docto viro amor proprius eandem gloriam affectat, quam obtinuiſſe vellet, ſi illa caret, quam ſolus vellet, ſi conſequutus eſt. Hinc in illis invidia, & zelotypia.

AMOR SOLATII, TÆDIUM.

1204. EXPLICATIO. Ab amore proprio emanat *amor ſolatii*, ſeu neceſſitas aliquo pacto extra ſe vagandi.

Duo præcipui ſtimuli hominem incitant, ut extra ſe vagetur, & ut in ſe reverti timeat; quod ſcilicet in ſe ipſo invenit, & quod extra ſe invenire ſperat.

I. In ſe homo duo triſtia, & moleſta invenit; ſcilicet propriæ infelicitatis, & propriæ obligationis ideas.

Sua infelicitatis idea terrenorum bonorum inanitatem, & inſtabilitatem exhibet, mortis proximæ certitudinem, vitii turpitudinem, & ſtimulos, divinæ juſtitiæ apparatum.

Sua obligationis idea plurima illi exequenda exhibet, eaque incommoda, & terrentia inertem

tem hominem, & voluptatibus deditum; tristia, & aspera homini laborem fugienti, aut se ineptum sentienti; amori proprio exosa, & non ferenda, cui obligatio, subjectio, contentio fere semper tormentum est.

Hinc in homine vehemens ille appetitus extra se vagandi. Ad hoc omnia illi opportuna sunt, omnia libenter tentat, modo his tempus terere, & a se mentis oculos avertere possit; sive laboriosis exercitiis, sive inutilibus negotiis, sive insulsis confabulationibus, sive ineptis, & quotidianis per domos excursibus, sive tædium creantibus ludis, sive crepundis aliis quibuscumque.

II. Homo extra se Ens sibi maxime opportunum invenire sperat, quod mens non cognoscit, voluntas vero vehementer appetit; cujus spe allicitur, possidere tamen nequit; ad quod indesinenter anhelat, quod magis magisque ab eo recedit: quod ubique extra hominem adesse videtur, nec nisi in homine esse potest. Ens hoc adeo expetitum est *Felicitas*; quæ si ut par est concipiatur, re ipsa datur; quid chimæricum est, si concipiatur ut passim concipi solet.

Vana spes boni imaginarii indesinenter hominem extra se trahit, atque ita veram felicitatem amittit, quam in se ipso, & in sui ipsius possessione invenire potuisset. Alexander felicitatem quærität in ardentibus Africæ arenis, in horridis Scythiæ desertis, in uberibus Indorum regionibus; felicitas vero, veluti exterrita, semper ante ipsum fugere videtur. Abdolominus in horto colendo suas voluptates, & desideria sua limitat, & felix est.

III. *Tædium* est idearum, sive sensationum jucundarum indigentia: hanc solatio, seu distractione sedare studemus; sed his tædium sæpe renovamus, aut aliud nobis creamus.

Tædium est animæ status, in quo nihil placet, nihil adridet, omnia ingrata sunt, & incom-

commoda, in quo anima agitari indiget, & excitari; nihil vero est, quo excitetur. Non admodum violentus est iste status, sed tamen maxime incommodus: & aliquando in teterrimam melancholiam abire potest.

Tristitia est veluti vermis animam rodens: tædium est veluti animæ paralysis. Illa molestiæ sensum nutrit: hoc voluptatis sensum expellit.

Tædium æque, ac tristitia in omnibus objectis inveniri videtur. Si quando horum alterutro anima correpta est, illud ubique extra se offendit. Frustra effugere nitimur; fugientes tædium, æque ac tristitia insequuntur, & excruciant: *post equitem sedet atra cura.*

1205. NOTA. Ex iis, quæ luculenter hic tradidimus de præcipuis modificationibus animæ, seu de præcipuis propaginibus *humanorum affectuum*: pronum cuique erit & ceteros noscere, quos silentio preterimus, eorum communem fontem in proprio amore detegere, atque percipere, illos re ipsa non esse nisi animæ aut *desiderium*, aut *gaudium*, aut *tristitiam*, quorum omnium tandem magnus motor est Amor proprius. Exempli causa:

I. *Desiderium* est amoris proprii appetitus eorum, quæ aut nos incolumes servare, aut felices reddere posse nobis videntur.

Interea, quæ amor proprius appetit, alia sunt quæ appetuntur, quia ut bonum considerantur; alia, quæ ut bonum considerari nequeunt, nisi quia instinctu quodam, qui definiri nequit, illa appetimus.

II. *Gaudium* est sensus ille gratus, atque jucundus, quem experimur, quum natura a quodam perfectionis, & præstantiæ gradu, ad sublimiorem transit, sive in physicis, sive in policis, & moralibus.

Tristitia est sensus oppositus: ingratus scilicet ille sensus, quem experimur, quum a subli-

mio-

miori perfectionis, & præstantiæ gradu ad inferiorem delabimur.

III. *Amor* est sensus gaudii, quem objecti amati præsentia, aut idea excitat, aut fovet.

Odium est sensus oppositus; tristitiæ scilicet a præsentia, sive idea objecti exosi ortæ, vel enutritæ.

IV. *Propensio* est sensus gaudii orti a præsentia, sive idea rei, quam nostram felicitatem augere posse arbitramur.

Aversatio est sensus oppositus: tristitiæ scilicet ortæ a præsentia, sive idea rei, quam nobis noxiam esse posse censemus.

V. *Spes* est titubans gaudii sensus, quem in nobis excitat rei sive præteritæ, sive futuræ, cujus exitum desideramus; num vero eventurus sit incerti sumus.

Timor est sensus oppositus; titubans scilicet tristitiæ sensus in nobis excitatus a re sive præterita, sive futura, cujus eventus in se dubius nobis noxius esse potest, quem tamen eventum adhuc ignoramus.

VI. *Tranquillitas* est gaudii sensus ab idea rei ortus, de qua timebamus, & cujus timoris causa sublata est.

Animi desponsio est sensus oppositus; tristitiæ scilicet ex idea rei ortæ, quæ maximum nobis bonum erat, & de qua omnino desperamus.

VII. *Commiseratio* est tristitiæ sensus, quem in nobis excitat idea mali, quo angitur ens aliquod, cui nos aliquo pacto similes esse putamus.

VIII. *Pœnitentia* est tristitiæ sensus in nobis excitatus ab idea actionis a nobis factæ, quam non fecisse debebamus.

IX. *Humatitas* est nobile, & generosum desiderium hominibus benefaciendi. *Benevolentia* tenerum desiderium iis, quos diligimus, benefaciendi. *Gratus* animus verum, & sincerum desi-

desiderium, etsi aliquando inefficax, iis benefaciendi, qui nobis benefecerunt.

X. *Æmulatio* est vividum desiderium id faciendi, quod ab aliis præclarum, & publica laude dignum fieri cernimus. *Audacia* est efficax desiderium gloriose pericula subeundi; quæ viles animi subire verentur. *Vindicta* est cæcum desiderium iis ex odio malum inferendi, qui quoque ex odio nobis malum intulerunt.

BEATITUDO OBJECTIVA, ET FORMALIS.

1206. DEFINITIO. Homo ad beatitudinem & felicitatem natus est, ut illi nunquam fallax naturæ vox annunciat. At in quo hæc hominis beatitudo, sive felicitas sita est?

I. *Beatitudo objectiva* hominis dicitur id, quod immediate felicitatem suam efficit, quod rectorum, & ordinatorum suorum desideriorum immediatum objectum est.

In præsenti vita varia naturæ, & fortunæ dona, ut bona valetudo, libertas, ingenium, vitæ commoda, amicitiæ, & famæ utilitates cum spe supernaturalium, & æternorum bonorum in patria cælesti initium objectivæ beatitudinis efficiunt.

In futura vita visio intuitiva Dei plenam atque perfectam hominis, nisi se illa indignum reddiderit, in cælesti patria objectivam beatitudinem efficiet.

II. *Beatitudo formalis* hominis dicitur id, quod illum formaliter beatum efficit, seu quod suam beatitudinem formaliter constituit.

Voluptas ex virtute genita, molestiæ, ac doloris absentia, interna quies, & jucunda ex licito, honestoque naturæ, & fortunæ bonorum usu formalis beatitudinis initium in hac vita constituunt.

Inef-

Ineffabiles, & inexaustæ deliciæ ex nunquam amittenda Dei visione, & possessione ortæ plenam, atque perfectam hominis in cælis formalem beatitudinem efficient.

§. III.

NOTIO MORALIS SCIENTIÆ.

1207. OBSERVATIO I. Posse in vitæ muneribus regi a *quibusdam legibus* servandis, a *quibusdam officiis* exequendis, est moralitatis esse capacem.

Præclara intelligentiarum liberarum conditio, ut *moralitatis capaces* sint. Hanc obtinet humanum genus: nulla vero brutorum species hac conditione gaudet (240).

I. Patet, Deum, quum hominem ad imaginem, & similitudinem suam condidit, & illi intelligentiam, & libertatem impertitus est, potuisse summo suo in entia omnia a se creata, & sibi essentia subjecta dominio *affectivas hominis potentias limitare*.

Possunt igitur inter diversas bonorum species, quas hominis potentiæ appetunt, esse aliquæ, quibus frui homini interdictum sit.

II. Patet, si homo certo, & evidenter cognoscit sive naturali rationis lumine, sive supernaturali revelatione, aliqua illi esse interdicta, alia præcepta, debere ipsum, quidquid contra natura obluctetur, *illa vitare*, *hæc exequi*; hæc enim obligatio est quid evidenter procedens & ab idea sui ipsius, & ab idea Dei, a quo conditus est.

III. Patet, id omne quod ratio homini vetitum ostendit ab ipso vitandum esse, quod præceptum exequendum; *ratio enim intelligentiarum lex universalis est*; seu mavis, ratio est *codex natu-*

naturalis, in quo summa divinæ legis conscripta est.

Hinc idea, & fundamentum *naturæ legis* omnibus hominibus communis (842, & 845).

IV. Patet, Deum quasdam leges naturali lumine homini indicentem jus non amittere, quum illi libuerit, *alias leges* supernaturali præcone indicere, easque æque obligatorias, quum aperte constabit illas a Deo latas esse, vel ipsa enim ratio docet, Dei edicta æque veneranda, atque adimplenda esse, quocumque modo nobis manifesta fiant (145, & 147).

Potest enim homini esse imposita *lex supernaturalis* ab ea diversa, quam ratio prædicat, non illi opposita.

1208. OBSERVATIO II. *Moralis* est scientia officiorum, quæ homo exequi debet; seu scientia, quæ affectivas hominis potentias regere debet.

I. Hominis officia, seu obligationes partim *naturæ lege* continentur, quæ prima quidem, at non unica hominis lex est; partim *religione revelata*, qua Deo placuit homini simplici naturali ampliorem, ac perfectiorem legislationem edicere; partim denique *rationis legibus*, quas vel ex lege, & religione naturali, vel ex revelata homo implere debet.

II. Obligationes hæ omnes tandem procedunt ab *essentiali obligatione* quam habet homo supremæ, ac adorandæ Dei voluntati obsequendi; quam multifariam Deus manifestat, modo ratione, modo thaumaturgis, quibus sapientiæ ac potentiæ suæ partem communicat, ut se ejus nomine loqui testentur; modo legitima cujuscumque principatus auctoritate, cui suæ partem communicat, ut rectus ordo in republica servetur; ut in philosophia religionis ostendimus.

Evidens est, *essentiale* in Deo *præcipiendi jus essentialem in creatis intelligentiis obtemperandi* obli-

obligationem trahere. Porro in hac essentiali ad Deum entium intelligentium, & liberorum relatione inconcussa moralis fundamenta statuta sunt.

III. Postremis hisce temporibus quæsitum fuit *num moralis in ratione, an in sensu fundanda sit.* Æque quæri posset num dextro, an sinistro pede sit ambulandum.

Moralis objectum intellectivæ simul, ac effectivæ animæ potentiæ subest. Prima concipimus, actionem rationi, & naturæ nostræ conformem esse; altera sentimus actionem hanc laudandam esse, honestam, & ad meritum, ac felicitatem nobis comparandam opportunam.

Sine potentia intellectiva moralis objectum nobis ignotum esset; sine affectiva, hoc objectum negligeremus. Ambarum potentiarum ope hoc objectum, & rationem afficit, & voluntatem.

SCIENTIA MORALIS DEMONSTRARI POTEST.

1209. OBSERVATIO I. Sæpius quæsitum fuit, *num moralis scientia demonstrationes invictas admittat, ut physica, & mathematica.*

I. Lockius (de humano intellectu) hoc affirmat: nec ulla recta mens in hac sententia diversum sentiet.

„ Mihi sane persuadeo, inquit ipse, mora-
„ lem scientiam demonstrationes admittere, ut
„ mathesim; potest enim ipsa perfecte, & di-
„ lucide rerum essentia, quam voces signifi-
„ cant, dignosci; unde certo detegi posset qua
„ ratione inter se res conveniant, qua non.
„ Porro in hoc sita est perfecta cognitio.

„ Neque mihi objicias, in moralibus sæpe
„ substantiarum æque, ac modorum (*a*) nomi-
„ na

(a) Modorum *nomine Lockius intelligit qualitates substantiarum abstractas, quæ in ipsis ex se*

„ na usurpari, unde obscuritas enasci potest.
„ Substantiarum enim, de quibus in moralibus
„ agitur, diversæ naturæ supponuntur potius,
„ quam inquirantur. Exempli gratia, quum
„ dicimus: *homo legibus subditus est*; hac voce
„ *homo* rem creatam tantum intelligimus cor-
„ poream, & rationis participem, nec rei hu-
„ jus veram essentiam, aut alias qualitates
„ prorsus investigamus.

„ Quare naturæ studiosi ad ravim usque, si
„ licet, disputent, puer aut imbecillis homo
„ ne sit in sensu physico: nihil hoc ad *homi-*
„ *nem moralem*, si ita loqui fas est; hic enim
„ nihil continet, nisi immutabilem hanc ideam:
„ *ens corporeum rationis particeps*. Si enim sci-
„ mius, aut brutum aliquod esset ratione utens
„ ita, ut generica signa intelligere, & a ge-
„ nericis ideis consectaria deducere valeret,
„ ipsum procul dubio legibus subditum esset,
„ atque in hoc sensu homo esset; quantumvis
„ externa forma ab iis entibus differret, quæ
„ homines nuncupantur.

„ Si substantiarum nomina ut oportet adhi-
„ bentur in moralibus ratiociniis; nullam, ut
„ neque in mathematicis, confusionem addu-
„ cent, in quibus si mathematici de cubo, aut
„ globo aureo, aut cujusvis alterius materiæ lo-
„ quuntur, eorum idea perspicua est, & deter-
„ minata, nulla prorsus mutatione; etsi errore
„ corpori, ad quod non spectat, applicari possit.

„ Quare hominum negligentia, aut perversi-
„ tas excusari nequit, si moralia ratiocinia æ-
„ que ac physica perspicua non sunt; moralia
„ enim innituntur ideis, quæ in mente sunt,
„ &

se existere non supponuntur, sed ut dependentia aut essendi modi substantiarum considerantur; ut qualitates repræsentatæ ab ideis figuræ, motus, magnitudinis, pulcritudinis, rationis, justitiæ, grati animi, virtutis, &c.

„ & quarum nulla nec falsa esse potest, nec „ inadæquata; quum ad nullum ens exterius „ referantur tamquam ad archetypum, cui con„ formes esse debeant."

II. Nobis quoque, uti Lockio, *nonnullæ præcipuæ moralis theses* rigide demonstrari posse videntur, æque ac pleræque geometricæ; quum abstractione metaphysica in quibusdam moralis objectis ideas habeamus æque perspicuas, ac in plerisque geometricis. Utrobique apte statuto, ac definito meditationum nostrarum objecto mens æque rerum conformitatem, aut difformitatem videt, & æque summa certitudine judicat ex præcipuo humanarum omnium cognitionum principio, quo de rebus quod in earum ideis essentialiter inclusum cernitur affirmari debet (592, & 417).

Exempli gratia, æque mihi certum est, & evidens, si Deus existit, & rei creatæ intelligenti, ac liberæ aliquid præcipit, huic *strictam esse obediendi obligationem*; ac certum, & evidens mihi sit, si triangulum rectilineum existit, tres ejus angulos simul sumptos æquivalere duobus rectis. In idea enim Dei creatoris, quæcumque ejus natura sit, æque evidenter concipio *jus præcipiendi*; & in idea rei creatæ intelligentis, & liberæ, quæcumque ejus natura sit, obediendi obligationem; ac in idea trianguli rectilinei, quacumque materia constet, concipiam trium suorum angulorum valorem, & duobus rectis æqualitatem.

Quare sicuti ex ideali rerum evidentia certissime affirmare possum, tres trianguli rectilinei cujusque angulos duobus rectis æquari; ita ex ideali rerum evidentia certissime affirmare possum rem creatam intelligentem, ac liberam stricta obligatione teneri supremo Legislatori obedire, quum hic illi præceperit justam esse, honestam, veridicam, religiosam, beneficam, cetera.

Pari

officiorum, sive obligationum scientia est; & sine supremo Legislatore, obligatio nulla est. (842).

LEMMA II. *Homini præter corpus organicum inest substantia spiritualis, libera, immortalis.*

Altera hæc veritas quoque unum ex primis moralis fundamentis est; nequit enim moralis spectare nisi ad substantias intelligentes, ac liberas, quæ suis facultatibus uti, & abuti possint, & a Legislatore supremo approbationem, aut improbationem, præmium, aut pœnam promereri.

1212. EXPLICATIO II. Ex duobus hisce fundamentis *sex sequentes propositiones* statuam, quas hic tantum proponam, quarum vero demonstrationes fusius expositas in nostra philosophia religionis, cujus summa sunt, invenies.

PROPOSITIO I. *Idea Dei increati, & creatoris, Entis omni perfectionum genere infiniti cultus alicujus, ac legis, adeoque & religionis necessitatem trahit.* Religio enim in homine re ipsa non est nisi cultus religiosi exercitium, & divinæ legis observantia (148).

Primæ hujus propositionis demonstrationem invenies in universa parte prima philosophicæ dissertationis philosophiæ nostræ religionis.

PROPOSITIO II. *Idea religionis Deo, & homine digna necessitatem trahit Regula unica fidei, & morum, ac unica religionis.*

Idea hæc hoc ipso *absurdam Tollerantiam* excludit quamlibet religionem admittentem, quemvis scilicet cultum, fidem, moralem.

De hac re in nostra philosophia religionis consuli possunt numeri 132, & 223; prima dissertatio philosophica a pagina 280 ad paginam 287; & in dissertatione sequenti, pagina 352.

PROPOSITIO III. *In ignorantia, & depravationis statu, in quo modo jacet natura humana, quæcumque harum causa sit; ut religio*

sit digna Deo, & homini possibilis, necessario debet esse revelata.

Seu, si mavis, idea religionis dignæ Deo, & homini possibilis infert necessario *naturalis religionis insufficientiam*, ac propterea *divinæ religionis necessitatem*, cujus Deus ipse cultum, & legem determinaverit revelatione supernaturaliter hominibus facta (145).

Tertiæ hujus propositionis explicationem, & demonstrationem invenies in universa parte secunda primæ philosophicæ dissertationis nostræ philosophiæ religionis. Consule etiam, si lubet, hac eadem de re numeros 47, 118, 119, 120 128, 138, 139, & 241 ejusdem philosophiæ religionis.

PROPOSITIO IV. *Si inter diversas religiones, quæ in orbe sunt, & se a Deo revelatione emanatas dicunt, aliqua sit, quæ unica pura sit & in doctrinis rationi consona; quæque constanter ab orbe condito ad hos usque dies perpetuo perseveraverit; hæc illa est, quam Deus approbat, quæ re ipsa a Deo emanat, quam unicam, ceteris rejectis, homo sequi debet.*

Evidens siquidem primo est, religionem nullam doctrinas absurdas, aut falsas proponentem a Deo infinite intelligente, ac sancto esse posse. Evidens est deinde, quum Deus hic omni ætate coli debuerit religionis exercitio a se supernaturaliter emanatæ, & supernaturaliter homini propositæ, necessario religionem hanc, quæ unica inter omnes pura est, in doctrinis rationi conformis, & unica quoque omnibus sæculis existens invenitur, eam esse, cujus Deus auctor est, & institutor.

PROPOSITIO V. *Religio Christiana Catholica, quæ sola pura est, & in doctrinis rationi conformis, mundo coæva, sola cæli, & terræ ineluctabilibus testimoniis confirmata, sola totius divinitatis notis clarissimis, & permanentibus obsignata, illa unica religio est, quam*

homo

homo amplecti, & sequi debet. Ipsa sola enim & unica id omne continet, quod religionis a Deo probatæ, unicæ veræ religionis nota esse potest.

Duarum postremarum propositionum explicationem, & demonstrationem invenies in integris duabus dissertationibus, quibus philosophia religionis explicit.

PROPOSITIO VI. *Unica hac religio, quam homo sequi debet, nempe Christiana catholica, hominem arctissime, & omnimode subiicit universa natura legi, omnibus nationis legibus tum ecclesiasticis, tum sæcularibus* (a), ut quisque, qui sacræ hujus religionis rudimenta novit, aperte scit.

Quæ quum ita sint, ut quæcumque moralis propositio demonstretur, satis erit ostendere, propositionem hanc demonstrandam aut esse unum ex primis principiis, aut unius ex *tribus hisce legislationibus* consequentiam necessariam; scilicet, vel legislationis *Religionis naturalis*, vel legislationis *Religionis revelata*, vel legislationis *legitima auctoritatis*.

1213. EXPLICATIO III. Ex generali hac theoria facile erit solide statuere diversas *præcipuas moralis propositiones*, sive solo rationis lumine, quod in plerisque sufficit, ut decernatur sit ne aliquid justum, aut injustum, honestum, aut inhonestum, licitum, aut illicitum; imo & ad sententiam ratione comprobandam. Sive infallibili divinæ revelationis auctoritate, quæ *Dei ipsius ratio* est, quæque ipsa suprema ratio est eorum, quæ præcipit, aut vetat (150, & 151).

L 2 Quid-

(a) *Quum hic leges, quibus tenemur auctor enumeret, & nationales etiam ecclesiasticas, optimo sane jure, commemoret, universalis ecclesia leges non erant omittenda.* Interpres.

I. Quidquid ratio præcipit faciendum est, quidquid vetat, vitandum. Ratio enim *unum ex mediis* est, quibus Deus partem suorum præceptorum nobis edicit; illa scilicet, quæ in naturæ lege continentur (842, 863).

II. At ratio sæpius anceps non satis in omnibus moralibus certo definit. Tunc vero revelatio, quæ *aliud medium* est, quo Deus voluntatem suam nobis manifestat, definiet ipsa, licitum ne illud sit, an secus.

Si ratio, & revelatio de aliquibus, quæ ad mores spectare videantur, silent, tunc hæc nec præcepta sunt, nec vetita (a); *libertas humana* siquidem pleno suo jure gaudet, quum nulla lex nota, generalis, aut peculiaris eam alligat, aut circumscribit.

ARTICULUS III.

POTENTIA MOTRIX ANIMÆ HUMANÆ.

1214. OBSERVATIO. Certum est, animam humanam esse *causam vel efficientem*, *vel occasionalem* variorum motuum, qui habentur in corpore, quod incolit, atque animat; experientia enim docemur, liberos corporis motus non nisi voluntatis nutu haberi, & necessarios ipsius corporis motus, ut cordis pulsationem, sanguinis circulationem, pulmonum exercitium, cessaturos, quum e corpore

(a) *Modo de his etiam ecclesia sileat. Meminerit auctor, se supra dixisse, rationem loqui de natura lege, revelationem de lege divina; non igitur per ipsum loquitur ratio de lege ecclesiastica. Sed si lex ecclesiastica loquatur, etiam ratione, & revelatione de re aliqua tacentibus, ab omni catholico religiose audienda est.* Interpres.

re anima abierit. Anima itaque certe *causa physica* est motuum corporis, sive efficiens sit, sive occasionalis. At vero efficiens ne est, an tantum occasionalis? Hoc investigare modo statuimus, ac definire (267, & 272).

I. Veteres philosophi a Thalete ad Cartesium animam humanam passim censuerunt *causam efficientem* tum liberorum, tum necessariorum motuum humani corporis.

Thales, referente Plutarcho, (*a*) censuit, animam humanam ens esse se perpetuo propriis viribus movens; Pythagoras, numerum esse se moventem; Plato substantiam esse intelligentem se propriis viribus moventem.

Aristoteles plura falsa de anima sentiens, virtutem motricem cum magistro suo illi tribuit. Ejus vero sententia veteribus, & recentioribus peripateticis communis facta est.

II. Cartesius omnium primus de *intima hac facultate corpora movendi* philosophice dubitare ausus est, quam vetus philosophia vulgari præjudicio obsecundans animæ tribuebat. Ab hac Cartesii dubitatione ortum habuit systema causarum occasionalium. Porro sententia hæc verosimilior videtur, & per hos dies passim recepta est.

Quare in Cartesii, Neutoni, Malebranchii, & plerorumque recentiorum philosophorum sententia Deus est unica causa efficiens universi motus, qui in natura sive animata, sive inanimata habetur; anima vero humana, uti, & materia, non est nisi *causa occasionalis* illius, qui ipsi tribuitur.

III. Lockius, & Clarkius mediam inter Cartesium, & veteres philosophos sententiam am-

 plexi

(a) *Plutarchus de placitis philosoph. l. 4. c. 2. Pythagoras numerorum nomine hic substantiam intelligit.*

plexi sunt. Causam occasionalem materiam voluerunt, non animam.

Corpora quævis, inquiunt, sunt tantum causa occasionalis motus in aliis corporibus excitati; quum enim omnino corpori inertia indita sit, hæc omnem motricem virtutem excludit.

At anima humana motuum, qui in humano corpore contingunt, *causa efficiens* est; ipsa enim intrinsecam habet activitatem, a qua motus hi produci possunt.

Celebres hi philosophi partem hanc veteris philosophiæ admittentes eam aut rationibus fulcire debuisse videbantur novis, ac solidis; aut ab objectionibus gravissimis tueri, quibus passim rejecta fuit: hoc tamen non præstiterunt.

MATERIÆ ACTIO, ET MOTUS.

1215. OBSERVATIO. Maximum visibilis naturæ phænomenon est ejus actio, & motus. Nihil intentatum reliquit philosophia, ut illud explicaret, ejusque causam detegeret.

1216. EXPLICATIO I. Aristoteles, celebris ille philosophiæ creator, materiæ universæ *activitatem intrinsecam* tribuit, sive naturalem virtutem se propriis viribus movendi.

Hinc per Aristotelem variæ in variis corporibus activitatis intrinsecæ, & nisus ad motum species. Hinc generalis naturæ animatæ, & inanimatæ actio, quæ ab omnibus hisce peculiaribus activitatibus resultat (177).

CONFUTATIO. Quatuor gravibus vitiis laborat hæc Aristotelis sententia, quibus reiicienda est.

Primum est, ipsam opponi magno *inertiæ materiæ phænomeno* notissimo, atque certissimo in universa illa naturæ materialis parte, quam observare, & experimentis subiicere possumus (759, & 880).

Alte-

Alterum est, hinc intelligentiæ phænomena exoriri a causis, in quibus nulla intelligentia est, imo quæ intelligentia carentes supponuntur.

Tertium est, non valere ad præcipua, atque constantia regni animalis, & vegetabilis phænomena explicanda, in quibus aliquid majus Entelechiis universæ materiæ communibus plane elucet.

Quartum est, iis omnibus gravissimis objectionibus impugnari, quibus atheismus proteritur, & cujus sententia hæc semper fundamentum fuit.

1217. EXPLICATIO II. Peripateticorum, & Academicorum scholæ sola materiæ actione animalis, & vegetabilis regni phęnomena plurima explicare posse desperantes, *Naturas plasticas* excogitarunt; substantias nempe simplices, a se, & natura sua activas, nulla tamen intelligentia, nulloque sensu præditas, quarum munus esset ea producere, quæ in visibili natura mirabiliora sunt.

Hisce naturis in his scholis tribuebatur organica animalium structura, cordis, & pulmonum actio in animali regno; in vegetabili vero, organica vegetantium structura, aptorum succorum delectus, succorum in flores, fructus, & germina metamorphosis.

CONFUTATIO. Patet, naturas has plasticas *mera* tantum *commenta* in physiologia, in animali, & vegetabili mechanica, atque in universa physica esse posse.

I. Substantiis hisce intelligentia, & sensu carentibus explicari nequeunt phęnomena, quæ in homine *Principium sentiens, & intelligens* omnino a materia distinctum indicant.

Hoc principio in homine supposito, cur illi virtus hominis activa non tribuatur, si homo re ipsa activa virtute pollet; potius quam cæco, & sensu experti principio, Naturæ plasti-

cæ, cujus actio inutilis simul est, & chimærica. *Inutilis:* animæ humanæ siquidem id omne tribui potest, quod naturæ huic plasticæ tribuitur: *chimarica*; substantiæ enim intelligentia carenti operationes tribuuntur, quæ intelligentiam, eamque maximam necessario supponunt

II. Neque magis in brutis valent naturæ hæ plasticæ cognitione, & sensu carentes. In iis quoque earum actio inepta, inutilis, & chimærica apparet.

III. Nihil magis præterea in vegetabili regno valere possunt. Patet enim, physicum regni hujus machinamentum necessario causam intelligentem postulare, quæ & ejus structuræ præfuerit, & ejus conservationi adhuc præsit; quidquid vero actionis in illo apparet, semper generalibus, aut peculiaribus motus legibus libere a Deo naturæ visibilis auctore statutis, atque permanenter servatis tribui potest (*Phys.* 73, & 190).

Doctor Cudvvortius in suo *Universi orbis intellectuali systemate* sæculo proxime superiore veteris philosophiæ naturas plasticas iterum e tenebris revocare conatus est; at philosophi ingenii sui nisus fortasse commendantes, in suis naturis plasticis non nisi veterem chimæram e situ, in quo jacebat, eductam invenerunt.

1218. EXPLICATIO III. Strato Lampsacenus illustris peripateticus tertio æræ christianæ sæculo docuit, corpora omnia *in elementa per se activa* resolvi posse; ab hac vero primigeniorum elementorum activitate propriam cujusque corporis, & universæ naturæ genericam actionem proficisci. Hoc systematis monadum exordium fuisse videtur (*a*).

At

(a) *ETYMOLOGIA*. *Monas*: Ens unicum, ac solitarium: ens omnem a se compositionem excludens. A μονὸς; *solus*.

At vero hæc Stratonis sententia iisdem quatuor vitiis laborat, quæ in Aristotelica, cujus hæc peculiaris tantum explicatio est, adnotavimus.

1119. EXPLICATIO IV. Celebris Leibnitius, fortasse nil tale cogitans Stratonis peripatetici sententiam in eleganti suo de Monadibus somnio ex parte admisit (958, & 1112).

I. In philosophi hujus sententia Deus, angeli, animæ humanæ, atque brutorum, elementaria corporum principia, monades sunt; nempe substantiæ simplices omni intrinseca compositione carentes.

Monades, inquit, *simplices* sunt; hinc corporum compositionem explicat, quæ substantiarum partibus carentium collectio sunt.

Monades sunt *inextensæ*; hinc corporum extensionem explicat, quam ex juxta positione substantiarum inextensarum oriri vult.

Monades omnes inter se *dissimiles* sunt; hoc est, inter existentes substantias binæ non dantur ejusdem naturæ, eademque perfectione donatæ. Hinc varietatem explicat, quæ in universa natura reperitur; puta, in hominibus indolis, & appetituum diversitatem; in mixtis, ac corporibus omnibus virium, ac proprietatum diversitatem.

Monades hæ *activæ* sunt; hinc actionem explicat, qua visibilis natura permanenter animatur.

Monades hæ sunt *rerum repræsentativæ*; hinc explicat & substantiarum intelligentium cogitationes, & sensibiles imagines, quas materiales substantiæ in nobis excitant (*Phys.* 50, & 53).

II. Apparet, Leibnitium in suo de Monadibus systemate, quod entia universa complectitur, *analytica methodo* processisse, intimam rerum naturam investigans a phænomenis, quæ a rebus emergunt,

Magnum principium, quo universa ejus theoria innititur, est: *Nihil in natura fieri sine ratione sufficiente*; & semper necessario in rebus ipsis intrinsecam rationem esse, qua fit, ut hic potius, quam ibi sint, hoc potius, quam alio modo, hisce cum proprietatibus potius, quam cum aliis.

Hinc infert, in universa natura monades binas omnino similes non idari, nec dari posse, sive in quibus nulla diversitas sit, nec quæ ulla ratione discerni possint. Ceterum, inquit, nulla esset *ratio sufficiens* cur una potius in nostro orbe esset, quam in Saturno, aut in Syrio, ubi altera est: quod rerum naturæ repugnat.

Corollarium hoc Leibnitio novum principium præcipuum evadit, quod ipse *Indiscernibilium principium* dicit; seu quo probat, indiscernibilia in natura dari non posse.

III. In Leibnitii systemate monades tum spirituales, tum materiales *Principia activa* sunt, suarum operationum veræ causæ efficientes; at neque illæ in has, neque hæ in illas agere quidquam possunt (1112).

Utrisque simul cum intrinseca hac activitate inest *facultas rerum repræsentativa*, quæ illis veras perceptiones tribuit, & qua veræ intelligentiæ sunt: hoc tamen discrimine, quod monades materiales *rerum perceptionem* tantum habent, non tamen perceptionis hujus sensum, aut conscientiam: contra vero monades spirituales & rerum perceptionem habent, *& perceptionis hujus sensum, aut conscientiam*: quod has animadversionis capaces, illas incapaces efficit.

1220. EXPLICATIO V. Illustris Volfius, unus ex præcipuis Leibnitii asseclis, hac parte a magistri sententia jure recessit, qua materialibus monadibus intelligentiæ speciem tribuit.

Quare materialibus monadibus *intrinsecam activitatem* tantum tribuit, qua omnium visibi-

ſibilis naturæ motuum principium phyſicum fiunt, ſive cauſa efficiens; quin Monas increata & creatrix in earum actionem quidpiam influat, aut agat: hac ratione Leibnitii ſententia Ariſtotelicæ modo a nobis expoſitæ, & confutatæ re ipſa conſentit (1216, & 177).

1221. NOTA. *Virtus motrix*, ſeu proprietas motum producendi, & communicandi magnas inter philoſophos vices ſubivit. Peripatetici eam & materiæ, & animæ humanæ tribuerunt. Carteſiani eam utrique denegarunt. Clarkius, & Lockius eam materiæ denegant, animæ humanæ tribuunt. Leibnitius, & Volfius eam animæ denegant, materiæ tribuunt. Non itaque in philoſophorum placitis, ſed in ipſa rerum natura hac de re veritas quærenda eſt.

I. Commune principium, cui olim philoſophi materialiſtæ inſiſtebant, ut activitatem intrinſecam materiæ tribuerent, erat; quod eam agere, & ſe movere intuebantur, nec aliquid extra ipſam agnoſcebant, quod ejus actionis & motus cauſa efficiens eſſe poſſet.

In falſis principiis ſuis ſaltem recte procedebant. Quum nullam immaterialem ſubſtantiam noſſent; a qua materialis naturæ exiſtentia & actio proficiſceretur, patet, eos hanc actionem non niſi ipſi materiali naturæ tribuere potuiſſe (762).

II. Commune principium, cui per hos dies inſiſtunt *materiæ a ſe activa* aſſertores, uti Volfius, & Leibnitius, qui increatam, & creatricem ſubſtantiam admittunt, eſt: *ad Dei actionem, in naturalibus non eſſe confugiendum*. (1058, & 947).

At hæc philoſophandi ratio mihi videtur *petitio principii*; eſt enim ſupponere, quod definiendum eſt; & axioma, ac veritatem certam facere, quod controvertitur (138).

Qua ratione probabunt, *Dei actionem* in na-

turæ phænomenis non esse petendam; si iis ostendatur, non repugnare, Deum naturæ motorem, & conservatorem esse; *phænomena vero naturæ*, ut nobis innotescunt, esse, & permanere non posse sine actione causæ infinite intelligentis, & activæ; quæ sane materia ipsa evidenter esse nequit; & quæ non nisi Deus ipse evidenter esse potest? (876, & 880).

PROPOSITIO PRIMA.

1222. *Materia non est causa efficiens variorum motuum, quos in visibili natura dignoscimus.*

Horum itaque motuum causa efficiens est omnino a materia distincta.

DEMONSTRATIO. Sive experientiam, sive rationem consulamus, certum est, ubique, & semper duas in materia deprehendi præcipuas proprietates, quibus manifeste ostenditur, eam esse non posse causam efficientem diversorum motuum, quos in visibili natura observamus; porro hæ sunt, *intrinsecus activitatis defectus, & intrinsecus intelligentiæ defectus*, ut alibi explicavimus, & demonstravimus (759, & 880).

Atqui evidenter repugnat, substantiam & activitate, & intelligentia carentem esse causam efficientem motus, qui in visibili natura datur. Hoc, ostendo motum considerans & in sua productione, & in sua determinatione, & in sua continuatione.

I. *Motus, qui in visibili natura datur, in sua productione consideratus, materiæ effectus esse nequit.* Sive enim materia in quiete, sive in motu posita consideretur; certum est neque intra se, neque extra se ullius motus causam efficientem esse posse; adeoque non producere ut causam efficientem motum, quo natura animatur.

Pri-

Primo, *materia quiescens* substantia est activitate simul, & actione destituta. Atqui evidenter repugnat, substantiam propria activitate carentem, & a nulla extrinseca causa ad agendum determinatam motum ut causam efficientem producere.

Deinde *materia in motu* nequit esse magis causa efficiens motus, quam materia quiescens. Quid enim magis habet materia in motu, quam quiescens? *modificationem natura sua accidentalem*, sed quæ nullo modo extra illam esse potest, quam nec magis alteri materiæ communicare potest, quam communicare possit aut suam rotunditatem, aut suos angulos, aut suam concavitatem, aut aliam figuram qualemcumque; modificationem denique, quæ non magis alteri modificationi sibi simili existentiam dare potest, ac materia alteri materiæ existentiam impertiri possit.

Si quis arbitretur, corporis alicujus motum in aliud corpus transire posse, is se parum de motus natura philosophatum fuisse ostendet. Quid enim est corporis motus? est tantum modificatio corpori accidentalis. Atqui ea est modificationum natura, ut non nisi in substantia, quam modificant, existere possint; ea est, cui essentialiter repugnet, ut extra substantiam, cujus modificationes sunt, seu essendi modi, agant, aut subsistant, aut alio transeant (202, & 227).

Repugnat ergo, *corporis motum* in aliud corpus transire. Repugnat ergo, corpus alteri corpori motum suum communicare. Si ergo corpus A motum accipit occasione ictus, aut contactus alterius corporis B; motus hic in corpore A productus nihil est ex motu, qui existebat in corpore B. Motus ergo in corpore icto productus ab alia causa a motu corporis percutientis diversa producitur.

II. *Motus, qui in natura habetur, in sua deter-*

determinatione consideratus, in præcisa, & determinata scilicet sua qualitate, & quantitate, quibus definitur, nequit esse materiæ effectus. Motus hic enim, ut a physica, a mechanica, ab astronomia addiscimus, infinite varius est, & semper juxta immutabiles leges, in sua productione, & manifeste in causa producente intelligentiam supponit infinite promptam, & accuratam, quæ quovis instanti, & in quavis rerum circumstantia illum producere sciat *certa, ac determinata quantitate*, nullo excessu, nullo defectu, eaque præcisione, quæ omnem finitam intelligentiam evidenter superat (876, & 880).

III. *Motus in visibili natura contingens in sua continuatione consideratus, nempe in existentia, quam habere pergit, postquam actio cessavit, a qua primitus ortus est, nequit esse materiæ effectus.* Si enim supponamus etiam causas activas in natura materiali, nihilo facilius motus phænomenon explicabimus.

Exempli gratia, saxum manu tenes, & hoc in scopum a te magis, minusve dissitum coniicis. Non quæro, num brachium *primitus motum* huic saxo indiderit, seu motum, quo e manu effugit; quæro tantum, & peto qua vi, seu *qua virtute* saxum hoc moveri pergit postquam a manu sejunctum est? respondebis profecto, ratione primi impulsus a te illi impressi, quum in scopum jecisti.

At philosophica ne hæc responsio est? impulsus hic primitivus una est ex illis modificationibus, quæ tantum in actione sunt; harum vero natura est, ut esse desinant, quum produci desinunt.

Quare, etsi brachium tuum fuisset primi hujus impulsus causa efficiens, quod non concedo: impulsus hic existere desiisset, quum in saxum agere desiisti statim ac a manu recessit. Primitivus igitur hic impulsus, qui in saxo jacula-

culato perſeverat, a te *exiſtentiæ ſuæ perſeverantiam* non habet. Ergo primus hic impulſus neque *exiſtentiæ ſuæ initium* a te habet.

IV. Ex his omnibus evidenter conſequitur, ſive *motus natura*, ſive *materiæ natura* conſiderata, materiam non eſſe diverſorum motuum cauſam efficientem, qui in viſibili natura contingunt; eoſque, ut exiſtant, neceſſario indigere cauſa efficiente, quæ a materia omnino diverſa ſit: Q. E. D.

PROPOSITIO II.

1223. *Anima humana non videtur apta motum producere ut cauſa efficiens.*

Ergo veroſimile eſt, varios motus tum liberos, tum neceſſarios humani corporis cauſam efficientem habere, quæ ſit ſubſtantia ab anima humana omnino diſtincta.

DEMONSTRATIO. Animæ humanæ propria eſt *intrinſeca activitas*, & *intrinſeca intelligentia*. Hinc a natura ſua binas proprietates excludit, quæ materiam ineptam efficiunt, ut ſit cauſa efficiens motus.

At intrinſeca hæc animæ intelligentia, & activitas tanta ne eſt, ut eam conſtituant aptam motum producere ut cauſam efficientem? Non videtur. Ut enim anima ſit cauſa efficiens motus, præſertim regularis, qui in corpore ab ipſa animato habetur; deberet intrinſeca ejus activitas *aliquod actionis medium* habere in partes movendas; & ejus intelligentia *aliquam* partium movendarum *diſtinctam cognitionem*. Atqui duo hæc animæ humanæ deeſſe videntur ad motus liberos, aut neceſſarios corporis, quod animat, excitandos.

I. *Anima humana nullum actionis medium habere videtur in partes humani corporis movendas.* Activa eſt; at ejus activitatis intra ſuam naturam circumſcriptæ objectum eſſe viden-

dentur tantum modificationes quædam, quæ in ipsa sunt, & quarum ipsa subjectum est. Activa est; at ejus activitas ita limitata esse videtur, ut tantum producat tamquam causa efficiens quasdam ideas, quædam judicia, innumera ratiocinia, volitiones plurimas, ac liberas determinationes; nulla ipsi data actione efficiente extra naturam suam, & in corpus, cui conjuncta est.

Si anima humana motum fibris, nervis, spiritibus animalibus corporis, cui conjuncta est, indere potest actione sibi propria, & intrinseca, ratione cujus re ipsa fiat motus producti causa efficiens: nulla alia ratione concipi potest motum hunc indere posse, nisi aliquo ex tribus hisce mediis: nempe aut *cognitionibus* suis, aut *volitionibus*, aut *sensationibus*, sive sensibus: triplices enim hæ modificationes omnes, quas novimus, accidentales animæ proprietates complectuntur.

Atqui sensus intimi testimonio nobis constat, nullam nos concipere proportionem, nullumque nexum inter cognitiones nostras, aut volitiones, aut sensationes, sive actus, & modificationes quascumque animæ nostræ, & nostrarum fibrarum, nostrorumque nervorum, & spirituum animalium motum. Imo potius concipere videmur, nullam inter varias animæ modificationes, & materiam quamcumque movendam proportionem, nullumque nexum haberi, aut haberi posse.

Exempli gratia, quænam *connexio efficiens* haberi potest inter volitionem meam, & brachii mei motum, aut quietem? Si mea volitio brachii mei motum ut causa efficiens pro libito producit, aut extinguit; quare volitio mea pro libito, & ut causa efficiens pulmonum meorum, sanguinis, spirituum animalium motum non extinguit?

II. *Anima humana partium humani corporis* mo-

movendarum nullam distinctam cognitionem habere videtur. Quod tamen necessarium esset, ut diversorum motuum liberorum, & necessariorum, qui in ipso fiunt, esset causa efficiens.

Si quoque supponamus, habere humanam animam aliquod *actionis medium* in fibras, & organa corpus, quod animat, moventia; ut tamquam causa efficiens motus tum liberos, tum necessarios, qui dantur, produceret, necesse profecto esset, ut totum eorum artificium penitus dignosceret; ut brachii, pedis, linguæ, cordis, pulmonis, stomachi, ceterarumque partium fibras accuratissime distingueret; ceterum pedem, exempli gratia, moveret quum lingua movenda est; & machina humana exquisiti artis automatis sorti subesset, quod ignaro, & artificii inscio dirigendum, & ad motum disponendum committeretur.

Atqui sensus noster intimus monet, nihil horum nobis notum esse: nos nullo pacto interius artificium dignoscere, quo machina nostra ad motum excitatur; nos fibras pedis, & brachii motrices a fibris oculi, & linguæ motricibus non distinguere: ubi motus incipiat, quo transmittatur, nos penitus ignorare, & cur hic potius, quam alius motus; qua ratione in nobis enascatur, qua perseveret & motus species, & quantitas a diversis nostris necessitatibus, positionibus, affectionibus, volitionibus requisita.

Nulla igitur ratione verosimile videtur, animam humanam esse causam efficientem motus, qui in corpore ab ipsa animato habetur. Ergo verosimile est, varios humani corporis motus seu liberos, seu necessarios, transeuntes, aut permanentes a causa efficiente produci, quæ ab anima humana prorsus distincta sit Q. E. D.

1224. COROLLARIUM. *Anima brutorum omni-*

omnino inepta videtur ad motum producendum ut causa efficiens.

DEMONSTRATIO. Si anima humana nequit ut causa efficiens motum producere in corpore, quod animat; eodem, imo potiori jure *Anima brutorum* inepta erit ad producendum ut causa efficiens motum, qui datur in corpore, cui conjuncta est, & cum quo unum Totum mixtum efficit.

Anima brutorum, ut alibi ostendemus, est *substantia immaterialis sensu prædita, & intelligentia carens* materiam organicam animans. Atqui substantiæ huic immateriali, ut & animæ humanæ, deesse videtur *actionis medium* in partes movendas, & *cognitio distincta* partium movendarum. Ergo non est, ut nec anima humana, causa efficiens variorum motuum, qui in corpore, cui conjuncta est, contingunt. Q. E. D.

1225. NOTA. Sequioribus, ac barbaris sæculis nonnullæ scholæ philosophico-theologicæ ut motus cælestes explicarent, cuique sideri, & planetæ, procul dubio elegans Platonis somnium imitatæ (1057) peculiarem spiritum, seu *Angelum motorem, & ducem* assignarunt, qui activitate, & intelligentia sua diversos illos motus efficiebat, qui in iis corporibus observabantur, aut haberi putabantur.

At *vetus hac opinio* fundamento, verisimilitudine, probabilitate destituta exolevit; & tanquam somnium excultis ætatibus evanuit.

I. Ut hæc munera creatis his intelligentiis, quas nos generico Angelorum nomine designamus, jure tribuantur; aliquam certam rei hujus probationem aut a ratione, aut a revelatione habere oporteret. Atqui nec ratio, nec revelatio probationem ullam præbent.

II. Nullum majus *actionis medium* ad corpora movenda concipitur in his cælestibus spiriti-

ritibus anima humana præstantioribus, quam in ipsa anima humana. Quare aptiores angeli ad cælestia corpora movenda non videntur; quam anima humana ad humanum corpus movendum apta sit.

III. Quæcumque angelo planetæ, aut cometæ motori, ac duci intelligentia supponatur, hæc profecto infinita non est. At enimvero quænam *intelligentia*, nisi *infinita intelligentia*, noscere poterit, ac definire accuratam, & præcisam motus compositionem (*a*), quam perpetuo in planeta, aut cometa produci debet, qui per omnia curvæ ellipticæ puncta excurrere debet vi centripeta semper variabili, & semper in duplicata inversa radiorum vectorum ratione?

IV. Munus angelis motoribus, ac ducibus assignatum æque corporum cælestium motui supervacaneum est, ac currus motui esset quinta rota. Quare muneris hujus inutilitas illud confictum esse satis ostendit.

PROPOSITIO III.

1226. *Maxime verosimile est, Deum esse causam efficientem omnium omnino motuum in materiali natura animata, & inanimata contingentium: materiam vero, animam humanam, & brutorum esse illorum causas tantum occasionales.*

DEMONSTRATIO. Propositio hæc, ut patet, est tantum evidens jam hac in re demonstratorum consectarium.

I. Quo-

(a) *Non infinita requireretur intelligentia, sed finita, & motibus hisce tum compositione, tum quantitate, tum varietate finitis proportionata. Probatio hac itaque nullam habet vim.* Interpres.

I. Quoniam motus in visibili natura animata, & inanimata existit, patet causam efficientem habere debere. Quoniam causa hæc efficiens non est neque materia, neque hominum, neque brutorum anima; patet verosimillimum esse, causam hanc efficientem esse Deum.

Omnino rationi consonum est, Deum, cui materialem naturam a se semper essentialiter dependentem creare libuit, cui leges motus indidit aptissimas infinitam suam intelligentiam, atque potentiam perseveranter patefacere, ipsum esse etiam perpetuum ejus motorem, ut primitus ejus auctor fuit. Ipse solus noscere potuit quænam motus leges naturæ ab ipso conditæ congruerent; ipse solus has leges exequi posse videtur; ergo verosimillimum est, ipsum solum esse motus cujuscumque in universa natura animata, & inanimata causam efficientem.

II. Certum est, materiam, animam humanam, animam brutorum esse plurimorum motuum in natura visibili *causas physicas*. Quum itaque tres hæ causarum species physicarum, quæ veræ causæ sunt (272), non sint causæ efficientes motuum, quos oriri faciunt; reliquum necessario est, ut sint eorum causæ occasionales. Q. E. D.

1227. NOTA. Satis amplam alibi tradidimus *causarum occasionalium* theoriam, earum verum, & physicum influxum perpendentes, & explicantes in iis omnibus casibus, in quibus haberi potest; nempe in actione corporum in corpora, corporum in spiritus, & spirituum in corpora (267, & 484).

Ex hac generica, & prodroma theoria, quam hic luculenter in memoriam revocare opus erit; satis nitide, ac exacte concipi potest, qua ratione anima humana sit causa occasionalis variorum motuum, quos corpori indit; & qua ratione varii humani corporis motus sint plurima-

rimarum animæ modificationum causæ occasionales.

Fluidi animalis theoria, quam mox tradituri sumus, *causarum occasionalium* theoriam in omnibus, quæ ad animam humanam spectant, plenissime illustrabit (1247).

OBJECTIONES SOLVENDÆ.

Præcipuæ difficultates, quæ in *causarum occasionalium* hypothesim congeruntur in motus productione, eo omnes tandem adducuntur, ut contendant, hanc hypothesim Pyrrhonismo favere; Deo indigna Deo tribuere; phænomenis, quorum nos principium sumus, non congruere; physicam universam aut destruere, aut pervertere.

Hypothesis causarum occasionalium fortasse Pyrrhonismo favet.

1228. OBJECTIO I. Si dicas, materiam, atque animas hominum, & brutorum non esse causas efficientes motus; dicis quoque, universum humanum genus a mundi origine ad hos usque dies in perpetuo errore versatum fuisse de iis, quæ magis cognitu obvia sunt; adeoque Pyrrhonismo victricia arma præbes. Quænam enim cognitiones jam certæ reputentur, si eas modo ejurare oportet, de quibus nunquam a mundi exordio usque ad Cartesii ætatem dubitatum fuit?

RESPONSIO. A mundi exordio ad Cartesii ætatem humanum genus de motus causa efficiente, ut & de motus legibus minimum, aut pessime philosophatum fuerat. Si vero in permanente errore hac super re versatum est, sibi imputet. Mens humana falli potest; at ab errore resipiscendi semper jus habet.

I. Natura nullam *generalis, & necessarii erroris* hominum menti causam præbet. Ipsa immu-

mutabilis quod olim docuit semper docet, nec unquam ipsa fallit.

II. At mens humana naturæ documenta prætergredi potest; & sibi culpa sua plurimos errores generales, non tamen necessarios procreare. Exempli gratia, semper natura docuit, corpus motum alteri corpori, in quod incurrit, motum excitare; plures humani corporis motus ab humana voluntare pendere; aliaque hujusmodi.

At nunquam docuit, percussi corporis motus causam efficientem esse corpus percutiens: varios humani corporis motus causam efficientem esse humanam animam, aut voluntatem.

III. Pyrrhonismus nihil obtinet a recentiorum de motu sententiis: hæ siquidem non humanam certitudinem tollere, imo vero illam validius statuere, atque aptius explicare, & adhibere nituntur.

Varia hæc motus phænomena, quæ ante Cartesium nota erant, & certa reputata tum in animata, tum in inanimi natura, suam semper servant certitudinem. Dubia methodica Cartesii id præstiterunt, ut ignotas eorum causas melius inquirere docerent.

1229. OBJECTIO II. Materia motus, quorum occasio est, producere videtur; & nihil certo probat eos ab illa non produci. Quare igitur eorum causa efficiens non censeatur? idem de hominis, & brutorum anima dici potest.

RESPONSIO. Materia, anima hominis, & brutorum motuum ipsis attributorum *causa physica* esse videntur, & re ipsa sunt. Non tamen inde sequitur illorum eas esse causas efficientes, potius, quam occasionales; ut jam demonstravimus.

I. Binæ rationes præcipuæ probantes, materiam motus, quem excitat, non esse causam effi-

efficientem, sunt *ipsa materiæ natura*, quæ sese activitate, & intelligentia destitutam ostendit; & *ipsa motus natura*, qui ab uno in aliud corpus transire nequit.

Si cum nonnullis materialistis supponatur, motum in materia a præcedente motu oriri, hunc ab alio adhuc præcedente; atque ita porro indefinite, ita ut nunquam ad motorem aliquem a materia distinctum perveniatur; supponerentur primo infiniti effectus sine causa, quod manifeste absurdum est (880). Supponeretur deinde, motum ab uno ad aliud corpus transire, ut nummus a mea ad aliam crumenam transit, aut ut aquæ gutta in spongiam absorbentem per ejus poros transit; quod æque absurdum est, quum hac ratione ut motus explicetur, ejus idea, & natura destruatur.

II. Binæ præcipuæ rationes, quibus asseritur, animam humanam non videri causam efficietem motus, quem excitat in corpore, cui conjuncta est, sunt, quia & *medio actionis in partes movendas*, *& distincta partium movendarum cognitione* carere videtur; sine quibus non concipitur, posse illam esse humani corporis motuum causam efficientem.

CAUSARUM OCCASIONALIUM HYPOTHESIS FORTASSE DEO INJURIOSA.

1230. OBJECTIO III. Deo injuriosa, & Deo indigna tribuuntur, si dicatur ipse motus *unica causa efficiens*. Ex hac enim hypothesi sequitur primo, Deum assidue in curru trahendo, in sarcinis ferendis, in planetis, cometis, maris fluctibus, diversis animalibus movendis esse occupatum; deinde Deum quotidie plurima turpia, ac scelesta operari; exempli gratia, ipsum furtum, incestum, homicidium, aliaque plura perpetrare. Atqui hæc omnia Deo eviden-

denter repugnant; ergo falsum est motus omnis in natura animatæ, & inanimata producti esse Deum causam efficientem.

RESPONSIO. Tertia hæc objectio ab aliquo enthusiaste ignarum vulgus alloquente prolata apta esset in *maxime philosophicam sententiam* a nobis statutam animos concitare, qua Deus unica efficiens motûs causa est cujuscumque, sive in liberis, atque intelligentibus substantiis, sive in iis, quæ libertate, & intelligentia carent. Nihil tamen habet, quod ab *excultis animis* vera rerum principia intelligentibus, easque recte perpendentibus non sit probandum.

In hypothesi *concursus immediati*, quem ferme ii omnes admittunt a quibus sententia hæc nostra impugnari posset; Deus re ipsa, & physice cum causa creata producit tamquam *causa efficiens* motus quoscumque in homine, in bruto, in plantis, in mari, in atmosphæra, in cælestibus corporibus, in rerum universitate contingentes (1145, & 1148).

Quidquid igitur sententiæ nostræ maxime philosophicæ objicitur, æque concursus immediati hypothesi, sed æquæ nullo jure, objici potest. Nihil enim concursus immediati sententia præsefert indignum Deo, ut omnes philosophi consentiunt, sive qui concursum hunc ut necessarium admittunt, sive qui ut superfluum reijciunt.

Si itaque Deo indignum non est concurrere ut causam efficientem ad motus omnes naturæ tum animatæ, tum inanimatæ; neque Deo indignum erit esse causam efficientem, eamque unicam omnium horum motuum in sententia a nobis admissa; ut ex duabus sequentibus explicationibus facile innotescet.

1231. NOTA. *Magnum discrimen* est inter sententiam nostram, & immediati concursus hy-

hypothesim. Non tamen hoc quidquam officit qualitati *causa cujusque motus efficientis*, quam utraque sententia Deo tribuit.

I. In nostra sententia Deus solus motus omnino omnis causa efficiens est; neque res creata sive animata, sive inanimis, sive libera, sive necessaria quidquam ut causa efficiens influit in motus productionem, & conservationem.

II. In sententia immediatum concursum admittente, motus quilibet ab actione Dei simul & rei creatæ producitur; ita ut Dei actio sit re ipsa causa efficiens motus completa, & totalis totalitate effectus; & actio quoque creatæ rei sit motus causa efficiens completa, & totalis totalitate effectus; ita ut, iterum, res creata plenam, atque perfectam facultatem haberet solis suis intrinsecis viribus motum quemvis, quem esse facit, producendi; nisi necesse esset, Deum, ad perfectum suum dominium in rei creatæ actionem servandum, & exercendum, hunc ipsum motum indivisibiliter cum re creata efficere.

1232. EXPLICATIO I. *Deo indignum non est, esse causam efficientem motus nihil illicitum continentis, neque peccato conjuncti.*

I. Absurdum est, Deo injuriosum, atque impium, Deum sibi fingere creatis rebus subjectum, & veluti ad agendum cum illis, & pro illis ad instar servi damnatum.

II. At religiosum, philosophicum, rationi consonum est, Deum considerare ut agens universale, & rerum omnium ab ipso creatarum supremum dominum.

Sententia nostra, qua Deus cujuscumque motus in natura contingentis unica efficiens causa est, & *infinitam Dei independentiam* luculentissime exhibet, cujus voluntas infinite activa, & efficax nullo labore, nulla defatigatione motum, & quietem omnibus impertitur ju-

xta quasdam immutabiles leges ab ipso statutas, & perseveranter servatas; & *universalem creatarum rerum dependentiam*, quæ sive animatæ sint, sive inanimatæ, sive liberæ, sive libertate carentes nullum sibi motum efficere possunt, & quæ si intelligentes, & liberæ supponantur, illum parere nequeunt, nisi immediata Dei actione omnia in illis operantis, juxa Apostoli verba: *Omnia operatur in nobis.*

1233. EXPLICATIO II. *Deo ne indignum est esse causam efficientem motus aliquid illicitum continentis, & peccato conjuncti?*

Ut philosophice quæstioni huic satisfiat, duo in quavis prava, & illicita actione necessario distinguenda sunt; quod in ipsa scilicet physicum est, & quod morale. Hic, ut patet, de actione, & motu creatæ rei liberæ tantum sermo est; huic enim tantum actio illicita, & prava tribui potest.

I. Quod in illicita actione *physicum* est, est actio ipsa considerata cum præcisione a libera voluntate eam eligente, determinante, volente.

Quod in illicita actione *morale* est, est *libera voluntatis deordinatio* hanc actionem eligentis, determinantis, volentis, frustra obsistente lege divina, aut humana, a qua illam eligere, determinare, velle vetitum est.

II. Nullus omnino motus, quatenus physicus est, malus est, & pravus in se ipso, si a morali liberæ voluntatis deordinatione sejunctus sit: si enim motus hic a re creata supposita causa efficiente produceretur, aut vi adacta, aut coactione aliqua, contra quam frustra obniteretur, sive in dementia, in qua omni libertate careret, *hic idem motus* nihil plane illicitum, aut pravum contineret.

Motus igitur *physicus* pravus non fit, nisi quatenus ad voluntatem liberam, & inordinatam refertur, quæ eum velit, ac determinet

con-

contra legem divinam, aut humanam illum vetantem velle, & determinare. Exempli gratia, Vetat Deus, latronem velle, & *causam occasionalem* ponere, a qua oritur motus, unde homicidium sequatur; porro causa hæc occasionalis est voluntatis liberæ electio, & determinatio; atque hæc illicitum, & pravum esse facit motum brachii, aut pugionis, aut fistulæ bellicæ homicidium producentis.

III. Sententia nostra, uti & concursus immediati sententia, illicitas hominis actiones Deo tribuit non secundum quod habent *morale*, in quo reatus est, sed secundum quod habent *physicum*, in quo nullus reatus est. Ergo neutra sententia quidpiam pravum, & infinita sanctitate sua indignum Deo tribuit.

1234. NOTA I. *Peccatum* dicitur quævis libera legis sive divinæ, sive humanæ obligatoriæ transgressio (286).

Peccatum dividitur in peccatum actionis, & peccatum omissionis. *Peccatum actionis* est actio ab aliqua lege vetita. *Peccatum omissionis* est omissio actionis ab aliqua lege præceptæ.

Quum causa actionem determinans, aut omittens *caret libertate*, non datur *peccatum proprie dictum*; leges enim divinæ, & humanæ non nisi subjectis liberis indicuntur; neque lex ulla subjectis non liberis indici potest.

1235. NOTA II. In peccato materiale a formali distinguitur. *Materiale peccati* est actio prohibita, sive omissio actionis præceptæ. *Formale peccati* est defectus rectitudinis, seu conformitatis legi, qui in hac sive actione, sive omissione reperitur.

Theologi nonnulli formale peccati statuunt in aliquo positivo, nempe *in resistentia voluntatis legi*, cujus infractionem vult, & determinat.

Materiale, & formale peccati ferme in id

incidunt, quod nos diximus physicum, & morale peccati.

1236. NOTA III. Peccatum non attendendo nisi in *inordinata* animæ *determinatione*, sive in actu interno, quo se determinat vetitum facere, aut præceptum omittere: concursus immediati assertores adhuc peccatum ita circumscriptum dividunt in materiale, & formale.

In hac inordinata animæ determinatione *materiale peccati* dicunt actum liberum, quo anima vult actionem vetitam, aut omissionem præceptæ; *formale peccati* vocant defectum rectitudinis, qui in hoc actu libero, sive in hac volitione reperitur.

Deus, inquiunt, simul cum anima humana producit materiale hujus volitionis, non tamen formale, in quo unice consistit peccatum, & quod tantum est *defectus rectitudinis*.

1237. OBJECTIO IV. In nostra sententia; ut & in sententia immediati concursus Deus æque, ac homo, videtur reus in omnibus pravis hominis actionibus. Deus enim actiones has pravas efficit libero suæ voluntatis exercitio; Deus igitur est auctor non tantum physici, aut materialis, sed etiam moralis aut formalis actionis pravæ.

RESPONSIO. Quod existant hominis motus liberi sive liciti, sive illiciti *ab immediato humanæ libertatis exercitio pendet*; non item ab immediato divinæ libertatis exercitio. Actio Dei his motibus licitis, aut illicitis id dat, quod habent physici; actio hominis eorum existentiam determinantis libertatis suæ immediato exercitio illis dat, quod habent moralis.

I. In sententia Deum statuente causam unicam efficientem cujusque motus, homo vult, eligit, determinat motus liberos sui corporis,

non

non illos producit. Deus hos quoque motus producit, quin illos velit, eligat, determinet.

Exempli gratia, quum homo existentiam actionis vetitæ vult, & determinat, uti furtum, aut homicidium, hanc vult, & determinat *immediato suæ libertatis exercitio* hanc actionem determinate eligentis contra legis divinæ, aut humanæ inhibitionem.

Deus contra hanc actionem vetitam non vult immediato suæ libertatis exercitio. Tantum immediato suæ libertatis exercitio vult actionem producere, quam res creata libera eliget, & determinabit, atque hanc vult ut *Agens universale* in productione motus, quem res creata libera nequit producere.

Deus actiones nostras externas in motibus hisce liberis sitas non producit, nisi occasione *volitionum liberarum*, quibus nos eas eligimus, & determinamus. Deus ergo immediate suam libertatem non exercet in his actionibus liberis; non enim agit, nisi consequenter ad nostras liberas volitiones. Ergo *harum actionum liberarum moralitas* Deo imputari nequit; eas enim Deus non eligit, aut a se determinat: tantum vult in genere, ut Agens universale, actiones externas producere sive licitas, sive illicitas, quas voluntati nostræ eligere, & determinare libuerit.

II. In nostra sententia facile est, ut patet, objectionem refutare, seu nullam reddere. Non ita res habet in sententia *concursus immediati*, qui admittitur non tantum ad externas actiones licitas, & illicitas, sed etiam in productione actuum animæ internorum, nempe liberarum volitionum, ac determinationum.

Qui immediatum concursum tenent, non ita facile effugium inveniunt, quum iis obiicitur, in eorum sententia Deum simul cum homine producere hanc *inordinatam* animæ *determinationem*, qua ipsa actionis illicitæ existentiam

eligit, ac determinat, puta, furtum, aut homicidium, & in qua *moralitas actionis hujus illicitæ* sita est, adeoque peccatum.

Contra vero qui immediatum concursum non admittunt nullam veram hac in re difficultatem solvendam habent; in eorum enim sententia anima tantum, non Deus re ipsa, & physice hanc eandem determinationem inordinatam producit, in qua unice *actionis illicitæ moralitas* sita est, adeoque peccatum.

1238. NOTA. Sententia immediatum Dei concursum admittens ad quascumque rerum creatarum actiones *duobus præcipuis vitiis* laborare videtur, quæ tantum indicabimus.

Primum est, quod materiæ, animæ humanæ, animæ brutorum *virtutem efficientem* tribuit, quam non habent, & quæ prorsus conficta videtur.

Alterum est, quod Deo tribuit in actuum animæ interiorum productione, puta, suorum judiciorum, & liberarum determinationum *Actionem concomitantem, & coefficientem*, quæ hac in re supervacanea videtur; universalis siquidem, & permanens rei createæ dependentia in internis actibus, quos a se producit, solo mediato Dei concursu perfectissime habetur. (1145, & 1148).

1239. OBJECTIO V. Ex sententia nostra, & ex responsione ad præcedentem objectionem sequitur primo, Dei actionem a libera rei creatæ determinatione pendere; quod Deum ens dependens efficit; deinde, Deum ministerium suum, & actionem exhibere pravis, atque illicitis actionibus; quod illum pravitatis harum actionum participem efficit.

RESPONSIO. Neutri ex vitiis hic objectis obnoxia sententia nostra est, ut facile ostendemus.

I. In sententia nostra Deus est ens a rebus omnibus infinite independens etiam in nobis agens

agens consequenter ad actiones nostras liberas; neque enim a determinationibus nostris liberis movetur, & determinatur ad agendum in nobis; ast unice æterna, & semper permanente voluntate sua, qua illi placuit, quum materiales substantias condidit, esse earum Agens universale.

Deus æternum determinatus est producere, ut causa efficiens, diversas externas rei creatæ liberæ actiones sive ab ipso præceptas, & permissas, sive vetitas. *Dei determinationis* occasio est, non causa determinatio libera rei creatæ. Deus ad agendum movetur, & determinatur non a rei creatæ liberæ electione, & determinatione; sed a *Decreto libero* a se libere æternum statuto producendi quod physicum est in actionibus licitis, & illicitis, quas res creata libera voluerit existere.

Non inde sequitur, Deum æque se habere ad probas actiones, ac ad improbas. Utrasque quidem æque producit, hoc natura creatarum rerum liberarum exigente; at primas præcipit, aut suadet, & illis præmia se digna proponit; postremas sacris suis legibus, ac paratis pœnis impedit, quantum patitur intrinseca libertas homini concessa.

II. In nostra sententia Deus ut agens universale naturæ materialis ministerium, & actionem suam adhibet physico, & materiali, non morali, & formali actionum illicitarum liberarum. Neque in hoc nota ulla illi inuri potest, ut jam supra satis explicavimus (1233, & 1237).

Reus homo est, quum ministerium, & actionem suam alteri homini adhibet ad illicitam, & pravam actionem perpetrandam; utrique enim actio hæc vetita est; & uterque simul eam vult, eligit ac determinat *immediato sua libertatis*, qua abutitur, *exercitio*.

At Deus actionem, quam producit, nec vult, nec

nec eligit, nec determinat immediato suæ libertatis exercitio; nec illi lex ulla suprema vetat, ne sit materialis naturæ Agens universale.

Agens peculiare, sive subditum illud sit, sive nulli subjectum, lege divina regitur illi vetante, ne ad actionem ullam illicitam se determinet.

Agens universale non nisi essentiali voluntatis suæ rectitudine regitur, quæ illi non vetat, ne sit causa efficiens physici, & materialis in diversis quibuscumque materialis naturæ motibus.

CAUSARUM OCCASIONALIUM HYPOTHESIS FORTASSE NOSTRORUM MOTUUM PHÆNOMENIS CONGRUERE NEQUIT.

1240. OBJECTIO VI. Si anima humana non est causa efficiens, sed *occasionalis* tantum diversorum motuum humani corporis, sequetur, hominem semper posse aut suo, aut alteri cuivis corpori quam libuerit indere indefinitam motus quantitatem; productio enim motus necessario pendet a libera volitione illum petente, & ejus existentiam determinante: porro humana voluntas semper petere, & determinare potest quam libuerit tum in proprio, tum in aliis corporibus *indefinitam* motus *quantitatem*.

RESPONSIO. Deus, qui motus nostros liberos producit consequenter ad liberas nostras volitiones, non pro voluntatis nostræ libidine eos producit, sed ad *leges generales* ab ipso statutas, a quibus motus productionem pendere vult.

I. Liberæ animæ nostræ volitiones nequeunt esse *causa occasionalis* nisi primitivi motus impressi aut spiritibus nostris animalibus, aut fibris

bris noſtris motricibus. Porro cauſalitas hæc occaſionalis ſemper aut ſpirituum animalium, aut fibrarum motricium naturæ eſt proportionata (271, & 1250).

II. Primitivus hic ſpirituum animalium, aut fibrarum motricium motus eſt deinde *cauſa occaſionalis* motus reliquo noſtro corpori imprimendi; puta carni, atque oſſibus, quibus brachium, aut crus conſtat; atque ita de ceteris.

III. Motus hic noſtri corporis eſt tandem *cauſa occaſionalis* motus aliis corporibus, quæ attingimus, imprimendi.

Hinc ſequitur, non a voluntatis noſtræ libidine pendere, ut noſtro corpori *arbitrariam* motus *quantitatem* tribuamus naturam noſtram excedentem: neque aliis corporibus a nobis ſejunctis, & quæ attingere non valemus; neque iis, quæ attingere valemus, ſed quorum maſſa immenſa eſſet; hæc enim vim habent reſiſtendi motui cujvis primitivo ſpirituum noſtrorum animalium, aut fibrarum noſtrarum motricium, a quibus univerſa vis motrix noſtri corporis, & corporum, procedit, quæ ut cauſa occaſionalis poſſet ad motum excitare (Phyſ. 286, & 310).

1241. OBJECTIO VII. Si Deus eſt unica cauſa efficiens motus; ad quid mirum & humani corporis, & brurorum artificium? Quare poſt vehementes motus, quos Deus tantum efficit, laſſi, & defatigati ſumus?

RESPONSIO. Si Deus nullas certas leges in motus productione, & communicatione ſequeretur, objectio aliquid valeret; ſed poſitis hiſce legibus, nihil valet.

I. *Mirum* hominis, & brutorum corporis *artificium*, cui evidenter infinita intelligentia preeſt, in noſtra hypotheſi non eſt inutile.

Inſervit enim evidenter, juxta Dei diſpoſitiones, quantum opus eſt, primo ne diverſæ

animalis corporis partes diffringantur, aut luxentur in diversis concussionibus, quas in eorum ministerio subire debent; deinde, ut vel minimus motus sensibiliter, juxta individui exigentiam, diversis partibus sensibilibus aut insensibilibus humani corporis communicetur, quæ juxta generales communicationis motus leges contingere nequirent in hominis, aut brutorum corpore, si rudis illud, & informis moles esset.

Unius lucis fasciculi motus satis sensibiliter tenuissimas oculi fibras concutit, ut claram atque distinctam objecti lucem hanc emittentis, aut reflectentis sensationem habeam. Si hic idem motus non fibras maxime mobiles in intimis oculi offenderet, sed rudem, aut nimis gravem materiam tantum, quid contingeret? se nimium dividens, aut nimiam resistentiam inveniens nullus fieret, & insensibilis, nec claram, atque distinctam sensationem pareret, cujus occasio est.

Non igitur oculi fibrarum tenuitas, ac mobilitas in nostra hypothesi inutilis est; juxta enim generales communicationis motus leges necessariæ sunt, ut sensationis, quam experior, occasio sint.

Idem dici potest de organis auditus, olfactus, gustus, tactus, de universo mirabili humani corporis machinamento, eadamque ratione de omnium brutorum corpore.

II. Satis frequens disputationum philosophicarum vitium est, ut contra hypothesim aliquam objiciatur, quod *contra omnes hypotheses* æque facit, ne illa quidem excepta, quæ admittitur, aut quæ impugnatæ necessario sufficienda est. En rei hujus exemplum, quod breviter innuere opportunum est. Nostræ hypothesi objicitur, quod nobis in quavis alia hypothesi insolubile videtur.

Nonne absurdum est dicere (ut dicunt, aut di-

dicere tenentur qui animam volunt causam efficientem motus sui corporis), animam *lassitudinis sensationem* experiri, quod in ipsa post violentos, ac diuturnos motus vis motrix exhauriatur? Quid enim est hæc animæ vis motrix? est ne anima ipsa? Ast anima non exhauritur. Est ne quid in anima ab ipsa distinctum? Ast anima est substantia simplex omnem natura substantialem compositionem excludens, quæ tantum virtutem, aut vim motricem habere posset.

Quænam igitur hujus *sensationis lassitudinis* causa, aut occasio est, quam post diuturnum, aut nimis gravem laborem experimur? Facile est in nostra hypothesi præclarum hoc problema solvere. Quare itaque hanc lassitudinis sensationem experimur? quia in nimis diuturno, aut nimis violento motu nimis magnam *spirituum animalium dissipationem*, *atque jacturam* corpus nostrum patitur; atque hæc spirituum animalium jactura est causa occasionalis, cui Deus hanc sensationem adjecit; ut sitis sensationem partium humidarum jacturæ, sensationem famis partium nutrientium jacturæ adjecit.

1242. OBJECTIO VIII. Si homo suorum motuum non est causa efficiens, quare illi agentis denominatio tribuitur, quum non agat?

RESPONSIO. Diversi hominis motus, præsertim qui liberi vocantur, homini jure tribuuntur; ipse enim conditionem ponit, seu *causam occasionalem*, quæ hos motus parit.

Homo igitur vere *physice* in hos motus *influit*; neque enim haberentur, si actu suæ voluntatis homo eos existere non faceret (272).

1243. OBJECTIO. IX. Nulla major datur connexio inter Dei voluntatem, & motus productionem in natura, ac inter meam voluntatem, & productionem motus in meo corpore. Ergo aut negandum a Deo posse motum pro-

duci; aut fatendum ab anima humana posse quoque produci.

RESPONSIO. Omnia Dei actionem in materialem naturam annunciant, & ostendunt: nihil animæ humanæ in humanum corpus actionem indicat, aut probat. Nulla ergo a Deo ad animam humanam, aut ab hac ad Deum illatio valet.

I. Deus est ens natura, & perfectionibus essentialiter infinitum. Ejus igitur voluntas concipitur necessario infinite per se activa, & efficax, etsi ignotus nobis sit modus, quo agit. Intelligitur ergo, posse ejus voluntatem motum in materiali natura producere, etsi ignota nobis connexio sit hujus voluntatis cum motu producendo.

II. Contra homo natura, & perfectionibus essentialiter limitatus est. Intelligitur ergo, non posse quoscumque effectus producere. Intelligitur ergo effectus, quibus nullam proportionem dicit, illi non esse tribuendos.

Atqui hujusmodi est motus humani corporis qui datur, nec esse potest aut a materiali, aut a spirituali substantia, quarum compositum hominem constituit (1222, & 1223).

III. Motus regulares, & permanentes naturæ visibilis necessario ostendunt *virtutem motricem in divina voluntate*; evidens enim est, motus hos dari; nec dari posse, nisi voluntate efficiente causæ infinite intelligentis, & activæ: porro hæc non nisi Deus esse potest (876 & 880).

Motus humani corporis liberi, aut necessarii non item *in humana voluntate virtutem motricem* indicant: fieri enim evidenter potest, ut Deus sit eorum causa efficiens, & ut humana voluntas sit eorum causa tantum occasionalis.

IV. Anima nostra, fortasse inquies, ita virtutem suam motricem sentit, ut existentiam suam sentit; ergo de illa, ut de hac certa est.

At

At in hoc manifestus est error, & æquivocatio, qua *sensus persuasionis* cum sensu objecti hujus persuasionis confunditur.

Anima nostra putare potest, aut sibi persuadere, se *in corpus suum virtutem activam* habere, quin hinc sequatur, hanc activam virtutem habere sicuti putare potest, aut sibi persuadere, materiam virtutem activam habere, quin hujus opinionis, aut persuasionis objectum re ipsa existat. At error nihil probat; & *persuasio non est semper demonstratio*, saltem apud philosophos (185, & 388).

1244. OBJECTIO X. Si Deus esset cujuscumque motus causa efficiens, nullus daretur motus vitiosus; & venator, exempli gratia, in leporem collimans, illum nunquam non traiiceret. Venator enim quantum in se est omnia præstat, quæ ad ictum in leporem dirigendum sunt necessaria. Deus vero nunquam fallitur in directione, & motu fistulæ venatoriæ tribuendo, ut lepus traiiciatur; ergo lepus semper traiici deberet.

RESPONSIO. Deus est, qui & corporis nostri, & corporum, in quæ agere videmur, motus efficit. At nos sumus, qui eorum magis, minusque promptam, & magis, aut minus aptam directionem determinamus: porro motus hi tandem a primitivo spirituum nostrorum animalium, aut fibrarum motricium motu derivantur.

I. Deus in motu producendo nunquam fallitur. Semper immutabiliter præcisam motus qualitatem, & quantitatem efficit, quam ex generalibus communicationis motus legibus postulat *causa occasionalis* a re creata sive materiali, sive immateriali, intelligente, sive non intelligente libera, aut necessaria illi exhibita.

At res creata intelligens, & libera, de qua hic sermo, non semper Deo causam occasionalem exhibet, unde motus consequatur ab ipsa in-

intentus. Tunc vero non motus ab ipſa intentus, ſed omnino diverſus emergere debet; ipſa vero tunc fallitur, non auctor motus.

Exempli cauſa, cur venatoris ictus leporem, aut perdicem non attingit, in quam collimat? quia in ſpiritibus ſuis animalibus, vel in ſuis fibris motricibus motus qualitatem, & quantitatem determinat, quæ cetera non ita diſponit, ut venatoria fiſtula in leporem, aut perdicem trajiciendam recte dirigatur. Idem dicas de ludente pilis eburneis in abaco, qui in pilam, in quam collimat, ea, quam trudit, non impingit; deque ſimilibus.

II. Experientia, & conſuetudo ſenſim ſine ſenſu animam docent *cauſam occaſionalem* ponere, a qua in ſpiritibus animalibus, ſive in fibris motricibus motus enaſci debet aptus effectum certo producere, quem intendit.

Exempli gratia, quid in venatore præſtat venandi conſuetudo? Efficit, ut anima exerceatur & aſſueſcat eam velle motus qualitatem, & quantitatem, quæ in ſpiritibus animalibus, aut in fibris motricibus neceſſaria eſt, unde oculus, & brachium celeritate, & directione opportuna moveantur: Efficit quoque, ut anima exerceatur, & aſſueſcat cito, & exacte angulos directionis definire, ſub quibus fiſtula venatoria collimari debet, ut ſcopus attingatur.

Quare venator ictu ſuo aberrat, quia vel diligentiam non ſatis adhibens, vel experientia carens voluntate ſua exigit, ac determinat in ſpiritibus animalibus, vel in fibris motricibus *motum ineptum*; ſeu motum, quo juxta generales communicationis motus leges, objectum, in quod collimat, attingi non debet. Non ita aberrabit, quum experientia, & uſus illum docuerint in ſuis ſpiritibus animalibus, aut in fibris motricibus quantitatem, qualitatem, directionem motus ab effectu obtinendo requiſitam aptius determinare.

Idem

Idem dici poteſt de ludentibus pilis eburneis in abaco, aut reticulo in ſphæriſterio, ac de ceteris. Illos uſus docet *cauſam occaſionalem* aptius dignoſcere, ac determinare, a qua intentorum motuum ſeries univerſa procedit.

CAUSARUM OCCASIONALIUM HYPOTHESIS UNIVERSAM FORTASSE PHYSICAM EVERTIT.

1245. OBJECTIO XI. Si Deus in univerſa natura animata, & inanimata unica motus cauſa efficiens eſt; *ſcientia phyſica* jam nulla eſt. In hac enim hypotheſi phænomenon quodvis explicabitur dicendo, ita contingere, quia Deus ita illud efficit; Exempli gratia, terram circa ſolem converti, quia Deus illam circa ſolem convertit; ſaxum ad centrum terræ gravitate tendere, quia Deus illud ad hoc centrum impellit; mare æſtuare, quia Deus in illo æſtum producit; cetera. Atqui patet, phyſicam ita pertractare, eſſe illam ex ſcientiarum albo delere ac nullam reddere.

RESPONSIO. Si Deus ſolus viſibilis naturæ motus produceret nulla in motus productione certa, & immota lege ſervata, profecto phyſicæ ſtudium inane eſſet; neque a præſentibus phænomenis de præteritis, aut de futuris judicium ferri poſſet.

At ſi Deus in univerſa natura motum producens *certas*, *atque immutabiles leges* ſequitur, quas detegere, ac apte dignoſcere oporteat, ut effectus exacte determinetur, qui jam ſequutus eſt, aut ſequi debet in quamplurimis & futuris phænomenis; patet, adhuc phyſicam ſcientiam eſſe menti noſtræ exercendæ, atque erudiendæ maxime opportunam.

Quid igitur eſt *ſcientia phyſica* in hypotheſi, qua Deus ſit motuum quorumcumque unica cauſa efficiens? Scientia eſt naturam variorum corporum, quantum fieri poteſt, obſervans, ac dete-

detegens ex peculiaribus eorum proprietatibus, ex effectibus, quos pariunt, & ex legibus, quibus reciprocæ eorum actiones fiunt: quæ illa, quæ constanter, & immutabiliter in diversis corporibus contingunt, esse probat ab aliqua *immutabili naturæ lege*; quæ iteratis, & accuratis observationibus paucas aliquot detegit ex his immutabilibus legibus, ad quas, tamquam ad causas physicas, omnia magna mundi hujus visibilis phænomena referantur, atque ita *Dei secreta* detegit, sive ordinem, quo progreditur in universali, & permanente actione sua in materiales substantias immensam hanc rerum universitatem constituentes (284, 947, 1221).

Exempli gratia, motus telluris circa solem, seu saxi ad telluris centrum unice a Deo producitur vi *legis generalis gravitationis* omnia omnino corpora permanenter afficientis, & cujus influxus physicus in corpora diverso modo æstimari debet ex diversis eorum massis, atque ex diversa a centro motus distantia. Ut igitur vel hic telluris circa solem, vel hic saxi ad telluris centrum motus apte dignosceretur, & accuratis observationibus, & acutissimis ratiociniis, & diuturnis meditationibus physicæ studiosi indiguerunt.

In nostra hypothesi Physica adhuc scientia est dignissima, cui humanum ingenium operam navet; ejus enim scopus est *verum ordinem* dignoscere, quem *Deus* sequitur in universali sua actione, qua naturam universam regit, ac permanenter animat.

1246. NOTA. Quid itaque poterit communis objectio, quam toties tanta jactantia proferunt entelechiarum assertores, dicentes: si Deus fiat omnis motus causa efficiens, naturam universam fieri *ineptam machinam*, quæ manum artificis reparantem, & corrigentem perpetuo postulat? illa, ni fallor, eo sophismate, seu paralogismo tota continetur, qui dicitur

muta-

mutatio thesis, sive *ignoratio elenchi*, & quo sententiæ, quæ impugnatur, vitium tribuitur, quo nullo pacto laborat.

In hypothesi causarum occasionalium visibilis natura machinamentum est infinita intelligentia, qua conceptum fuit, & infinita activitate, qua munus suum implet, dignissimum. Porro *mirabile hoc machinamentum* succedentibus sæculis, nec immutatur, nec restaurari indiget, nec labitur; æternum stare potest ut esse cœpit, semper idem & actione, & suæ actionis principiis.

Suæ actionis principia non ea sunt sane, quę inanis philosophia vellet a qua scilicet materia statuitur ea intelligentia, & activitae donata, quam ejus natura excludit. Quid inde? non propterea aut vitiosa, aut lapsabunda hæc principia sunt, neque eorum actio manu indiget perpetuo reparante, & corrigente. Sunt enim tantum hæc principia immutabilis Dei voluntas, & infinita ejus activitas, semper eadem ab initio temporum, & semper eadem futura (1221).

ARTICULUS IV.

FLUIDI ANIMALIS AD DIVERSA ANIMÆ HUMANÆ MUNERA RELATIO.

1247. OBSERVATIO. F*Luidum animale* considerari potest ut causa occasionalis actionis animæ nostræ in corpus, & corporis in animam. Hac ratione fluidi animalis theoria ad metaphysicam perfecto pertinet.

Quæcumque humani corporis pars animæ sedes sit, quæ tamen non nisi in cerebro statui posse videtur (1062); certum est; *medium communicationis* dari inter animam nostram, & corpus nostrum; atque hoc medium, quod-

cum-

cumque sit, illico ad animam impressiones transmittere, quibus corpus afficitur; & corpori motus communicare, quos anima postulat aut imperat; medium hoc esse debere tenuissimum, atque celerrimum, aptum vel minimo temporis instanti actionem suam a cerebro ad extrema corporis, & ab his ad cerebrum transmittere.

I. *Fluidi animalis existentia* passim a doctissimis naturæ studiosis, ab eruditissimis physiologis admissa, in dubium revocata fuit, seu potius impugnata diversis temporibus, a nonnullis, qui peculiaribus opinionibus famam aucupantur.

Num proinde existentia hæc incerta erit? non sane. Quænam physica veritas oppugnatores non habuit? sanguinis circulus nonne oppugnatores habuit etiam postquam ab Harveo demonstratus fuit? nonne hos habuit universalis gravitas in duplicata inversa distantiarum ratione etiam postquam omnium cælestium phænomenorum observatio probavit, esse hanc unam ex præcipuis naturæ legibus? nonne hos habuerunt cometæ etiam postquam periodicus eorum reditus calculo definitus, & prædictus fuit, & postquam eorum reditus & calculum, & prædictionem probavit?

Anne hic iterum memorabimus, unum ex infensissimis fluidi animalis oppugnatoribus eum eundem fuisse, qui postremis temporibus cometas corpora cælestia permanentia esse, & periodicas revolutiones peragere negavit? At enim vero non magis ejus jacula in fluidum animale, quam in cometas valuerunt. Facile est peculiares sententias admittere: eas philosophorum reipublicæ admittendas probare non ita facile est.

II. *Fludi animalis*, seu *spirituum animalium existentia* a sensibili, & perpetua suorum effectuum observatione tanta soliditate statuta, ac

de-

demonstrata videtur, quanta quęvis alia physica veritas esse possit.

Qua enim ratione animalis machinamenti motus explicetur, & concipiatur sive in homine, sive in brutis sine fluidi tenuissimi, ac maxime mobilis ministerio, quod nervos permeet, musculos, fibras, membranas omnes; ut eas modo extendat, modo comprimat, modo contrahat, modo producat, ut eas a quiete ad motum, aut a motu ad quietem traducat; quodque libere per tenuissimos hos tubos excurrens aptum sit perseveranter, & celerrime vel minimam actionem ab animæ sede ab omnes corporis partes, & vel minimas partium corporis impressiones ad animæ sedem transmittere?

FLUIDI HUJUS NATURA.

1248. EXPLICATIO. In Physica nostra animadvertimus, fluidum animale esse *fluido electrico* maxime analogum; & mira phænomena, quę in hujus tenuissima natura, & actione celerrima deteguntur, probabile reddere quidquid mirum, & concipi difficillimum illius natura, & actio præsefert (*Phys.* 1102).

I. *Fluidum animale* nihil aliud esse videtur; nisi tenuissima, ac maxime mobilis pars, seu vis perfectissima sanguinis, & humorum.

Substantiæ omnes animales, & vegetabiles immensam tenuissimarum, ac volatilium particularum copiam continent, quæ aptæ sunt fieri *spiritus animales*, & re ipsa fiunt in diversis mutationibus, quas in naturali corporis animalis machinamento substantiæ hæ subeunt. Eas homo educit e leguminibus, e fructibus, e liquoribus, quibus alitur. Taurus e fœno, e paleis quoque, & ex aqua, quibus tantum nutritur.

Tenujores, magisque volatiles alimentorum partes quum e perfecta digestione excedunt sangui-

guini commiſcentur, & cum ipſo circuunt: ad cerebrum ſucceſſive deferuntur, ubi ſubſtantia corticalis eas ſeparat, & a ſanguinis maſſa educit; a ſubſtantia corticali poſt earum ſecretionem ad ſubſtantiam medullarem tranſeunt, ubi omnino perficiuntur; indeque ad fibras, & nervos, qui ut totidem cylindri, cujus axis perpetuus tubus eſt, eas per omnes animalis corporis partes diffundunt.

II. Quum in corpore animato & *arteriæ* ſint quæ a corde in partes omnes alendas, & vivificandas ſanguinem vehunt; & *venæ*, quæ ab omnibus hiſce partibus ſanguinem ad cor reportant; veroſimillimum eſt, in animato corpore & *nervos arteriales* eſſe, qui a cerebro in omnes partes motu, & ſenſu donatas ſpiritum animalem traducant; & *nervos venoſos*, qui a partibus omnibus ſpiritum animalem ad cerebrum iterum deducant.

Hinc in animali machina *ſpirituum animalium circulatio*, ut ſanguinis; neque enim altera ad animalia, & vitalia munera minus altera eſt neceſſaria.

Hinc etiam ſumma cum probabilitate *anaſtomoſes*, ſeu valvulæ, quibus fluidi animalis vaſa communicant, ut in ſanguineis vaſis habentur.

Obſervationes anatomicæ anaſtomoſes in ſanguineis vaſis, in quibus viſibiles ſunt, aperte demonſtrant. Analogo judicio ſimiles anaſtomoſes in fluidi animalis vaſis jure ſupponuntur, in quibus oculo percipi nequeunt, attamen æque neceſſariæ ſunt (*Phyſ.* 540).

FLUIDI HUJUS MUNERA.

1249. OBSERVATIO. *Fluidi animalis munus* eſt in corpore animato motum, & ſenſum parere. Fluidi hujus exinanitio, aut interceptio utrumque intercipit, atque impedit. Eorum ita-

itaque causa physica est sive efficiens, sive occasionalis; quum vero causa efficiens esse nequeat, erit *occasionalis*.

I. Spiritus animalis, seu vitalis (uterque terminus enim omnino synonimus est) pura materia est, tenuissima illa quidem, & maxime mobilis; at semper pura materia. Nequit igitur quas materia essentialiter excludit proprietates habere.

Quare spiritus, seu fluidum animale nequit a se motum, aut sensum habere, aut impertiri. Potest tamen, ex legibus a Deo in natura statutis, esse eorum causa occasionalis (277, & 1042).

II. Naturæ studiosi, & physiologi corpus animale partiuntur in partes sensibiles, & insensibiles.

Sensibiles partes dicunt, quæ sua agitatione, & vibratione animæ occasio esse possunt perceptionis alicujus objecti sive cum voluptate, sive nulla voluptate, sive cum dolore, sive dolore nullo.

Partes insensibiles vocant, quas concutere, dividere, separare possumus, quin ullam hujusmodi perceptionem animæ tribuant.

Ex omnibus anatomicis observationibus *Sensibilitas* ita considerata in nulla animali parte habetur, nisi nervosa sit. Ossa, cartilagines, adeps, sanguis sensibilitate carent.

1250. EXPLICATIO I. *A spiritu animali in corporibus animatis pendet motus*. Facile probatur.

I. Si diutius alimenta sumere omittamus, vires deficiunt, propterea quia spiritus animales, qui eorum circuitione omnes machinæ animales partes motrices ad motum excitare debent, transpiratione evanuerunt; nec nutritione renovati, ac restaurati fuerunt.

II. Si nervus aut obstruatur, aut arcte ligetur; partes corporis animalis obstructo, aut

liga-

ligato nervo inferiores, & quibus obstructio, aut ligamen impedit, ne libere cum cerebro communicent, ubi præcipua fluidi animalis officina est, motu destituuntur. Fluidum movens siquidem interceptum est, nec ejus actio motrix ad illas usque fertur.

III. Si fluidum animale apte elaboratum libere, & copiose per omnes animati corporis nervos, & musculos excurrat; partes omnes motum sibi proprium perfecte obtinent, quemque animæ præsentia, aut voluntas postulat (271).

IV. *Horum spirituum animalium vis*, sicuti & virium omnium mechanicarum, est *productum eorum massa in velocitatem*. Eorum massa est veluti infinite parva; at eorum velocitas est veluti infinite magna. Hinc in hominibus, & in diversis brutis diversa virium motricium summa.

Habituum corporis, ætatum, positionum diversitas, majorem, aut minorem in ejusdem speciei individuis, puta, in hominibus, spirituum animalium copiam efficit, sive majorem, minoremve in hisce spiritibus velocitatem. Hinc in illis diversa activitas, seu diversa vis motrix.

V. Brachium meum, sive pes meus aliquando *motum* quendam *spontaneum* habent, quem non impero, & qui a se ipso veluti oriri videtur; spiritus quippe animalis nimia copia nervorum, & musculorum tubis, seu vasis inclusus, magno impetu erumpit ratione excessus, & vehementer aut brachium, aut pedem urget, quo vasis directio illi viam præbet: non secus ac aquæ magna in copia sustentatæ tandem aggeres, aut stagni ripas diruunt, & magna vi obstaculum omne propellunt.

1251. EXPLICATIO II. *A spiritu animali in corpore animato pendent sensus*, sive objectorum perceptio, Neque hoc difficilius demonstratur.

I. Ex

I. Ex omnibus anatomicis observationibus, sensus, sive objectorum perceptionis causa, sive occasio immediata semper est aliqua nervorum vibratio in iis orta præsertim ex fibrosis, aut membranosis expansionibus, in quas desinunt. Exempli gratia:

Sensatio visus per eam oculi membranam fit, quæ retina nuncupatur, quæque non nisi nervi optici expansio est.

Sensatio auditus per innumeras fibras fit longitudine, & tensione diversas, quæ aurem convestiunt, & eam veluti naturalem cytharam efficiunt; quæque sunt expansio nervi auditorii.

Sensatio olfactus fit per membranam nerveam duplicem nasi cavitatem convestientem, & in qua propagantur suis extremitatibus nervi olfactorii.

Sensatio gustus fit per fasciculos nerveos, & pyramidales linguæ, & oris superficiem convestientes.

Sensatio tactus fit per cutis fasciculos nerveos, & mammillares, qui non nisi variorum organorum tactus expansio sunt (12, & 455).

II. At vero qua ratione variæ hæ sensationes fulgur, & cogitationem ipsam celeritate æquantes ab externa organi extremitate ad cerebri centrum feruntur, ubi animæ sedes est? Exempli gratia: qua ratione, quove miro machinamento levis titillatio, quæ vix plantas pedis mihi vellicat, ejusque nerveos fasciculos, tanta vi ab hac pedum extremitate usque ad capitis mei centrum transmittitur, & communicatur, adeo, ut vivide sentiatur eo ipso temporis momento, quo excitari incipit?

Putandum ne jure est, ut dicere coguntur, qui fluidum animale proscribere vellent, levem hanc nerveorum fasciculorum pedis vellicationem posse in magnis nervis, quorum expansio sunt, *sensibilem vibrationis motum* producere, qui infinite minimo instante per uni-

ver-

versam solidorum, & liquidorum massam certa lege feratur ad sedem animæ, & cui tam nitide, ac vivide adnexa sit instantanea perceptio causæ illum a sede animæ tam procul excitantis? Nequaquam sane. Patet enim, juxta leges communicationis motus, sensibilem hunc vibrationis motum illi valde similem, qui in sonoris cytharæ, aut lyræ fidibus vibrantibus excitatur, a simili causa non oriri.

Valde itaque rationi consonum est dicere, impressionem in externa organorum parte factam ad animam transmitti, illique communicari instanti infinite minimo a *fluido animali*; quod omnibus nervorum, ac fibrarum cylindricis vasis diffusum, ferme infinita mobilitate, ac vibrandi vi præditum, instanti temporis admittit, & ad cerebrum, cum quo continenter communicat, transmittit vel minimos motus, quibus in partibus a cerebro vel remotissimis afficitur.

1252. OBSERVATIO. Ab hac theoria habetur explicatio phænomeni hujus physiologici, quod, quum ad alia plurima referatur, peculiarem animadversionem meretur. *Quare nervus arcte ligatus sensibilis esse desinit?* etsi concutiatur, vellicetur, incidatur, modo hoc infra ligaturam fiat.

Ratio hujus est, quia portio fluidi animalis in hoc nervo contenti infra ligaturam non amplius illi alteri hujus fluidi parti libere communicat, quæ ad animæ sedem aditum habet. Hinc concussio, & agitatio, quæ fiat infra nervi ligaturam, quum pungitur, & vellicatur, ad fibras non transmittitur, quæ ad animæ sedem usque protenduntur. Experimentum hoc demonstrare videtur:

I. Partes, quas nos in corpore animato sensibiles vocamus, a se, & per se *sensum* non habere.

II. Partes hasce sensibiles sensus causam, aut occasionem non esse, nisi quatenus nihil earum cum animæ sede communicationem intercipit.

IIII.

III. Ut anima *objecta percipiat*, opus esse, ut impressio in sensus facta, aut in partes sensibiles ad illam transmittatur per quid ab affectis fibris diversum.

IV. *Medium hoc communicationis* nihil aliud esse posse videri, nisi fluidum maxime tenue, ac mobile, quod perpetuo per fibrarum, & nervorum cylindricas cavitates diffusum admittere continenter possit diversars impressiones, quibus afficiuntur, atque has impressiones usque ad animæ in cerebro sedem deferre; atque ita diversarum animæ perceptionum *causa occasionalis* fieri.

SOMNI, AC VIGILIÆ STATUS AB HOC FLUIDO PENDET.

1253. EXPLICATIO I. *Somnus* est animæ munerum suspensio, aut interruptio: munerum intellige intelligentiæ, & sensus; sicuti vigilia est eorum exercitium. Duplex hic animæ status a fluido animali pendere videtur.

I. *Status* animæ *in vigilia* est, ut ideas habeat, aut comtempletur, quas sibi vel ipsa efficit, vel in intima sua substantia jam enatas invenit; ut diversas a diversis circumstantibus objectis sensationes experiatur; ut corpori, quod animat, ac regit, varios liberos motus imprimat.

Causa horum omnium occasionalis est liber, & ordinatus fibrarum motus ad sedem animæ pertingentium; hujus vero actio fluidi animalis occasio est.

Quamdiu fluidum hoc has sedis animæ fibras agitat, ac percellit; anima sensationes habet, ideas, cogitationes, desideria, volitiones, agit: vigilat.

II. Huic vigiliæ statui *somni status* succedet quum scilicet hæ sedis animæ fibræ non amplius ab animali fluido agitabuntur, & percel-

lentur, quod in perpetua sua circulatione magna ex parte semper dissipatur, quodque post quoddam tempus imminutum, extenuatum, ac veluti exhaustum nequit amplius sensibilem, & permanentem hisce fibris motum imprimere.

Si quando fibrarum sedis animæ agitatio primum magna ex pane imminuatur, deinde omnino cesset; *Causa occasionalis* idearum, judiciorum, ratiociniorum, sensationum, volitionum, motuum liberorum, quæ omnia vigiliæ notæ sunt, cessat, nec amplius agit. Hinc sopor, hinc demum profundus somnus.

III. Huic somni statui adhuc vigilia succedit; & fluidum animale novæ hujus mutationis adhuc causa occasionalis est.

In placidi, ac profundi somni quiete, ex *generalibus naturæ legibus*, quibus unio animæ cum corpore tum in homine, tum in brutis occasionem obtulit, cordis, & pulmonum motus perseverat: digestio fit, & perficitur: sanguis circuit, & novos cujusque generis succos sibi admiscet.

Novum fluidum animale conficitur, & in cerebro elaboratur, per diversa vasa, & in diversa receptacula ferme exhausta distribuitur, atque diffunditur; & tandem post diuturnius, aut brevius tempus tanta copia est, tantaque vi pollet, ut iterum agens, & sedis animæ iterum fibras percellens *vigiliam* pariat; statum nempe, in quo anima iterum causa occasionali suorum præcipuorum munerum intelligentiæ, & sensationis instructa, illa iterum exercere pergit.

Ex his intelliges, quare diversa ejusdem speciei, puta humanæ, individua alia aliis diutius somno indulgere indigeant. Ratio est, quia in aliis citius, in aliis serius fluidum animale reficitur.

1254. NOTA. Censuit Cartesius, *animam humanam semper cogitare*; nullam tamen sen-

ten-

tentiæ suæ solidam rationem attulit; scimus vero tanti esse sententiam aliquam, quanti rationes, quibus probatur.

Nulla ratione probabile videtur, animam humanam alto somno demersam, nec somniantem, re ipsa cogitare.

Si vero tunc aliquam cognitionem habet, multo verisimile est, non aliam hanc esse, quam suæ existentiæ cognitionem. Hac vero cognitione, quum semper eadem sit, non admodum afficitur.

1255. EXPLICATIO II. In somno anima humana *somnia*, seu modificationes cognitionis, & sensus iis admodum similes, quas in vigilia habet, obtinere nequit; atque horum phænomenorum causa occasionalis adhuc erit fluidum animale.

I. Ex præcedenti explicatione quum omnes *sedis animæ fibræ* quiescunt, & inertes sunt, anima omni idearum, cogitationum, sensus, desiderii, amoris, aversationis, aliorumque hujusmodi perceptione caret. Hic status somni est.

II. In hoc somni statu, quo sedis animæ fibræ quiescunt, & inertes sunt, si quæ ex his fibris casu ita seorsim agitentur, ut antea in vigilia agitatæ fuerant; anima *somnia* habebit, quasdam nempe ideas, cogitationes, sensationes, sensus, molestiæ, aut voluptatis, amoris aut odii modificationes.

III. *Somnia* hæc passim ad objectum ordinate non referentur; fibræ siquidem in animæ sede casu excitatæ, & oscillantes inter se ordinatam rationem non habent; & magna earum pars, quæ ceterarum nexum, & seriem efficere deberent, iners perseverat. Exempli gratia; videbo ab Alexandro fractum bello, & solio depulsum Atabalippam in Peruvia; tres enim fibræ, quarum fremitus in me ideas Alexandri, Atabalippæ, & victoriæ excitare debet, præter ordinem in me solitariæ fremuerunt.

IV. Aliquando somnia hæc ordinata erunt, & aliquo pacto ad eorum objectum apte referentur; tunc enim paucæ illæ fibræ casu excitatæ, & in sede animæ oscillantes casu quoque ordinatæ & aptam in seriem erunt dispositæ. Exempli gratia: somnians videbo ab hoc eodem Alexandro subactam Græciam, Persarum imperium eversum, Porum victum, eumque Alexandrum Babylone mori; quia fibræ, quarum munus est has ideas in me excitare, ex fluidi animalis renovati, ac reparati impulsu casu in meo cerebro juxta naturalem hanc seriem fremuerunt (562, & 564).

1256. EXPLICATIO III. In accidentali somni statu si anima quasdam cogitationes, aut sensationes habet natura alicui ex his *motibus liberis* connexas, quos pedibus, aut manibus suis indere solet, exempli gratia, in statu vigiliæ quum has easdem cogitationes, aut sensationes habet;

Anima toto horum somniorum tempore eosdem pedibus, ac manibus suis motus imprimet perinde ac si re ipsa vigilaret. In utroque statu causa occasionalis eadem est; ergo & idem effectus esse debet.

Ex his magnum phænomenon explicatur *Motuum somnambulorum*. Noctu alte dormientes somnambuli e lecto surgunt, vestes induunt, quo somnium ducit pergunt: aliquando quoque eadem opera mechanica peragunt, quæ interdiu vigilantes facere consueverunt; sæpius etiam ea æque bene exequuntur.

RATIONIS PERTURBATIO AB HOC FLUIDO PENDET.

1257. EXPLICATIO. Bonus animæ status in ordine ad munera intellectus æque ab hujus fluidi actione, & motu pendere videtur.

I. Si diversæ hæ sedis animæ fibræ, cujus ordi-

ordinatus motus rectum ordinem statuit in cogitationibus, ac sensibus, & *recta rationis statum* efficit, temere, & inordinate agitentur, nulla serie servata, ut in ebrietate, ac vehementibus febribus; erit hic *depravata rationis status*; brevis tamen, qui spiritibus tumultuantibus, unde oritur, dissipatis, & ipse cessabit.

II. Si diversæ hæ fibræ sedis animæ ad ideas & sensus ejus naturæ consentaneos excitandos destinatæ nullam permanenter nitidam, atque sensibilem vibrationem patiuntur: *permanens hic nitidarum, & sensibilium vibrationum defectus* occasio erit permanentis idearum, & sensuum defectus. Hic *stupiditatis, aut imbecillitatis status est* (1166).

III. Si fibræ hæ ædem sedis animæ, a quibus & cogitationes, & sensus habentur, perseveranter magno impetu, ac maxima irregularitate agitentur; *permanens hac vitiosa, & inordinata agitatio* perseveranter ideas simul junget discordes, cogitationes pariet incongruas, judicia absurda, inania desideria, inanes timores. Hic *amentia status* est.

IV. Si hæ ædem fibræ sedis animæ, a quibus sensationes, & ideæ sunt, aliquando, magis, minusve diuturno tempore, motus quosdam obtinent violentos, & convulsivos; *motus hi violenti, & convulsivi* animæ occasio sunt idearum exardentium, furentium desideriorum, rabidarum sensationum, noxiarum determinationum; ex quibus in universo animali machinamento exorientur inordinati impetus sibi, & propinquis periculosi. Hic *Furoris, aut phrenesis status* est (1169).

HABITUS NATURALES AB HOC FLUIDO PENDENT.

1258. EXPLICATIO. *Habitus naturales* dicuntur quædam animæ, & corporis dispositiones, quæ actibus sæpius iteratis comparantur.

I. Habituum naturalium causa est nescio quædam impressio in anima perseverans, qua fit, ut rem aliquam quem jam fecimus libentius, aut facilius faciamus; sive quod rei hujus imago frequenti usu altius mente defixa sit, adeoque facilius excitetur, & vividius eluceat; sive quod fibræ, & nervi, qui dato modo occasione imaginis, aut sensationis rei hujus agitari consueverunt, motum, quem habere solent, facilius iterum admittant.

Hinc digladiandi usus, cytharam pulsandi, exotica lingua loquendi, ligata, aut soluta oratione scribendi, in his omnibus facilitatem parit.

II. *Fluidum animale* in universa physica, & mechanica habituum nostrorum ratione partem magnam habere videtur. Organorum agitatio diversarum in anima affectionum, seu modificationum occasio est. Hæ vicissim organorum agitationis occasio sunt; at medium physicum, quo habituales hi organorum motus fiunt, qui animæ operationum modo *causa* sunt, modo *effectus*, est fluidum animale.

Fluidum animale ex frequentiori per quasdam vias transitu, ex his promptioribus, validioribusque quorumdam organorum vibrationibus animæ vicissim perceptiones parit, sensationes, affectiones, quas aut nullatenus habuisset, aut quas sine hoc habitu non ita vividas habuisset. Atque hæc est hujus fluidi actio considerata tamquam *una ex causis* quarundam animæ idearum, sensationum, atque affectionum.

III. Naturales habitus in *mechanicos*, & *morales* partiri possent, ut artes, vel mores respiciunt.

NATURARUM VARIETAS TUM PHYSICA, TUM MORALIS.

1259. OBSERVATIO. Naturarum diversitas, quæ tanta vi in varias animæ humanæ operationes influit, tamque varios hominum mores efficit, & in ordine physico considerari potest, & in morali.

In utraque consideratione hæc naturarum diversitas maximam sive ut causa, sive ut effectus ad fluidum animale rationem habet.

1260. EXPLICATIO I. Naturarum diversitas *in ordine physico* considerata in diversa solidorum, & fluidorum corpus animale componentium constitutione sita est: *Fluidorum* quidem, uti sanguinis, humorum, spirituum animalium; quæ diversa prædita sunt in diversis corporibus mobilitate, tenuitate, pinguedine, inflammabilitate, activitate: *solidorum* vero; uti carnis, ossium, cartilaginum, membranarum, musculorum, nervorum, fibrarum, quæ in diversis corporibus, tum & in eodem corpore modo majorem habent, modo minorem resistentiam, & elasticitatem.

In corporis animalis machina & vis organica habetur, quæ actionem imprimit, & vis elastica, quæ in actionem receptam reagit. Ex binis hisce viribus conjunctis enascitur natura.

I. *Vis organica*, quo nomine eam naturæ studiosi, & physiologi vocant, præcipue in aeris actione posita est, qui majori, minorive energia se in aerea vasa insinuat, ibique dilatatur; in sanguinis, & humorum actione, qui majori, vel minori velocitate per vasa sanguinea, & lymphatica circuunt: in actione fluidi animalis, quod majori, vel minori copia, & vi impulsum per intimos nervorum, & fibrarum meatus, musculorum extensionem, & dilatationem parit.

Prima hæc vis diaſtoles, ſive cordis dilatationis tum in homine, tum in brutis præcipua, & fortaſſe unica cauſa eſſe videtur.

II. *Vis elaſtica*, & *reagens* in naturali quarumdam animalis corporis partium, uti vaſorum aereorum, ſanguineorum, lymphaticorum, nervorum, ac fibrarum omnium, proprietate ſita eſt, qua conſtringi, & contrahi contendunt, quum extenſiones, aut dilatationes paſſæ ſunt, quibus earum partes ſejunctæ fuerunt.

Poſtrema hæc vis, a qua ſyſtoles, ſeu cordis contractio naſcitur, ad magnum *elaſticitatis corporum* phænomenon ſpectat, de quo in Phyſica fuſius egimus, & quod in univerſam materialem naturam ſive animatam, ſive inanimatam maxime influit (*Phyſ.* 226, 326, 540).

III. A diverſa *binarum harum virium animalium* activitate, organicæ ſcilicet agentis, & elaſticæ reagentis, procedit *naturarum diverſitas*, quæ hinc aut diverſa valetudine, aut diverſo robore præditæ ſunt, & diverſo modo ad varias in anima perceptiones excitandas aptæ ſunt. Itaque Natura phyſice conſiderata eſt in quovis individuo *peculiaris conſtitutio* orta ex proprietatibus, & reciprocis fluidorum, & ſolidorum actionibus, quæ corpus animale ad animalia munera diverſa facilitate & perfectione obeunda aptum efficit.

1261. EXPLICATIO II. Natura *in ordine morali*, ſeu in ordine ad animam conſiderata eſt in quovis individuo quædam veluti *peculiaris animæ conſtitutio* ſæpius peculiari corporis conſtitutioni valde analoga, & quæ ab hac veluti pendere, ac procedere videtur.

I. Exempli gratia; anima in corpore natura bene conſtituto reſidens omnino diverſa eſſe videtur, ac diverſo modo percipere, & ſentire ab anima, quæ in corpore perpetuo languente, cacochymo, hypocondriaco locata ſit.

II. Quum a bono, aut malo corporis habitu pen-

pendeat bonus, aut malus corporis habitus; patet, *maximam relationem* dari debere inter respectiva animæ, & corporis munera; & bonum, aut malum animæ statum in corporis habitum maxime influere posse; sicuti bonus, aut malus corporis habitus in animæ statum maxime influere potest.

Aliquando vel sola gravis tristitia optimum corporis habitum vitiare valet; sicuti magna corporis mutatio sufficit, ut anima omnino diversa esse videatur.

1262. EXPLICATIO III. Naturæ in ordine ad physicum, & ad morale consideratæ passim dividuntur in biliosas, sanguineas, melancholicas, phlegmaticas; atque hinc quatuor veluti hominum classes statuuntur physica, & morali eorum constitutione distinctæ.

I. In *bilioso* bilis magna copia dominatur: humor hic est amarus, subflavus, resinosus, & sulphureus, qui in jecore a sanguine separatur ut ad alimentorum dissolutionem, & ad chili secretionem inserviat.

Bilis, principium inflammabile, fermentescens, irritabile, maxime attenuatum, atque activum, naturæ vim, atque energiam impertiens animam ad magna incitat, aliquando etiam præter modum; atque hoc tum in iis, quæ recta sunt, tum in iis quæ prava sunt.

II. In *sanguineo* sanguis magna copia dominatur, præsertim pinguior, minus irritabilis, magis homogeneus, minus effervescentiæ obnoxius, modice calidus, & mobilis. Sanguinei plerumque uniformi, atque hilari natura donati sunt.

III. In *melancholico* magna copia dominatur niger humor atrabiliaris, gravis, tenax, tristis, incommodus, acer, inflammabilis, ab exaltata, & fermentescente bile exortus, quæ magna ex parte serositate, & ductilitate deposita, fermentum tamen, & elasticitatem non amisit.

Natura, atque indoles melancholica peculiari modo propensum reddere videtur ad misanthropiam, ad panicos terrores, ad cordis palpitationes, ad dira somnia, ad gravem tristitiam, ad prava molienda, ad seditiones excitandas.

IV. In *phlegmatico* phlegma magna copia dominatur: humor aqueus, insipidus, frigidus, & apathicus, proinde sale, calore, actione, vi, glutine destitutus.

Inertia, & intensibilitas phlegmaticæ naturæ proprietates esse videntur.

1263. EXPLICATIO IV. Si quem hominem in ordine ad moralia natura seu corporis habitus efficere debeat consideremus; biliosus ad magna obeunda comparatus videtur; sanguineus ad hilaritatem; melancholicus ad meditandum; phlegmaticus ad nihil.

I. Biliosus ad ea aptus est, quæ vim, & energiam postulant; sanguineus, ad ea quæ animi hilaritatem, & jucunditatem requirunt; melancholicus ad ea, quæ animi constantiam, & obfirmationem; phlegmaticus ad ea, quæ inertiam, & patientiam tantum exigunt.

II. Biliosus ad voluptatem ardens est, nec molestia deterretur; sanguineus molestiam fugit, & in voluptatem vehementer fertur. Melancholicus parum voluptate movetur, parum molestia deterretur. Phlegmaticus voluptatem, & molestiam parum sentit.

1264. NOTA. In ordine tum physico, tum morali naturæ tot, tamque variis modis componuntur, miscentur, complicantur, mutantur, imo sæpius adeo a se diversæ apparent; ut ferme nihil certi inferri possit, si a genericis de peculiaribus judicium feratur.

Qua ratione, exempli gratia, ducatur *linea separationis*, quæ mente ducenda concipiatur inter naturam sanguineam, & biliosam; in quibus semper necessario habetur sanguinis, & bil-

bilis commixtio, cujus analysis non nisi ex conjecturis plerumque incertissimis mente fieri potest?

Ceterum si ex physicis de moralibus judicium feramus, ex qualitatibus corporis scilicet de animæ qualitatibus, quibus erroribus non exponimur? præsertim nisi animadvertamus, *animam*, qua humanum corpus regitur, natura sua liberam, ut plurimum non obstringi a principiis organa materialia constituentibus, quibus conjuncta est, & quorum ministerio operatur. Aliqua ratione ab iis quidem pendet in suis intelligendi, & sentiendi muneribus, & in modo, quo res videt, & sentit; at non ita facile est in quo dependentia ista sita sit, & quo adducere debeat, definire. Præstans anima turpe Æsopi, & Socratis corpus informabat. Quot turpes animæ elegantiora corpora informarunt?

Natura, seu corporis habitus peculiares quasdam propensiones parit; ast anima semper eas pro libito sequi potest, aut iis obsistere.

UNIVERSÆ HUJUS ANIMÆ HUMANÆ THEORIÆ SYNOPSIS.

1265. OBSERVATIO. Philosophi nonnulli ab *anima humana* definitione initium faciunt; & ex definitione ab ipsis posita ejus naturam explicant.

Præpostera hæc methodus est. In hac res cognita supponitur, ut cognoscenda exhibeatur. Propterea hæc quædam petitionis principii, aut circuli vitiosi species est.

Anima humana natura, ut & cujusvis alius substantiæ, non nisi analysi apte dignosci potest; ex suis scilicet proprietatibus, viribus,

effectibus rite perpensis; ut alibi monuimus (1035).

Observationes experimentales a nobis in universo hoc tractatu de animæ humanæ natura, & facultatibus propositæ, & explicatæ sequentes veritates nobis exhibere videntur, quæ universæ hujus theoriæ veluti synopsis erunt.

1266. CONSECTARIUM I. *Anima humana est substantia essentialiter a materia distincta, & ab omnibus materiæ proprietatibus, & modificationibus*. Cogitatione enim, & sensu donata est; & demonstratum est, materiam nunquam cogitare, aut sentire posse (1042, 1046, 1068).

1267. CONSECTARIUM II. *Anima humana est substantia essentialiter spiritualis*. Omnibus enim sæculis, & in omnibus nationibus talem perpetuo se exhibet intelligentia magis minusve acuta, judicio magis, minusve solido, ratiociniis magis minusve profundis, omni cognitionum genere; cognitionibus magis minusve reflexis, invicem connexis, futura, præsentia, præterita attingentibus, non sensibilia tantum, sed & *maxime insensibilia* assequentibus, exempli gratia, officiorum leges, meriti pretium, gloriæ illecebras, præclari facinoris meritum, principiorum veritatem, consequentium connexionem, veri, & pulcri gradus in physicis, & in moralibus. Porro substantia his attributis ornata & unanimi consensu dicitur, & re ipsa est substantia spiritualis (1047).

1268. CONSECTARIUM III. *Anima humana essentia non est actualis cogitatio, ita ut in ipsa idem sit esse, & cogitare*. Verosimillimum siquidem est, ipsam in somno non cogitare, neque in existentiæ suæ exordiis; ipsa etiam cogitationes mutat, nec proinde essentiam mutat quum de triangulo meditari desinens de sphæra meditari incipit, aut de cu-

bo,

bo; & facile intelligitur, substantiam hanc cogitantem innumeris cognitionibus in Archimede, & in Neutono ditatam, non propterea essentiam suam amissuram, si peculiarem aliquam cognitionem amitteret. Nulla ergo ex his cognitionibus ejus essentia est; ergo neque earum summa.

Cartesius *essentiam spiritus* in cognitatione, & *essentiam materiæ* in extensione statuit. In primo erravit, ut modo ostendimus; & in altero errasse alibi ostendemus. Cogitandi facultas proprietas est spiritui essentialis; actualis cogitatio modificatio est spiritui accidentalis. (1254, & 1378).

1269. CONSECTARIUM IV. *Anima humana substantia est intelligens, & sentiens*; omnia enim in ipsa duplicem hanc, intelligendi scilicet, & sentiendi facultatem ostendunt.

Ejus *intelligentia* innotescit ex diversis cognitionibus, quibus sese magis, minusve ditatam semper ostendit; modo naturalia corporis, quod animat, organa, a quibus hujus facultatit exercitium pendet, vitiata non sint.

Ejus *sensibilitas* & ex sensationibus proprie dictis apparet, quibus physico rerum ordini communicat, & ex sensibus intimis a sensationibus non dependentibus, quibus ad socialem, & moralem ordinem elevatur (1176).

1270. CONSECTARIUM V. *Anima humana, substantia spiritualis, est natura simplex*; a natura sua siquidem omnem *realem* partium, & facultatum compositionem excludit (1051, & 1154).

1271. CONSECTARIUM VI. *Anima humana veram, & plenam libertatem habet in iis suis actibus, quos liberos vocant*. Horum enim actuum existentia, sive non existentia ab ejus voluntate, & electione omnino pendet.

Libertas hæc nobis constat sensu intimo: in

ce-

ceteris hominibus innumeris patentibus effectibus, ac certis probationibus (1117).

1272. CONSECTARIUM VII. *Anima humana est vera causa physica suarum operationum, earum quoque, quarum est causa tantum occasionalis.* Harum enim operationum existentia ab ipsa pendet æque ac si earum esset causa efficiens libera, vel necessaria. (272, & 1223).

I. Exempli gratia, etsi *primigenias rerum imagines* in me non producam ut earum causa efficiens, æque verum est in mea potestate esse mihi quum libuerit innumeras primigenias rerum imagines comparare, sive naturam observando, sive naturæ studiosorum, physicorum, geometrarum, politicorum, doctorum quorumcumque opera perlegendo.

Ero itaque harum immaginum in me existentium causa physica, at libera earum, quæ ex mea electione enascuntur, necessaria earum, quæ sine meæ libertatis concursu producuntur (272; & 475).

II. Pari modo etsi non producam tamquam causa efficiens *motum, qui meum corpus animat*, certum est, me libere meo corpori plurimos motus indere, quorum existentia unice a libero meæ voluntatis exercitio pendet; & motus omnes necessarios, quibus animor, pendere, ut existant (quin ego qua id fiat ratione sciam) ab animæ meæ præsentia, & ab ejus cum meo corpore conjunctione (1223).

Est erg · anima mea horum variorum motuum *causa physica*, libera eorum, quos imperat; necessaria eorum, qui a sua voluntate non pendent.

III. Idem dicas de meis *sensationibus organicis, & mentalibus*. Etsi harum sensationum non sim egomet causa efficiens; certum tamen est, plurimas dari, quarum existentiam unice a mea libera voluntate pendet, quasque mihi com-

comparo, aut quas comparare nolo, ut magis lubet, causam occasionalem ponendo, seu non ponendo, a qua earum existentia pendet, earumque, quæ me vel inscio, vel invito in me nascuntur, æque causam physicam esse animæ meæ præsentiam, ejusque corpori conjunctionem.

Aliarum itaque anima mea causa libera est, aliarum necessaria, semper tamen occasionalis, nunquam efficiens (267, *&* 462).

IV. Idem quoque dicas de *sensibus* meis *spiritualibus* in ordine sociali, & morali. Etsi eorum non sim egomet causa efficiens; certum est, in mea potestate esse, mihi, recte ratione utendo, honestatis, rectitudinis, humanitatis, grati animi, moderationis, beneficentiæ sensus comparare.

Sensus hi, atque horum sensuum habitus in me existent ab exercitio mearum cognitionum, animadversionum, ac perfectæ meæ libertatis; & eorum ero egomet causa physica, licet tantum occasionalis (1179).

1273. CONSECTARIUM VIII. *Anima humana moralitatis, meriti, & demeriti capax est.* Est enim intelligens, ac libera.

Ut intelligens, leges noscit a supremo Legislatore latas, & essentialem sibi impositam ab his legibus obligationem. Ut libera, veram potestatem habet illas servandi, aut infringendi, ut magis libuerit.

Si illas servat, quod debet facit, sæpius tamen non sine magna sui ipsius victoria; meretur; præmio proinde digna est: si eas infringit, supremum Legislatorem lædit; demeretur: pœna digna est (1207 .

1274. CONSECTARIUM IX. *Dogma immortalitatis animæ non modo philosophiæ, & rationi non opponitur, imo ambabus omnibus numeris est consentaneum.* Nulla siquidem ratio probat, animam humanam interire debere

cum

cum corpore, quod animat; imo maxime philosophicæ rationes probant, atque demonstrant, posse illam, & debere corporis dissolutioni superesse. Si itaque die una corpori, quod animat, superesse potest, quare non integro sæculo, non decies centenis millibus sæculis, non infinitis sæculis illi superstes esse poterit? (1086, & 1087).

Brevis hæc est synopsis Theoriæ, quæ ab humanis mentibus plurimi fieri debet, quum ipsius humanæ mentis theoria sit.

Finis Tractatus Quinti.

TRACTATUS SEXTUS.

THEORIA ANIMÆ BRUTORUM.

THEORIA
ENTIUM INSENSIBILIUM
SIVE
METAPHYSICA UNIVERSA SACRA ET PROPHANA.

TRACTATUS SEXTUS:

THEORIA ANIMÆ BRUTORUM.

ANima brutorum, uti & humana, & *in ejus natura*, & *in ejus potentiis* considerari potest; in iis scilicet, quæ ejus substantiam, & suum esse constituunt, & in activis, ac passivis facultatibus, quæ ab ipsa pendent.

Duplici hac ratione binis sequentibus sectionibus, quæ sexti hujus tractatus partitionem facient, illam considerabimus. Porro partitionem hanc illi tractatus præcedentis similem consulto selegimus, ut utriusque objectum veluti alterum alteri ex adverso statutum invicem conferri possit, adeoque utriusque diversitas evidentius appareat (1037).

Binis hisce sectionibus tertiam adjiciemus, in qua de *iis naturæ legibus* agemus, quibus animale corpus crescit, & deperit; quæque & hominum, & brutorum animam simul respiciet.

SECTIO PRIMA.

ANIMÆ BRUTORUM NATURA.

1275. OBSERVATIO. B*ruta* vocantur substantiæ illæ omnes organicæ, & animatæ, quæ *intimum sentiendi principium* habent, aut habere videntur, sive internam facultatem sensationes habendi voluptatis, aut doloris, quin simul habeant *intimum rationis principium*, sive facultatem ad diversas suas perceptiones animadvertendi, atque ex illis ratiocinia instituendi, aut de abstracta rerum convenientia, aut oppositione ratiocinandi, sive de intelligibili causarum ad effectus, effectuum ad causas relatione, sive de principiorum cum consequentiis, atque harum cum illis nexu, ceterisque hujusmodi. Bruta vero sunt species omnes quadrupedum, avium, piscium, reptilium, insectorum.

1276. EXPLICATIO I. *Hominem* voco, sive animal rationis particeps, substantiam omnem organicam, & animatam, in qua sit *principium intimum rationis*, *&* *sensus*; sive hoc rationis, & sensus principium, in ipso detegam, sive secus. Hoc enim plane objectum est ideæ illius, quam hominis habemus; quacumque demum ratione idea hæc in nobis enascatur; & quæcumque incertitudo in ejus applicatione aliquando haberi possit.

I. Exempli causa, Minotaurus, de quo in poetarum fabulis sermo est, si re ipsa extitisse supponatur, homo ne erat, an non? monstrum dubia forma, quod fœmina vivens, & animatum peperit, homo ne est, an non? illa simiorum species adeo homini forma similis, quam

vocant Orang-Outan, ad ſpeciem ne humanam pertinet, an ad brutorum? fortaſſe neſcio, aut ſaltem fieri poteſt, ut anceps hac in re ſim.

Hoc tamen certo ſcio: ſi minotaurus, ſi monſtrum e muliere natum, ſi Orang-outan intimo rationis principio gaudent; ad claſſem rationis participem, non ad brutorum claſſem pertinere.

II. Hoc itaque *intimum rationis principium*, ſive intima hæc cogitandi, & animadvertendi facultas ea eſt, quæ eſſentialem diſtinctionem ſtatuit & *lineam ſeparationis* ducit inter hominem, & brutum; ſive eſſentiale hoc diſtinctivum cognoſcatur, atque hæc ſeparationis linea, ſive non cognoſcatur.

1277. EXPLICATIO II. *Brutum* appello, ſive animal irrationale, ſubſtantiam quamvis organicam, & animatam *præditam intimo ſenſus principio, & omni rationis intimo principio destitutam*; ſive in illa intimum hoc ſenſus principium detegam, ſive non. Hoc enim evidenter eſt objectum ideæ, quam bruti habemus, quacumque tandem ratione idea hæc in nobis enaſcatur; & quæcumque in ejus applicatione incertitudo aliquando haberi poſſit.

I. Exempli cauſa. Poſtremis hiſce temporibus obſervarunt naturæ ſtudioſi plantarum ſpecies quaſdam, uti Polypos, quæ intimum ſenſus principium habere videntur, quaſque Zoophyta vocant, ſive *plantas animalia*. Plantæ hæ animalia ne ſunt, an vegetabilia? Fortaſſe ignoro;

Hoc tamen certo ſcio: ſi vere ſenſu gaudent ſi vere voluptatis, & doloris perceptiones habent, ad animalium claſſem eas pertinere.

II. Hoc itaque *intimum ſenſus principium*, quod ab animadvertendi, & ratiocinandi facultate ſejunctum ſupponatur, illud eſt, quod eſſentialem diſtinctionem, & *lineam ſeparationis* ſtatuit inter regnum animale, & vegetabile;

ſive

five essentiale hoc distinctivum, atque hæc inter regnorum limites linea separationis cognoscatur, sive ignoretur.

1278. EXPLICATIO III. *Vegetabile* nuncupo substantiam omnem organicam, crescentem, & deinde pereuntem, & vitæ specie quadam gaudentem, omni tamen *intimo sensus principio* destitutam. Hujusmodi sunt arbor, arbustum, frumenti caulis, pratorum herba, hortorum flores, id omne denique, quod in campis, aut sylvis vegetat tantum, a quercu ad muscum.

LINEA SEPARATIONIS INTER HOMINEM, ET BRUTUM, INTER BRUTUM, ET PLANTAM.

1279. OBSERVATIO. *Recens* quædam *philosophia* paradoxa statuendi cupida omnes ingenii vires contendit, ut dubiam redderet *lineam separationis* a natura tanta perspicuitate ductam inter hominem, & brutum, inter brutum, & plantam.

Sophismatis genus, quo potissimum usa est, ut paradoxum statueret, illud est, quo ab incerto contra certum, ab ignoto contra notum illatio fit. Exempli gratia,

1280. QUÆSTIO I. *Datur ne essentiale distinctivum, linea vera separationis inter hominem, & brutum?* Negavit recens philosophus. Neque enim homo sublimi ingenio præditus re ipsa ab homine vulgari ingenio instructo diversus est; nec homo vulgari ingenio ab hebeti, & stupido; neque hebes, & stupidus ab imbecilli a nativitate; atque hic fortasse a bruto non differt; nullum enim *intimum intelligentiæ, ac animadversionis principium* in imbecilli a nativitate magis dignoscitur, quam in brutis.

CONFUTATIO. Patet, hanc philosophandi ra-

rationem rectæ rationi repugnare. Hoc enim id ipsum est, ac dicere, in innumeris subjectis intimum intelligentiæ, & animadversionis principium non esse, in quibus omnia hoc esse annunciant; propterea quia nonnulla subjecta sunt, in quibus principium hoc, quod in suis muneribus impediri non repugnat, non eadem evidentia sese prodit.

Æque, ni fallor, dici posset, certum non esse, in tellure animalia, & vegetabilia existere, quod iis similia in luna non detegantur; sive incertum esse, num in meridie dies sit, quod in vespertino crepusculo incertum sit dies ne, an nox sit (1049, & 1166).

1281. QUÆSTIO II. *Datur ne essentiale distinctivum, linea separationis inter brutum, & vegetabile?* Negavit adhuc idem philosophus: Si enim innumera animalia sunt, quæ *motu progressivo* pollent, & quo a vegetabilibus secerni videntur: alia quoque nonnulla sunt, ut ostrea, & gallo-insecta, quæ illo carent; si vero animalia omnia *facultate sentiendi* prædita esse videntur; plantæ nonnullæ, ut polypi fluviatiles, eadem facultate, ac proprietate gaudent.

CONFUTATIO. Mea quidem sententia, ex his inferre, essentialem diversitatem non dari inter animam, & vegetabile, præpostera est philosophandi ratio.

I. Quod innumera animalia motu progressivo polleant probare videtur, animalibus intimum inesse motus progressivi principium, quo vegetabilia carent, & quo hæc ab illis distinguuntur, & differunt; si vero ostrea non progrediuntur, hoc non videtur probare intimo motus progressivi principio illa carere; sed tantum in iis motum hunc progressivum, ut in cane catenato, impeditum esse.

II. Postquam animadverterim, sentiendi facultatem in omnibus animalium speciebus sese pro-

prodere, nullo vero pacto hanc in vegetabilibus generatim apparere; si *speciem* aliquam *æquivocam* offenderem, quæ vegetabilis videretur, in qua tamen sensum inesse certo detegerem, deberem, ut mihi quidem videtur, recte philosophando, hinc inferre, non sane *sentiendi facultatem* vegetabili, & animali communem esse; sed illud, quod mihi ad vegetabile spectare visum est, re ipsa animalium speciem esse, cui, ut leoni, & formicæ, verum inest sensitivum principium, quæcumque tandem hujus principii natura sit.

III. Multa de polypis præsertim, de corallio, deque aliis productionibus his similibus disseruit recens hæc philosophia, ex quibus peculiarem classem, zoophytorum scilicet, seu animalium plantarum, instituere voluit.

Adhuc tamen videndum est, num inani fundamento systema, & sententiam suam exædificaverit; num ibi sensum esse putaverit, ubi tantum motus datur; num in peculiaribus hisce productionibus sensum esse arbitrata sit eo plane modo, quo in navi magnum nautarum numerum vehente sensus est, quo sensus est in alveari quindecim, aut viginti apum millia continente; num continens pro contento sumpserit, ficto illi Micromegali similis, qui e Syrio, & Saturno in exiguum orbem nostrum descendens, navem in mari Baltico velificantem marinum animal esse putat; & exquisitissimo microscopio indiget, ut deprehendere possit, navem hanc plures geometras, & nautas vehere, qui illi includuntur, non tamen navis ipsa sunt.

IV. Ut ut tamen res habeat, hoc primo certum est, *ubi sensus est, ibi principium sensitivum esse*, quæcumque demum ejus natura sit. Certum est deinde, principium hoc sensitivum illud esse, quod speciem animalem vere, & essentialiter distinguit, atque verum separationis

nis lineam inter regnum animale, cui inest, & vegetabile, cui non inest, ubique statuit; species enim vegetabilis, cui inesset, jam hoc ipso species animalis fieret.

1282. NOTA I. In homine, ut in bruto *principium sensitivum* est, sive facultas perceptiones habendi voluptatis, & doloris; quæcumque hujus principii natura sit.

I. In homine principium hoc sensitivum est *anima humana*: substantia intelligens simul, & sentiens, omnino, & essentia sua a materia, & a quibusque materiæ modificationibus distincta; ut universo præcedenti tractatu jam ostendimus.

II. In bruto quovis principium hoc sentiens est *anima bruti*; exempli causa in leone est leonis anima, in ove ovis anima, in formica formicæ; sive hæ animæ eadem intima natura præditæ sint, sive diversa; quod verosimilius est.

1283. NOTA II. In universo orbe nostro *unica* tantum *hominum species* est in plures *classes accidentaliter* tantum *diversas* divisa: ut in septima philosophiæ religionis parte, sive sectione ostendimus. Quare omnes animæ humanæ ejusdem intimæ naturæ re ipsa esse censendæ sunt; etsi fortasse majori, minorive intima perfectione inter se distinguantur; ita ut intelligentia, & sensibilitate duæ animæ humanæ sint inter se ut 1 ad 2, sive ut 2 ad 3, sive ut 7 ad 8, sive ut 14 ad 15, atque ita porro (1152).

Non ita de brutis sentiendum est. In orbis nostri parte tum solida, tum fluida *innumeræ sunt brutorum species*, quorum existendi, sentiendi, vivendi, generandi, sese conservandi modus æque varius videtur, ac eorum organa, & figura. Species hæ omnes *principium sensitivum* habent, quod voluptatis illecebris, & doloris metu agit; at in quavis specie principium

hoc munera, & sensationes omnino diversas sortitum esse videtur; adeoque & diversam naturam. Leonis anima, seu principium sensitivum a columbæ, aut salaris principio tam diversum esse videtur, quam leonis corpus a columbæ, aut salaris corpore diversum est.

VARIÆ PHILOSOPHORUM DE ANIMA BRUTORUM SENTENTIÆ.

1284. OBSERVATIO. Quid est *anima brutorum*? quodnam est principium sensitivum, simile, aut diversum in diversis speciebus, quas omnes animat, ac dirigit voluptatis illecebris, aut doloris metu pro diversa eorum natura, eorumque fine? Quæstio hæc maximi momenti est tum in se ipsa, tum vel magis ratione eorum omnium, ad quæ in anima humana refertur.

I. Philosophi omnes omni ætate dederunt operam, ut hoc naturæ arcanum detegerent, Quum vero omnibus hisce conatibus parum admodum profecerint, dicendum sane, nonnulla esse in natura visibili, magisque nobis obvia, quæ magna ex parte vel acutissimi cujusque ingenii sagacitatem semper eludent.

II. In animæ brutorum theoria, ut in animæ humanæ, & in quavis alia philosophica theoria ignotum ex noto investigatur, & abdita, atque invisibilis causa ex effectuum ob oculos positorum observatione. Ex hac ne methodo exortæ sunt variæ philosophorum de anima brutorum sententiæ? Hac certe methodo bruta perpendenda, atque observanda sunt.

III. Quinque ab antiquis temporibus ad nos usque de anima brutorum sententiæ prodierunt, quæ illam successive statuerunt esse materiam organicam, formam substantialem, ens imaginarium, substantiam spiritualem, substantiam mediam inter materiam, & spiritum.

1285.

1285. SENTENTIA I. Materialistæ tum veteres, tum recentiores in brutis, ut & in homine verum *principium sensitivum* statuunt; hoc vero principium in brutis, ut & in homine, est tantum materia organica.

1286. SENTENTIA II. Peripatetici tum veteres, tum recentiores in brutis verum principium sensitivum statuunt; hoc vero principium est forma substantialis. At vero quid est forma ista substantialis? hoc ab ipsis nunquam apte definitum est.

I. Peripatetici, quorum nos genericam notionem in hujus operis præfatione tradidimus, in quibusque entibus materiam, & formam statuebant; ut in nostra entium sensibilium theoria explicavimus (Phys. 157, & 158).

Materiam vocabant rem in ente magis indeterminatam, formam vero rem determinantem. Exempli causa, in homine substantia organica erat ejus materia; substantia hanc organicam materiam animans, quæque hominem potius, quam scimium, aut leonem efficiebat, erat forma. Ita quoque in peccato actio libera erat peccati materia; defectus rectitudinis, seu conformitatis legis erat forma peccati.

Hæc *diversorum entium forma* substantialis erat, aut modalis, positiva, aut negativa; ut natura sua vel substantia erat, vel modus, quid positivum, vel quid negativum, sive ens, aut negatio entis.

II. *Veteres peripatetici* ut plurimum materialistæ erant. Hæc igitur substantialis brutorum forma verisimiliter, in eorum, ut in omnium materialistarum sententia, aut materia erat magis tenuis, aut aliquid substantiale ab ipsa materiæ substantia emanans.

Recentiores peripatetici materialistæ non erant; & in eorum indigesta sententia brutorum forma substantialis id ferme fuisse videtur, quod nos substantiam dicimus mediam inter materiam,

 & spi-

& spiritum. Erat hoc saltem aliquid melius *natura plastica*, cui neque cognitionem, neque sensum tribuebant (1217).

1287. SENTENTIA III. Cartesius nullum vult brutis inesse *principium sensitivum*. *Pura automata* sunt, & materia organica tantum; in vita plantæ vegetanti valde similia; motu automati artificiali valde similia, quod mechanicarum potentiarum patentium, aut abditarum ope movetur; cantu, aut voce tibicini automati Vocansoni valde similia, quod non nisi perfectum organum est. Videntur quidem sentire, modo voluptate affici, modo dolore, modo amore prosequi, modo odisse; at nihil tale iis inest, inquit Cartesius; apparet tantum; pura enim materia sunt; materia vero sensum omnem excludit.

Magnus sane Cartesius nobis videtur, quum ut qualitatum occultarum fabulas profligaret, ajebat: cedo materiam, & motum: mundum inanimatum construam; seu quum ut sensibiles corporum qualitates e philosophia ejiceret, docebat, mundum ut re ipsa est, nihilo ei, qui apparet, similem esse; seu quum, ut ætatis suæ ingenia e veterno excitaret, elegantem suorum vorticum fabulam proferebat.

At vere exiguus nobis Cartesius videtur, quum nulla ratione dicere ausus est: bruta pura automata sunt sensu carentia. Profecto ætas illa, cui isthæc Cartesius loquebatur, valde in philosophia jejuna esse debebat, si sententiam adeo a recta philosophandi ratione alienam admittere poterat. Sane si per hos dies sententia hæc primum proferretur, ne quatuor quidem in universa Europa probatos homines invenirent, qui illam admittere, & sequi vellent.

1288. SENTENTIA IV. Nonnulli, at satis pauci recentiores philosophi, quorum sententia nunquam probata fuit, neque probari, & admitti meruit, brutis *animam spiritualem* tribuunt;

at-

at humanæ ſpecie inferiorem; animam cogitandi, & ſentiendi capacem, ſed moralitatis, meriti, & demeriti incapacem ex perpetuo libertatis defectu.

1289. SENTENTIA V. Sententia ex ipſa brutorum obſervatione veluti ſponte enaſcens, quæque omnium prima prodire debuiſſet, ſi humana mens vel ab initio ad verum, aut ad veriſimile tendere noviſſet, brutorum animam eſſe ſtatuit *ſubſtantiam mediam inter ſpiritum, & materiam*; ſubſtantiam ſcilicet immaterialem, quæ neque ſpiritus eſt, neque materia; quæ inter utrumque medium tenet, quæ ſentiendi facultate prædita, animadvertendi, & ratiocinandi facultate caret. Porro ſententiam hanc explicare, & ſtatuere pergimus, poſtquam ceterarum omnium vitia patefecerimus.

Sit ne ſententia hæc eadem, quæ recentiorum peripateticorum, at aptius propoſita, atque ſtatuta, an non ſit; nihil intereſt. Satis eſt ſi ipſa omnium ſit rectæ philoſophiæ, ac veritati maxime conſentanea. Peripatetici, qui tandiu, ac toties inania protulerunt, non in omnibus erraſſe potuerunt (227). Philoſophia vero, cujus peculiaris nota eſt amor veritatis, ubique, & ſemper, neglectis præjudiciis, & partium ſtudiis, veritatem ſequi debet.

PROPOSITIO PRIMA.

1290. *Ineſt brutis principium ſenſitivum, quod non eſt ſimplex materia organica; ut materialiſtæ perperam contenderunt.*

DEMONSTRATIO. Ut propoſitionis hujus veritas ſtatuatur, ſatis eſt oſtendere, bruta vere ſenſu eſſe prædita, materiam vero organicam ſentire non poſſe.

I. Æque certum eſt, bruta ſentire, adeoque ſenſitivo principio inſtructa eſſe, ac certum ſit,

homines ſentire, adeoque ſenſitivo principio præditos eſſe; iiſdem enim probationibus æque in brutis, ac in hominibus ſenſus probatur; neque minus a recta ratione aberraret, qui hunc brutis negaret, quam qui hominibus; ut in altera tertiæ ſequentis propoſitionis demonſtratione patebit.

II. Materialiſtæ *principium ſenſitivum* brutis non recuſant; at in brutis æque, ac in homine principium hoc eſſe volunt materiam organicam, & nihil præterea. Alibi vero oſtendimus, materiam ſive organicam, ſive rudem, ſive motam, ſive quieſcentem nunquam omnino ſentire poſſe (1046, & 1068).

Ergo *principium ſenſitivum brutorum* non eſt ſimplex materia organica. Ergo principium ſenſitivum brutorum eſt a materia ſive organica, ſive rudi natura ipſa diſtinctum. Q. E. D.

PROPOSITIO II.

1291. *Anima brutorum, ſive eorum principium ſenſitivum non eſt forma ſubſtantialis, quæ ſit aliquid a materia eductum, aut emanans; ut peripatetici complures ſenſiſſe videntur.*

DEMONSTRATIO. Modo vidimus, brutis ineſſe principium ſenſitivum, atque hoc a materia ſive organica, ſive rudi diſtinctum oſtendimus.

Ergo principium ſenſitivum brutorum non eſt *forma ſubſtantialis*, quæ aliquid ſit a materia eductum, aut emanans. Quid enim a materia educi, aut emanare poteſt, quod materiale non ſit, adeoque natura ipſa ineptum, ut ſit principium ſenſitivum? Q. E. D.

PROPOSITIO III.

1292. *Bruta non ſunt automata ſenſu carentia, ut perperam Carteſius opinatus eſt.*

EX-

EXPLICATIO Cartesii sententia duabus genericis hypothesibus innititur, quas experientia, & ratio plane falsas ostendunt; nullum scilicet in brutis intimum esse principium motus; nullum in brutis esse intimum principium sensus (1287).

I. In Cartesii sententia *nullum* inest brutis *intimum principium motus*. Pura automata sunt a Divino artifice mira arte constructa, natura sua inepta ad motum ullum sibi comparandum; at aptissima, ut intime, & extime juxta *genericas mechanica leges* motus omnes admittant, quos non modo sensibilia corpora, sed & maxime insensibilia communicare possunt, cujusmodi sunt quæ lucem, sonum, sapores, odores, aliaque hujusmodi constituunt.

Quid igitur apis est, aut canis in sententia Cartesii? Bina puta automata sunt, diverso modo constructa, in quibus nullum est intimum principium motus, & quorum motus omnes producuntur ad genericas mechanicæ leges a corporum sensibilium, aut insensibilium in illa intime, aut extime, agentium impulsu.

Exempli causa, *apis in alveari* parvum automa est, quod nulla motus necessitate, nulloque desiderio afficitur; quodque perpetuo quiesceret, ut horologium abaco impositum, si nihil illud moveret. At odora corpuscula a floribus emanantia hoc apis automa ingrediuntur. Extemplo automa movetur. Horum, & sequentium corpusculorum impulsus ad mechanicas leger automa impellit; efficit, ut per varios alvearis anfractus descendat, illud deinde in aera evehit, ad flores trahit: os suum, & crura determinat, ut anthliarum prementium, atque adspirantium munus peragant: illud melle gravat, & replet.

At quæ corpuscula apem ad flores traxerunt, illam floribus adhærentem detinebunt. Non ita,

Cartesius inquit. Quum melle onusta, & saturata est, alia corpuscula, iteratis oppositis impulsibus, & semper ad mechanicas leges, eam a floribus expellunt, ac in aera elatam ad alveare, unde exierat, revehunt, per varios favorum sinus ascendere cogunt, & in alveolo statuunt, ubi mel deponi debet.

Pari modo *canis venaticus* automa est multo majus, & ab ape structura omnino diversum. Nulla canem hunc urget necessitas, aut cupiditas leporem insequendi, & a lupo fugiendi; nihil ipsi inest, quo aut ut causa efficiens, aut ut occasionalis, aut in primum ferri possit, aut ab altero recedere. At leporem insequitur, propterea quia corpuscula a lepore emanata illum mechanicis legibus ad leporem insequendum trahunt; lupum fugit, propterea quia corpuscula a lupi corpore emanata illum mechanicis legibus a lupo avertunt, atque propellunt.

Deum immortalem! quamnam philosophiam, quamnam physicam, quam mechanicam? Quis putasset unquam, magnum Cartesium fabulas has protulisse, quæ, ut patet, philosophico illo vitio laborant, quod alibi vocari diximus sophisma causæ non causæ? (736).

Facile ab apis, & canis exemplo quisque intelliget, qua ratione Cartesius in præpostera sua hypothesi phænomena universa explicet, quæ in brutorum omnium specie quavis observantur. Ubique *corpusculorum impulsus* omnia perficit in automatis quadrupedibus, in automatis avibus, piscibus, insectis, reliquisque.

II. Cartesius *omne* brutis *intimum sensus principium* denegat. Nihil in illis agunt voluptas, aut dolor. Lupus esuriens, qui agnum arripit, nulla majori voluptate afficitur prædam vorans, ac afficiatur marinus vortex navim demergens; neque sus, cui sanguis e jugulo educitur, magis patitur, quam dolium, aut lagena, quum evacuatur.

Vel

Vel ipſa hypotheſis hujus propoſitio profecto ſatis eſt, ut floci fiat, & confutata habeatur. Binæ ſequentes demonſtrationes eam omnino proterent, in quibus oſtendemus, brutorum quorumcumque motus mechanicis legibus tantum non explicari; iiſque intimum & motus, & ſenſus principium ineſſe, ut ubique, & ſemper putatum eſt.

1293. DEMONSTRATIO I. Si bruta eſſent tantum automata mobilia, *nullo* inſtructa *intimo motus principio* ab organica materia diverſo, quod eorum motuum cauſa eſſet efficiens, aut occaſionalis; patet, nec diſſentit Carteſius, omnes brutorum motus *ad genericas mechanica leges referri debere.*

Atqui falſum eſt, ad has leges brutorum motus omnes referri poſſe. Hoc oſtendo ex phænomeno, quod in una brutorum ſpecie aſſumo, ut caſu ſeſe offert; hoc tamen, mutatis mutandis, facile cuicumque brutorum ſpeciei accommodari poterit. Sit igitur canis venaticus, qui perdicum agmine excitato eas oculis, & curſu ſequitur, & aucupem vocare videtur, ut eas inſequatur.

I. Canis iſte, inquit Carteſius, mechanice, ſeu ex mechanicis legibus trahitur ad perdices inſequendas ab odoris corpuſculis, qui magna copia ex harum avium corporibus emanant.

Ferme eodem jure dicerem, arcem, aut exercitum ad tormenta bellica trahi ex globis ferreis, qui ex hiſce tormentis in arcem, aut in exercitum jaculantur. At enimvero corpuſcula hæc canem repellere deberent potius, quam trahere.

II. Fiat modo, ut canis hic dum prædam magno impetu inſequitur eadem via, eademque directione, qua recta ad perdices pergit, barathrum offendat. En ſtatim ſiſtit; deinde dextrorſum, aut ſiniſtrorſum divertit, aliam viam quærit, qua nullo periculo, tuto illuc

 ferri

ferri possit, quo ad terram delabi perdices vidit; eo ferme pacto, quo se geret auceps, qui pone sequitur.

Si canis iste *purum automa* esset a corpusculis a perdicibus emanantibus motum, atque attractum, quum ad barathri oras pervenit, nonne in illud ex mechanicis legibus præceps ruere deberet motum suum prosequens? Non ita, Cartesius inquit; ex barathro enim corpuscula magna copia erumpunt, quæ canem sistunt, & ejus cursus directionem mutant.

Vereor sane, ne sublimis Cartesii mens huic explicationi innumeris modis rejiciendæ plane acquiescere potuerit. Quare siquidem e barathro potius, quam e campis, e pratis, e circumstantibus sylvis corpuscula erumpunt? Quare corpuscula hæc e voragine emanantia canem non trahunt, ut perdicum effluvia, sed repellunt? Quare hæc eadem corpuscula, quæ tam opportune canem stiterunt, & alio diverterunt, non æque perdices supervolantes stiterunt, & alio diverterunt? Nonne deliria inter se pugnantia ista sunt?

III. At enimvero & repellentia hæc corpuscula e voragine emanantia, & eorum repulsionem ultro admittamus. Ex hac ipsa hypothesi Cartesium sic urgeo, & ejus sententiam prorsus contero.

Corpuscula hæc repellentia e voragine emanantia, & canis motum mechanice mutantia, deberent plane ex mechanicis legibus in cane *motum* producere *e diametro oppositum*, aut *oblique oppositum* illi, qui a perdicum corpusculis in ipso producebatur, quemque hic nos motum primitivum nuncupabimus.

Ponamus primo, motum cani impressum a voraginis corpusculis esse *e diametro oppositum* motui primitivo, quo canis in voraginem ferebatur. Ex motus, & mechanicæ legibus canis sisti debet si motus e diametro oppositi sint

æqua-

æquales; canis regredi debet juxta præcedentem directionem si motus a corpusculis voraginis impressus major sit motu primitivo; canis in voraginem ferri debet si motus primitivus major sit motu a corpusculis voraginis impresso. Nihil horum tamen contingit (*Phys*.344, & 345).

Ponamus deinde, motum cani impressum a voraginis corpusculis esse *oblique oppositum* motui primitivo, qui canem in voraginem trahebat. Ex genericis motus, & mechanicæ legibus pergere deberet canis per diagonalem parallelogrammi constructi directione, & proportione binarum virium oblique oppositarum in ipsum agentium; quod plane non contingit.

IV. Quare, hæc omnia generatim sumendo, prorsus consequitur, in brutis motus haberi, qui a mechanicis legibus non diriguntur. Ergo bruta non sunt pura automata, quorum motus omnes a corpusculis eorum organa impellentibus efficiantur.

Ergo in brutis præter corpus organicum est *intimum motus principium*, a quo in illis motus producuntur aut simplicis mechanicæ legibus oppositi, aut ab his legibus non pendentes. Q. E. D.

1294. DEMONSTATIO II. Rationi, & experientiæ repugnat qui asserat, *nullum* inesse brutis *principium sensitivum*, nullam veram sensationem; quod facile ostendemus nonnullis observationibus, & animadversionibus; ex quibus apparebit, æque recte rationi opponi qui brutis sensum negat, ac qui hominibus negaret.

I. Varia organa nos habemus, quæ in nobis sensationes veras pariunt, quas passim, aut saltem sæpius vel voluptas, vel dolor comitatur.

In brutis, in plerisque saltem eorum speciebus magis notis *organa omnino similia* deprehendimus. Quare ergo in brutis organa hæc idem munus non haberent, perceptiones obje-

ctorum ſcilicet, & voluptatis, aut doloris ſenſationes in illis excitandi?

II. In hominibus intimæ ſenſationes variis voluptatis, doloris, proſecutionis, averſationis ſignis manifeſtantur.

Sæpius in brutis *ſigna omnino ſimilia* obſervamus, doloris, voluptatis, proſecutionis, averſationis. Ad quid ſigna hæc ſimilia, niſi ut utrobique principium indicent, ſive ſubjectum ſentiendi capax?

III. Bruta videmus, ut aut voluptatis illecebræ, aut doloris metus poſtulare videntur, modo omnibus viribus in aliquid conniti, modo parcius illis uti. Illa videmus, ut rerum conditio, & eorum neceſſitas poſtulat, naturale motuum noſtrorum machinamentum, quantum eorum organa patiuntur, imitari in iis omnibus, quæ in nobis abſque rationis, & animadverſionis directione fiunt.

Porro nonne hæc omnia *principium ſenſitivum* in brutis evidenter indicant, ut in nobis; quod a voluptatis illecebris, & a doloris metu impulſum phyſicum horum motuum machinamentum dirigit, & in ipſis, ut & in nobis a ſimplicis, ac materialis mechanicæ legibus recedit.

IV. Si *intimum naturæ judicium* interrogemus, quod quum genericum eſt, & irreſiſtibile, ſemper veritati conforme eſt; neſcio quo ſecreto inſtinctu, quo trahimur, judicamus, in brutis *verum principium ſenſitivum* eſſe; ut vero intimam hac perſuaſionem exueremus, natura ipſa nobis exuenda eſſet.

Intimum cujuſque ſenſum, ne Carteſianis quidem exceptis, hac in re appello. Carteſianus ſententiæ ſuæ de brutis automatis vel maxime tenax canem, quem amat, domum redeuntem videat gementem, ululantem, plagis, ac vulneribus confectum. An ne hoc aſpectu anima ejus carteſiana nullo doloris, miſericordiæ ſenſu commovebitur? Poterit ne ipſe fabuloſa ſua

phi-

philosophia adeo contra intimas naturæ voces obdurescere, ut miseri hujus bruti sortem non doleat, neque illi opem ullam ferre studeat? At quæso quid ejus sorte dolendum, cur illi opitulandum, si re ipsa purum automa est, si nihil sentit, nec magis patitur, quam horologium lapsu diffractum, aut dissolutum?

Inane præjudicium hoc est, inquies. At enimvero *generalis persuasio* nationum, atque ætatum omnium; *persuasio necessaria*, quæ deponi nequit, nisi nobis persuadeamus (quod omnino fieri nequit), canem plagis, ac vulneribus confectum re ipsa non dolere quum altissimis ululatibus lamentatur, dici ne jure unquam poterit inane præjudicium? Ut hoc dici posset, probationes necessariæ essent evidentes omnino, & ineluctabiles. At quas afferunt? nullas, nisi inanem hypothesim nulla ratione suffultam.

Quæ quum ita sint, tum ex observationibus, tum ex brutorum operationum analysi jure censemus, ut humanum genus universum omni ætate censuit, bruta non esse pura automata, & in brutis verum haberi intimum sensus principium. Q. E. D.

PROPOSITIO IV.

1295. *Nulla ratione verosimile est, sensitivum brutorum principium esse substantiam spiritualem anima humana specie inferiorem: ut nonnulli recentiores philosophi suspicati sunt.*

EXPLICATIO. Ut propositio hæc statuatur, philosophice inquirere pergimus, dari ne possit principium pure sensitivum; appareat ne brutorum principium sensitivum substantia spiritualis specie animæ humanæ inferior: possit ne substantia spiritualis intelligentia perseveranter privari. Ex his tres deducuntur sequentes demonstrationes.

1296.

1296. DEMONSTRATIO I. *Nihil indicat, aut ostendit, substantiam sensu præditam & solo sensu, in rerum universitate repugnare.*

Qua enim ratione repugnaret, naturæ auctorem, qui *substantias sensu destitutas, & intelligentia* creavit, cujusmodi sunt substantiæ omnes tantum materiales; qui *substantias sensu, & intelligentia præditas* creavit, cujusmodi sunt substantiæ omnes spirituales, aut in his certe animæ humane, creare posse *substantias intelligentia destitutas, & sensu præditas?*

Potest enim, nullo absurdi metu, supponi, dari posse *substantiam immaterialem* a spiritu, & a materia distinctam, intelligentia destitutam, & sensibilitate ab intelligentia independente præditam.

Superest igitur tantum, ut ex observatione, & phænomenis videamus, num re ipsa substantia hæc immaterialis, *sentiens, & non intelligens* in natura detur; sive num in natura sint entium species sensu præditæ, & intelligentia destitutæ.

1297. DEMONSTRATIO II. *Nihil indicat, aut demonstrat sensitivum brutorum principium esse substantiam spiritualem.*

Quacumque enim ratione variarum substantiarum in nobis efformentur ideæ (218): certum est ex ipsis rerum ideis, *notam*, qua substantia spiritualis distinguitur, esse facultatem cognoscendi finem quo agit, cognoscendi relationes quorundam mediorum ad datum finem, suas cognitiones successive perficiendi, alia objecta præter materialia, & sensibilia percipiendi. Atqui experientia, & observatio docent, nhil horum principio sensitivo, quo bruta animantur, convenire.

I. Dico primo, bruta finem, quo agunt, non dignoscere. Finis enim semper objectum abstractum est, ideæ scilicet abstractæ objectum, in qua substantia intelligens aliquod bonum

num ideale sibi repræsentat, atque proponit, quod sibi comparare statuit.

Atqui nihil indicat, bruta abstractiones facere. Omnia e contra indicant, has non facere; & quoniam nunquam faciunt, nec facere posse. Præsentes voluptatis illecebræ, præsens doloris metus omnium suarum operationum motores sunt.

Canis ægrotans cæca incommodi sensatione ductus in pratum pergit: ibi nulla experientia, nulla perquisitione, inter innumeras herbas eam seligit, qua alvus solvi debet. Noscet ne finem, quo agit? ideam-ne habeat valetudinis restituendæ, bilis ejiciendæ, plantæ aptæ hoc præstare, quam nunquam vidit? Patet tunc ejus intelligentiam vel Hypocratis scientiæ fore præferendam.

Apis laboriosa alveolos suos hexagonos construens tam exacte, tantaque industria, finem ne sibi proponeret, *minimo spatio maximum cellularum numerum includere, easque omnium amplissimas*? Patet tunc ejus intelligentiam pulcherimum, & difficillimum geometriæ problema solventem vel ipso Archimede ingeniosiorem fore dicendam.

II. Dico deinde, *bruta mediorum ad finem obtinendum relationem non cognoscere*. Exempli gratia; in sylva lupis infesta prædam pone ab ipsis appetitam, ita tamen elevatam, ut saltu ad ipsam efferri nequeant; paulum distans pone scamnum, quod qui scandat, prædam attingere possit: præda erit in tuto.

Scamnum lupi videbunt, prædam videbunt, at *relationem inter scamnum, & prædam* non videbunt; neque enim relatio hæc est quid sensibile.

Si vero contingeret (quod absolute fieri potest), ut scamnum illis medium esset, quo prædam attingerent; casu hoc contigeret, quo fera hæc bruta sæpe invicem concertantia fortuito

sca-

scamnum impulerint, & prædæ proximum statuerint.

III. Dico tertio, *bruta cognitiones suas non perficere*: sive ut bonorum suorum summam augeant, sive ut malorum summam minuant. Exempli gratia, homines, & fibri pontici eadem primitus architectura usi sunt.

Apud homines architectura successu temporum perfecta observatione, & animadversione tandem antiqua tuguria incommoda, & lapsabunda in elegantia ædificia, in magnificas ædes, in templa majestate superba convertit, in quibus soliditas, & vitæ commoda, symmetria & partium multiplicitas, simplicitati totius ædificii conjuncta est; atque hæc ædificia injuriis temporum non infirmantur, & sequentibus sæculis ea sese ostendunt, quæ quum primum a fundamentis erecta fuerunt visa sunt.

Fibrorum architectura semper eadem est; nunquam perfectione crevit. Fibri ætate nostra nulla majori arte, quam veteres, ædificant. Semper eadem est tuguriorum, aut casarum forma, in qua parva eorum respublica locari debet: nullis aggeribus ad oras lacuum, aggeribus munita tuguria sunt ad fluviorum ripas. Etsi imperfecta, vitiosa, lapsabunda, innumeris incommodis obnoxia sit eorum architectura; non propterea quidpiam immutant, nec perficiunt. Atqui non ita perfecto res haberet si vel tenuissimo intelligentiæ lumine donati essent, quo ex perpessis incommodis ventura præcaverent (1050).

Idem de quavis brutorum specie dici potest. Harum nulla est, quæ primitivo naturæ instinctui quidpiam perfectionis adjecerit; nulla, quæ quidpiam invenerit, quod speciei suæ id commodi afferre possit, quod humanæ speciei vel informis scala, vel rude scamnum exhibet.

IV. Dico tandem, *brutorum cognitiones supra materialia, & sensibilia non attolli*. In illis

illis nullum honoris, aut ignominiæ principium nulla vitii, aut virtutis cognitio, nulla ordinis, symmetriæ, pulchri physici idea.

Videat primo canis optimis organis instructus, aut scimius regiæ Parisiensis domûs peristylium. Eandem, quam tu, illud intuens sensibilem imaginem habebit; non tamen hac magis movebitur, quam rudis tugurii imagine moveatur. Omnia, ut tu, videbit, non tamen, ut tu, ordinem, & symmetriam percipiet.

Operam da, ut canem hunc, aut scimium erudias quantum ejus natura patitur; hoc facies ferulam ostendens, qua vapulat, aut escam qua trahitur; nunquam hoc facies illi officia, decus, honores proponendo. Porro hoc probat, *non intelligentia*, sed *sensu* tantum bruta regi, ac moveri.

1298. DEMONSTRATIO III. *Nihil indicat, aut probat, substantiam spiritualem perseveranter intelligentia munere privari posse.* Quare si cum nonnullis recentioribus philosophis dicamus, brutorum animam esse substantiam spiritualem specie inferiorem intellectiva & sensitiva facultate præditam, quæ tamen solius sensitivę munera exerceat, & cujus *intelectiva facultas* libera, & efficaci Dei voluntate suis muneribus perpetuo impar reddatur; paradoxum proferemus plane ideis oppositum, quas naturæ, & ejus Auctoris habemus, qui juxta philosophicum axioma nihil unquam frustra moliuntur.

Spiritus enim etsi minus perfectus, etsi specie inferior adhuc natura spirituali donatus est. Si vero spirituali natura donatus est, quare ejus muneribus, & fine privabitur?

Cui unquam persuadeas, sapientissimum naturæ Auctorem in brutis innumeras intellectivas substantias continenter creare, quæ nunquam intelligentiæ munere fungantur; spirituales substantias, quæ in omnibus individuis

sem-

ſemper, & ubique nobilioris ſuæ facultatis uſu priventur? Æque jure dicerem, Deum continenter innumeros ſoles creare, qui nunquam luceant; in ſaxis, in metallis, in plantis innumeras ſubſtantias intima ſentiendi facultate donatas creare, quæ nunquam ſentiant.

At vero ſi tot abſurda ex præſenti horum *inferiorum ſpirituum* fine conſequuntur; minora ne ex futuro eorum fine conſequentur? Quænam horum ſpirituum ſors futura eſt ſoluto corpore organico, quod animant, & in quo quamdam ſenſationum feriem habuerunt. Ad nihilum redigentur ne, an ad metempſychoſim confugietur?

CONCLUSIO. Ex tribus datis demonſtrationibus ſtatuendæ propoſitionis veritas evidenter conſequitur. Si nihil obeſt, quominus principium ſenſitivum tantum in natura admittatur; ſi nihil probat, principium tantum ſenſitivum ſatis eſſe, ut diverſarum brutorum operationum ratio reddatur; ſi abſurdum eſt in brutis ſpiritum admittere ſuis muneribus perpetuo privatum; patet jam, nulla veriſimilitudine gaudere eam nonnullorum recentiorum ſententiam, quæ animam brutorum facit ſubſtantiam ſpiritualem ſpecie inferiorem Q. E. D.

PROPOSITIO V.

1299. *Ineſt brutis principium ſenſitivum, quod neque ſubſtantia materialis eſt, neque ſpiritualis; quod propterea eſſe debet ſubſtantia inter ſpiritum, & materiam media: ſubſtantia immaterialis facultate ſenſitiva prædita, & intellectiva carens.*

DEMONSTRATIO. Patet, quintam hanc propoſitionem eſſe tantum quatuor priorum corollarium; harum principia hic iterum recenſemus.

I. Certum eſt, brutis ineſſe rerum *principium ſen..*

sensitivum, eaque non esse *pura automata*. Quacumque enim arte elaboratum automa supponatur, patet illud semper puram machinam esse, & omnibus mechanicæ legibus alligatam; ut ipse Cartesius fatetur.

Atqui variæ brutorum actiones non pura automata indicant sensus expertia, & mechanicæ legibus omnino alligata. Quare æque absurdum esset voluptatis, & doloris sensationes brutis denegare, quas omnia in illis indicant; & motus tantum mechanicos illis tribuere, quos tantum in iis dari omnia inficiantur (1292).

II. Certum est, *sensitivum brutorum principium* non esse *puram materiam*; hæc enim quavis figura, & quovis motu donata nunquam aut voluptatis, aut doloris, aut sensationis cujuslibet capax est (1046, & 1290).

Inest igitur brutis *substantia immaterialis*, *& sensitiva*, quæ veras sensationes experitur, & cujus veræ sentationes causa sunt occasionalis, & physica variorum motuum, quos in ipsis videmus.

Motus hi in brutis a solis mechanicæ legibus non oriuntur; eorum enim origo, & causa occasionalis est, ac physica primitiva substantia omnino a materia diversa; leges vero mechanicæ, ipso Cartesio fatente, ac philosophis quibuscumque, substantias tantum materiales afficiunt, quarum universim reciprocas actiones dirigunt.

III. Certum est, substantiam hanc brutorum immaterialem, ac sensitivam; quæ in illis sensationum voluptatis, & doloris principium, aut subjectum est, quæque in illis motuum a mechanica non pendentium causa physica est, *spiritum proprie dictum* censeri non posse; caret enim notis, quæ spiritualem substantiam distinguunt, atque indicant; certum est præterea substantiam a spiritu diversam, & tantum

tum sensitivam videri satis esse ad ea omnia phænomena præstanda, quæ in brutis observamus; hæc enim omnia sensationes tantum exhibent voluptatis, aut doloris materialia objecta respicientes, & motus quosdam locales a mechanicæ legibus non directos.

IV. Certum est, *principium sensitivum*, quo bruta animantur, eas tantum essentiales, & præcipuas proprietates habere, quas in illo diversæ ejus operationes enunciant; *nullus enim in natura effectus est, sine causa, neque causa ulla sine effectu.*

Atqui brutorum operationes *substantiam immaterialem sensu præditam* in illis enunciant, non vero spiritualem substantiam intelligentia, & ratione donatam. Ergo brutis præter corpus organicum inest *substantia media inter spiritum, & materiam*, immaterialis, facultate sensitiva prædita, & intellectiva carens. Q. E. D.

PRIMÆ HUJUS SECTIONIS SYNOPSIS.

Ex hactenus traditis, ac demonstratis de anima brutorum hæc corollaria consequuntur.

1300. COROLLARIUM I. *Essentialis similitudo, & essentialis diversitas datur inter hominis, & brutorum animam.* Quod non naturæ identitatem ullam, sed veram, atque perfectam inter binas has substantias *naturæ alteritatem* indicat; una itaque non est altera; at una nonnullas alterius proprietates eminenter habere potest.

I. *Similitudo* in hoc sita est, quod utraque intimas sensationes experiri potest materialium objectorum præsentiam, & sensibiles qualitates respicientes; quod utraque veras voluptatis, & doloris sensationes habere potest ex materialium objectorum diversis impressionibus in diversa utriusque organa, quæ ipsæ animant.

II.

II. *Diversitas* in hoc sita est, quod alterius facultates semper in sensationibus sistunt, nunquam ad intelligentiam pertingunt; alterius vero facultates & intelligentiam, & sensationem complectuntur.

1301. COROLLARIUM II. *Anima brutorum, ut & humana, non nisi vera creatione existere potest.* Quum enim natura immaterialis sit, a materia, aut ab ejus modificationibus extrahi nequit, in qua neque formaliter, neque virtualiter existit (263, & 1054).

1302. COROLLARIUM III. *Anima brutorum, ut & humana, dissolutione, aut decompositione perire nequit.* Quum enim sit substantia immaterialis, partibus materialibus per accidens conjunctis, & per accidens separabilibus non constat; omnia vero indicant, substantiam esse in specie sua simplicem, nulla partium compositione conflatam; uti & anima humana substantia est omnino simplex in specie sua, & ab omni partium compositione aliena (1057).

1303. COROLLARIUM IV. *Anima brutorum, qua dissolutione perire nequit, annihilatione perire potest.* Omnis enim ejus finis ad corpus, cui conjuncta est, animandum limitatus videtur, & ad quandam intimarum sensationum seriem percipiendam a materialium organorum ministerio pendentium; præterea cum cujusvis intellectualis cognitionis, ac sensus intellectualis incapax sit, tunc nullum amplius in natura finem habere videtur, quum nullum illi amplius sit corpus animandum.

Unicus finis, quem brutorum anima, corpore organico dissoluto, habere posset, esset, ut ad aliud ejusdem naturæ corpus animandum esset destinata; juxta vetus metempsychoseos (a) sy-

(a) *ETYMOLOGIA* μετεμψύχωσις, *animarum ab uno ad aliud corpus transmigratio.* A μετὰ, trans, ab ἐν in, & a ψυχὴ anima.

ſyſtema, quod ad bruta limitatum abſurdum non demonſtratur, etſi nihil ſit, unde probabile videatur.

1304. NOTA. *Metempſychoſis* præcipuum erat ſcholæ Pythagoricæ dogma, quod Pythagoras ab Indis Brachmanibus mutuatus erat: porro doctrina hæc apud Indos, & Sinenſes etiam per hos dies admodum diffuſa eſt.

I. Juxta tum veteres, tum recentiores metempſychoſeos aſſertores animæ hominum, & brutorum nihil natura diverſæ ſunt.

Anima obſcuri hominis, at virtutibus ornati, ſoluto corpore, quod animat, ad aliud humanum corpus animandum eſt deſtinata: fiet vero anima viri principis, aut regis, pro majori, minorique virtutis gradu.

Anima hominis vitiis turpis, corpore, quod animat, diſſoluto, ad bruti alicujus magis, minuſve immundi, & miſeri corpus animandum eſt deſtinata, pro criminum ſuorum merito, ut tandem poſt datum tranſmigrationum numerum in aliud humanum corpus tranſeat (1056).

II. Patet, metempſychoſeos ſententiam generatim ſumptam fabuloſam eſſe, chymæricam, ridiculam, ſanæ philoſophiæ, & ipſi naturali rationi repugnantem. Anima brutorum nihil unquam natura animæ humanæ commune habuit, aut habitura eſt (1047, & 1299).

At ſi metempſychoſeos ſententiam ad bruta, eaque ejuſdem ſpeciei contrahamus, & ſi cuique brutorum ſpeciei animam ſupponamus hujus ipſius ſpeciei propriam, & ab humana omnino diverſam, nihil omnino abſurdi metempſychoſeos hypotheſis præſeferet.

Quid enim abſurdi habebitur, ſi ſupponamus exempli gratia, Deum cervi modo enecati animam non deſtruere, ſed pro anima, quæ creanda eſſet, ut cervæ jam prægnantis fœtus animaretur, interfecti cervi animam fœtui huic

tri-

tribuere? Idem porro de ceteris brutorum speciebus dici poterit.

1305. COROLLARIUM V. *Anima brutorum, ut & humana, sedem habet in præcipua aliqua parte corporis, quod animat*; eædem enim rationes, quæ ostendunt, humanam animam non esse in universo humano corpore diffusam, ostendent quoque, leonis, tauri, ovis, aquilæ, columbæ animam toto horum animalium corpore non esse diffusam.

Quare verosimillimum est, in cerebro sedem brutorum animæ sitam esse in speciebus omnibus, in quibus pars hæc corporis organica habetur; in speciebus vero cerebro carentibus, si tamen hujusmodi species dantur, sedem animæ in præcipua aliqua corporis parte organica esse positam, ubi aptius anima diversas materialium organorum impressiones admittere possit; & universo animali machinamento varios motus indere, quos animalis natura, & finis postulet (1062, & 1263).

1306. COROLLARIUM VI. *Anima brutorum substantia est essentia ipsa indivisibilis*. Est enim substantia immaterialis; quam absurdum esset in binas, in trinas partes, aut in alias divisam supponere. Quare,

I. Quum vermis, aut serpens, exempli causa, bifariam secatur, non animantis hujus anima dividitur, quæ tota in ea, parte est, in qua ejus sedes est; neque præcipua hæc pars vitiari, aut dividi potest, quin animal enecetur, seu quin animæ corpori conjunctio, a qua ejus vita pendet, dissolvatur.

II. Motus aliquandiu in secti vermis, aut serpentis partibus perseverans, animæ sectionem non indicat, in alterutra enim saltem parte motus hic non nisi mechanicus est, a residua quadam, & magis, minusve duratura sanguinis, humorum, nervorum, fibrarum, spirituum vitalium agitatione profectus.

III.

III. Si re ipsa in natura daretur species aliqua animalis, quæ bissecta in utraque sectione vere, & permanenter viveret, quod neutiquam verisimile est; ideo hoc esset, quia quodvis hujus speciei *individuum* ratione peculiaris suæ organicæ structuræ *duplici individuo* æquivaleret, in quo duplex anima tum ante, tum post partium divisionem haberetur.

1307. COROLLARIUM VII. Anima brutorum, ut & humana, nulli intimæ augmenti, aut decrementi vicissitudini obnoxia est. Quum enim immaterialis sit, nihil a materiæ influxu aut adipisci, aut amittere potest; materia enim non est nisi causa occasionalis magis minúsque opportuna suarum operationum.

1308. COROLLARIUM VIII. *In brutis, ut in homine, ex Dei decreto mutua est inter animam, & corpus dependentia.* Hæc enim æque in brutis, ac in homine apparet; neque haberi potest, nisi libero, & efficaci Dei decreto, quod generica, & permanens naturæ lex sit omnibus animalium speciebus (1061, & 1075).

1309. COROLLARIUM IX. *Anima brutorum, ut & humana, non est causa efficiens neque suarum sensationum voluptatis, & doloris, quas in intima sua substantia experitur; neque variorum motuum, quos in corpore a se animato excitat.* Quæ siquidem rationes probant, animam humanam potentiam esse tantum passivam in suis sensationibus, & causam tantum occasionalem motuum, quos in corpore excitat, cui conjuncta est; eædem æque probant, & quidem potiori jure, brutorum animam in *potentia* sua *sensitiva* tantum passivam esse; & in sua *potentia motrice* causam esse tantum occasionalem.

I. Brutorum anima sensationes experitur voluptatis, & doloris, non tamen in ejus potestate est, ut eas sibi comparet, quibus oblectatur,

tur, eas evitet, quibus angitur; etsi sæpius in ejus potestate sit causam occasionalem ponere, quæ has excitabit, illas extinguet.

Anima brutorum varios corpori, quod animat, motus indit, quorum aliqui voluntarii videntur, non tamen proinde liberi sunt (1100 & 1106).

At quoniam nulla in ipsa vis concipitur, qua in organa materialia agere possit, nec ullam certe habet mechanicæ horum organorum structuræ cognitionem: patet, non esse, nec esse posse nisi causam occasionalem variorum motuum, quos in ipso excitat, & quorum illa re vera causa physica est (272, & 1223).

1310. COROLLARIUM X. *In brutis, ut in homine, fluidum animale videtur esse pracipua & sensus, & motus causa physica.* Æque enim in brutis magis nobis notis, ac in homine, fluidum hoc eadem habet principia physica, easdem officinas, tubos, receptacula eadem; si vero fluidum hoc respectu sensitivæ, & motricis animæ facultatis consideretur, eadem in bruto, ac in homine munera sortitum esse videtur (1248, & 1249).

SECTIO II.

POTENTIÆ ANIMÆ BRUTORUM.

1311. OBSERVATIO. Ex brutorum operationibus rite perpensis demonstratum est, & bruta præter corpus organicum immateriali substantia instructa esse, quæ eorum anima est, quæque nec spiritus est, nec materia.

At vero quænam hujus brutorum animæ facultates, seu potentiæ sunt? *substantia* hujus, inquam, *media* materiam inter, & spiritum? Inest ne illi, ut animæ humanæ, *potentia in-*

tellectiva, *potentia affectiva* ? hoc qua majori brevitate fieri poterit definire pergimus.

BRUTA POTENTIA INTELECTIVA DESTITUTA SUNT.

1312. OBSERVATIO. Omnia in homine *intellectivam potentiam* indicant; nihil hujusmodi potentiam in brutis indicat. Ut hoc ostendamus satis erit nonnullorum brutorum operationes ad trutinam revocare, eorum, inquam, brutorum, quæ magis intelligentiæ proxima, aut minus ab illa remota videntur.

1313. ASSERTIO I. *Brutorum sensationes potentiam intellectivam in illis non indicant*. Possunt enim in potentia tantum sensitiva, (quæ re ipsa haberi potest) hæ sensationes existere (1296).

Ponamus dari potentiam hanc sensitivam tantum, nullo pacto intellectivam. Sensationes experietur voluptatis, & doloris, aliasque sine voluptate, & sine dolore. Id omne erit, quod bruta se esse indicant.

1314. NOTA. *Intrinseca sensibilitas* infinite in diversis sensitivarum potentiarum speciebus variari poterit; ut & intellectiva in diversis intellectivarum potentiarum speciebus infinite variari potest.

Nihil indicat, eundem intellectivitatis gradum inesse animæ humanæ ac diversis spiritibus, quos generico angelorum nomine nuncupamus. Nihil quoque indicat, eundem inesse sensibilitatis gradum sensitivo hominis, ac bruti principio; vel unius, & alterius brutorum speciei sensitivo principio.

Sensitivum leonis *principium* a talpe, aut lumbrici sensitivo principio sensibilitatis gradu differre potest, quantum quercus ab arbusto, aut ab herba volumine differt.

1315. ASSERTIO II. *Imagines, quæ brutorum*

rum sensationes comitantur, potentiam intellectivam in illis non indicant. Possunt enim imagines hæ in bruto haberi, etsi omni intelligentiæ, judicii, rationis munere sit destitutum.

I. Quum hortum elegantibus areolis distinctum, aut arcem propugnaculis munitam intueor, intimam horum objectorum, & mentalem sensationem habeo, quam sensibiles horum objectorum imagines comitantur. In his nondum sum *potentia intelligens*; si enim potentia essem tantum sensitiva, intelligentia omni, & ratione destitutus, adhuc easdem sensationes, & imagines haberem.

Verosimillimum est, canem, qui mihi comes est, eadem inspicientem easdem sensationes, & imagines habere; visus enim organa habet meis valde similia, & ipsi *principium sensitivum* inest, quod immateriali, & sensitiva substantia sua immateriales intimas impressiones admittere potest materialibus lucis in oculum reflexæ impressionibus respondentes. In his omnibus nullam canis intelligentiam indicat; si vero potentia intima has tantum sensationes, & imagines habet, non est potentia intellectiva.

II. Ex hac horti, & arcis sensatione, & imagine in mea sensitiva potentia existente; suarum diversarum partium harmoniam considero: earum dispositionem laudo, aut improbo, earum munera, & finem detego. Objecta hæc cum aliis, quorum ideam habeo, confero; & quod video, perfectius, aut deterius judico iis, quæ vidi, aut imaginor. Judico quoque, aquam, quam ab horti concha assurgere video, a superiori receptaculo deduci; tormenta, quæ in arcis propugnaclis sunt, me enecatura, si tali loco cum exercitu obsidionem iniens me sisterem; ceteraque hujusmodi. In his non amplius *potentia tantum sensitiva* sum: incipio jam esse potentia intellectiva.

Si canis comes nihil habet, præter sensatio-

nes, & imagines, quas & ipse habeo, ut re ipsa eas illum tantum habere omnia indicant; nec ullam habet animadversionem, nullum judicium facit, nihil ratione infert, aut statuit de suarum sensationum, & imaginum objectis; patet, canem esse potentiam tantum sensitivam, nullo modo intellectivam.

1316. ASSERTIO III. *Brutorum opera intellectivam potentiam in illis non indicant.* Nihil enim indicat, a potentia tantum sensitiva hæc opera prodire non posse; omnia e contra indicant, hisce operibus *potentiam tantum sensitivam* præesse.

Si brutorum opera potentia intellectiva dirigeret, bruta experientia, & animadversione erudita non semper idem opus facerent. Altero opere ex parte saltem vitia illa vitarent, quibus primum simile opus ruinam passum est. Augerentur, & perficerentur eorum cognitiones; & infortunium, quod in eorum operationibus semel occurrit, ut imposterum illud præcaverent bruta erudiret. At experientia videmus, nihil horum in brutorum operibus inveniri (1050, & 1297).

1317. ASSERTIO IV. *Memoria brutorum potentiam intellectivam in iis non indicat*: hæc enim brutorum memoria esse potest tantum, imo tantum re ipsa est *sensatio imminuta*, & *extenuata*; at sensatio necessarium non est potentiæ intelligentis indicium (1315).

Homo *memoria sensationis*, & *memoria intelligentiæ* donatus est. Prima illi perceptiones sensus physici in mentem revocat; altera suas animadversiones, sua judicia, sua ratiocinia, suas meditationes, suas voluptates, & suas moralis ordinis molestias illi in mentem revocat (508, & 1174).

In brutis aliquando memoria sensationis elucet, nunquam intelligentiæ (1338).

1318. ASSERTIO V. *Brutorum astutia*, & *stra-*

stratagemata sive quum aggrediuntur, sive quum vim repellunt, substantiam intellectivam in iis non indicant; nihil enim indicat ad ea quidpiam requiri, præter voluptatis, doloris, timoris impressiones, nulla in his adhibita intelligentia; ut in iis occasio habeatur, qua ea omnia peragant, quæ sive ad alia bruta aggredienda, sive ut se tueantur ab ipsis fiunt.

Inter bruta nullum fortasse scimio magis industrium, & si ita loqui fas est, ingeniosum magis. At vel ex unica observatione, num in hoc bruto vel minimus intelligentiæ radius argui possit, judicemus.

Ut scimios capiant barbari Americæ, atque Africæ populi agmine instructo discordibus tympanis, rudibusque aliis musicis instrumentis crepitantes, ac versicolorata vexilla agitantes sylvas petunt scimiorum domicilia.

Accurrunt undequaque certatim scimii, magnisque vocibus aliquando ad duo, aut tria millia propinquis arboribus insistunt, unde Indorum tripudia spectare possint.

Indi ocreas gerunt, quas sæpius exuunt, atque induunt inspicientibus scimiiis, hac illac temere cursitant ocreis induti, & vexilla agitantes: post hæc recedunt, & nonnulla parva vexilla, ac plurimas parvas ocreas intus visco inunctas, aut laqueis munitas humi projectas relinquunt.

Statim ac barbari recesserunt, scimii imitatores ab arboribus desiliunt, parvas ocreas ibi abjectas arripiunt, pro iis decertant, eas induunt; nec eorum, qui primi capiuntur exemplo, ut insidias evitent commoventur.

Redeunt barbari. Scimii ocreas induti capiuntur: ceteri fugiunt. Paucos post dies easdem barbari insidias parant; & iterum scimii alii capiuntur.

Nulla igitur in his brutis intelligentia, aut ratio est; si enim vel minima esset, quæ indi-

tum sensitivam videri satis esse ad ea omnia phænomena præstanda, quæ in brutis observamus; hæc enim omnia sensationes tantum exhibent voluptatis, aut doloris materialia objecta respicientes, & motus quosdam locales a mechanicæ legibus non directos.

IV. Certum est, *principium sensitivum*, quo bruta animantur, eas tantum essentiales, & præcipuas proprietates habere, quas in illo diversæ ejus operationes enunciant; *nullus enim in natura effectus est, sine causa, neque causa ulla sine effectu.*

Atqui brutorum operationes *substantiam immaterialem sensu praditam* in illis enunciant, non vero spiritualem substantiam intelligentia, & ratione donatam. Ergo brutis præter corpus organicum inest *substantia media inter spiritum, & materiam*, immaterialis, facultate sensitiva prædita, & intellectiva carens. Q. E. D.

PRIMÆ HUJUS SECTIONIS SYNOPSIS.

Ex hactenus traditis, ac demonstratis de anima brutorum hæc corollaria consequuntur.

1300. COROLLARIUM I. *Essentialis similitudo, & essentialis diversitas datur inter hominis, & brutorum animam.* Quod non naturæ identitatem ullam, sed veram, atque perfectam inter binas has substantias *naturæ alteritatem* indicat; una itaque non est altera; at una nonnullas alterius proprietates eminenter habere potest.

I. *Similitudo* in hoc sita est, quod utraque intimas sensationes experiri potest materialium objectorum præsentiam, & sensibiles qualitates respicientes; quod utraque veras voluptatis, & doloris sensationes habere potest ex materialium objectorum diversis impressionibus in diversa utriusque organa, quæ ipsæ animant;

II.

II. *Diversitas* in hoc sita est, quod alterius facultates semper in sensationibus sistunt, nunquam ad intelligentiam pertingunt; alterius vero facultates & intelligentiam, & sensationem complectuntur.

1301. COROLLARIUM II. *Anima brutorum, ut & humana, non nisi vera creatione existere potest.* Quum enim natura immaterialis sit, a materia, aut ab ejus modificationibus extrahi nequit, in qua neque formaliter, neque virtualiter existit (263, & 1054).

1302. COROLLARIUM III. *Anima brutorum, ut & humana, dissolutione, aut decompositione perire nequit.* Quum enim sit substantia immaterialis, partibus materialibus per accidens conjunctis, & per accidens separabilibus non constat; omnia vero indicant, substantiam esse in specie sua simplicem, nulla partium compositione conflatam; uti & anima humana substantia est omnino simplex in specie sua, & ab omni partium compositione aliena (1057).

1303. COROLLARIUM IV. *Anima brutorum, quæ dissolutione perire nequit, annihilatione perire potest.* Omnis enim ejus finis ad corpus, cui conjuncta est, animandum limitatus videtur, & ad quandam intimarum sensationum seriem percipiendam a materialium organorum ministerio pendentium; præterea cum cujusvis intellectualis cognitionis, ac sensus intellectualis incapax sit, tunc nullum amplius in natura finem habere videtur, quum nullum illi amplius sit corpus animandum.

Unicus finis, quem brutorum anima, corpore organico dissoluto, habere posset, esset, ut ad aliud ejusdem naturæ corpus animandum esset destinata; juxta vetus metempsychoseos (a) sy-

---

(a) *ETYMOLOGIA* μετεμψύχωσις, *animarum ab uno ad aliud corpus transmigratio.* Αμετα, trans, ab ἐν in, & a ψυχή anima.

systema, quod ad bruta limitatum absurdum non demonstratur, etsi nihil sit, unde probabile videatur.

1304. NOTA. *Metempsychosis* præcipuum erat scholæ Pythagoricæ dogma, quod Pythagoras ab Indis Brachmanibus mutuatus erat: porro doctrina hæc apud Indos, & Sinenses etiam per hos dies admodum diffusa est.

I. Juxta tum veteres, tum recentiores metempsychoseos assertores animæ hominum, & brutorum nihil natura diversæ sunt.

Anima obscuri hominis, at virtutibus ornati, soluto corpore, quod animat, ad aliud humanum corpus animandum est destinata: fiet vero anima viri principis, aut regis, pro majori, minorique virtutis gradu.

Anima hominis vitiis turpis, corpore, quod animat, dissoluto, ad bruti alicujus magis, minusve immundi, & miseri corpus animandum est destinata, pro criminum suorum merito, ut tandem post datum transmigrationum numerum in aliud humanum corpus transeat (1056).

II. Patet, metempsychoseos sententiam generatim sumptam fabulosam esse, chymæricam, ridiculam, sanæ philosophiæ, & ipsi naturali rationi repugnantem. Anima brutorum nihil unquam natura animæ humanæ commune habuit, aut habitura est (1047; & 1299).

At si metempsychoseos sententiam ad bruta, eaque ejusdem speciei contrahamus, & si cuique brutorum speciei animam supponamus hujus ipsius speciei propriam, & ab humana omnino diversam, nihil omnino absurdi metempsychoseos hypothesis præseferet.

Quid enim absurdi habebitur, si supponamus exempli gratia, Deum cervi modo enecati animam non destuere, sed pro anima, quæ creanda esset, ut cervæ jam prægnantis fœtus animaretur, interfecti cervi animam fœtui huic tri-

tribuere? Idem porro de ceteris brutorum ſpeciebus dici poterit.

1305. COROLLARIUM V. *Anima brutorum, ut & humana, ſedem habet in præcipua aliqua parte corporis, quod animat*; eædem enim rationes, quæ oſtendunt, humanam animam non eſſe in univerſo humano corpore diffuſam, oſtendent quoque, leonis, tauri, ovis, aquilæ, columbæ animam toto horum animalium corpore non eſſe diffuſam.

Quare veroſimillimum eſt, in cerebro ſedem brutorum animæ ſitam eſſe in ſpeciebus omnibus, in quibus pars hæc corporis organica habetur; in ſpeciebus vero cerebro carentibus, ſi tamen hujuſmodi ſpecies dantur, ſedem animæ in præcipua aliqua corporis parte organica eſſe poſitam, ubi aptius anima diverſas materialium organorum impreſſiones admittere poſſit; & univerſo animali machinamento varios motus indere, quos animalis natura, & finis poſtulet (1062, & 1263).

1306. COROLLARIUM VI. *Anima brutorum ſubſtantia eſt eſſentia ipſa indiviſibilis*. Eſt enim ſubſtantia immaterialis; quam abſurdum eſſet in binas, in trinas partes, aut in alias diviſam ſupponere. Quare,

I. Quum vermis, aut ſerpens, exempli cauſa, bifariam ſecatur, non animantis hujus anima dividitur, quæ tota in ea, parte eſt, in qua ejus ſedes eſt; neque præcipua hæc pars vitiari, aut dividi poteſt, quin animal enecetur, ſeu quin animæ corpori conjunctio, a qua ejus vita pendet, diſſolvatur.

II. Motus aliquandiu in ſecti vermis, aut ſerpentis partibus perſeverans, animæ ſectionem non indicat, in alterutra enim ſaltem parte motus hic non niſi mechanicus eſt, a reſidua quadam, & magis, minuſve duratura ſanguinis, humorum, nervorum, fibrarum, ſpirituum vitalium agitatione profectus.

III.

III. Si re ipsa in natura daretur species aliqua animalis, quæ bissecta in utraque sectione vere, & permanenter viveret, quod neutiquam verisimile est; ideo hoc esset, quia quodvis hujus speciei *individuum* ratione peculiaris suæ organicæ structuræ *duplici individuo* æquivaleret, in quo duplex anima tum ante, tum post partium divisionem haberetur.

1307. COROLLARIUM VII. Anima brutorum, ut & humana, nulli intimæ augmenti, aut decrementi vicissitudini obnoxia est. Quum enim immaterialis sit, nihil a materiæ influxu aut adipisci, aut amittere potest; materia enim non est nisi causa occasionalis magis minusque opportuna suarum operationum.

1308. COROLLARIUM VIII. *In brutis, ut in homine, ex Dei decreto mutua est inter animam, & corpus dependentia.* Hæc enim æque in brutis, ac in homine apparet; neque haberi potest, nisi libero, & efficaci Dei decreto, quod generica, & permanens naturæ lex sit omnibus animalium speciebus (1061, & 1075).

1309. COROLLARIUM IX. *Anima brutorum, ut & humana, non est causa efficiens neque suarum sensationum voluptatis, & doloris, quas in intima sua substantia experitur; neque variorum motuum, quos in corpore a se animato excitat.* Quæ siquidem rationes probant, animam humanam potentiam esse tantum passivam in suis sensationibus, & causam tantum occasionalem motuum, quos in corpore excitat, cui conjuncta est; eædem æque probant, & quidem potiori jure, brutorum animam in *potentia* sua *sensitiva* tantum passivam esse; & in sua *potentia motrice* causam esse tantum occasionalem.

I. Brutorum anima sensationes experitur voluptatis, & doloris, non tamen in ejus potestate est, ut eas sibi comparet, quibus oblectatur,

tur, eas evitet, quibus angitur; etsi sæpius in ejus potestate sit causam occasionalem ponere, quæ has excitabit, illas extinguet.

Anima brutorum varios corpori, quod animat, motus indit, quorum aliqui voluntarii videntur, non tamen proinde liberi sunt (1100 & 1106).

At quoniam nulla in ipsa vis concipitur, qua in organa materialia agere possit, nec ullam certe habet mechanicæ horum organorum structuræ cognitionem: patet, non esse, nec esse posse nisi causam occasionalem variorum motuum, quos in ipso excitat, & quorum illa re vera causa physica est (272, & 1223).

1310. COROLLARIUM X. *In brutis, ut in homine, fluidum animale videtur esse præcipua & sensus, & motus causa physica.* Æque enim in brutis magis nobis notis, ac in homine, fluidum hoc eadem habet principia physica, easdem officinas, tubos, receptacula eadem; si vero fluidum hoc respectu sensitivæ, & motricis animæ facultatis consideretur, eadem in bruto, ac in homine munera sortitum esse videtur (1248, & 1249).

SECTIO II.

POTENTIÆ ANIMÆ BRUTORUM.

1311. OBSERVATIO. Ex brutorum operationibus rite perpensis demonstratum est, & bruta præter corpus organicum immateriali substantia instructa esse, quæ eorum anima est, quæque nec spiritus est, nec materia.

At vero quænam hujus brutorum animæ facultates, seu potentiæ sunt? *substantia* hujus, inquam, *media* materiam inter, & spiritum? Inest ne illi, ut animæ humanæ, *potentia in-*

tellectiva, *potentia affectiva*? hoc qua majori brevitate fieri poterit definire pergimus.

BRUTA POTENTIA INTELECTIVA DESTITUTA SUNT.

1312. OBSERVATIO. Omnia in homine *intellectivam potentiam* indicant; nihil hujusmodi potentiam in brutis indicat. Ut hoc ostendamus satis erit nonnullorum brutorum operationes ad trutinam revocare, eorum, inquam, brutorum, quæ magis intelligentiæ proxima, aut minus ab illa remota videntur.

1313. ASSERTIO I. *Brutorum sensationes potentiam intellectivam in illis non indicant*. Possunt enim in potentia tantum sensitiva, (quæ re ipsa haberi potest) hæ sensationes existere (1296).

Ponamus dari potentiam hanc sensitivam tantum, nullo pacto intellectivam. Sensationes experietur voluptatis, & doloris, aliasque sine voluptate, & sine dolore. Id omne erit, quod bruta se esse indicant.

1314. NOTA. *Intrinseca sensibilitas* infinite in diversis sensitivarum potentiarum speciebus variari poterit; ut & intellectiva in diversis intellectivarum potentiarum speciebus infinite variari potest.

Nihil indicat, eundem intellectivitatis gradum inesse animæ humanæ ac diversis spiritibus, quos generico angelorum nomine nuncupamus. Nihil quoque indicat, eundem inesse sensibilitatis gradum sensitivo hominis, ac bruti principio; vel unius, & alterius brutorum speciei sensitivo principio.

Sensitivum leonis *principium* a talpe, aut lumbrici sensitivo principio sensibilitatis gradu differre potest, quantum quercus ab arbusto, aut ab herba volumine differt.

1315. ASSERTIO II. *Imagines, quæ bruto-*

rum

rum sensationes comitantur, potentiam intellectivam in illis non indicant. Possunt enim imagines hæ in bruto haberi, etsi omni intelligentiæ, judicii, rationis munere sit destitutum.

I. Quum hortum elegantibus areolis distinctum, aut arcem propugnaculis munitam intueor, intimam horum objectorum, & mentalem sensationem habeo, quam sensibiles horum objectorum imagines comitantur. In his nondum sum *potentia intelligens*; si enim potentia essem tantum sensitiva, intelligentia omni, & ratione destitutus, adhuc easdem sensationes, & imagines haberem.

Verosimillimum est, canem, qui mihi comes est, eadem inspicientem easdem sensationes, & imagines habere; visus enim organa habet meis valde similia, & ipsi *principium sensitivum* inest, quod immateriali, & sensitiva substantia sua immateriales intimas impressiones admittere potest materialibus lucis in oculum reflexæ impressionibus respondentes. In his omnibus nullam canis intelligentiam indicat; si vero potentia intima has tantum sensationes, & imagines habet, non est potentia intellectiva.

II. Ex hac horti, & arcis sensatione, & imagine in mea sensitiva potentia existente; suarum diversarum partium harmoniam considero: earum dispositionem laudo, aut improbo, earum munera, & finem detego. Objecta hæc cum aliis, quorum ideam habeo, confero; & quod video, perfectius, aut deterius judico iis, quæ vidi, aut imaginor. Judico quoque, aquam, quam ab horti concha assurgere video, a superiori receptaculo deduci; tormenta, quæ in arcis propugnaclis sunt, me enecatura, si tali loco cum exercitu obsidionem iniens me sisterem; ceteraque hujusmodi. In his non amplius *potentia tantum sensitiva* sum: incipio jam esse potentia intellectiva.

Si canis comes nihil habet, præter sensatio-

nes, & imagines, quas & ipse habeo, ut re ipsa eas illum tantum habere omnia indicant; nec ullam habet animadversionem, nullum judicium facit, nihil ratione infert, aut statuit de suarum sensationum, & imaginum objectis; patet, canem esse potentiam tantum sensitivam, nullo modo intellectivam.

1316. ASSERTIO III. *Brutorum opera intellectivam potentiam in illis non indicant.* Nihil enim indicat, a potentia tantum sensitiva hæc opera prodire non posse; omnia e contra indicant, hisce operibus *potentiam tantum sensitivam* præesse.

Si brutorum opera potentia intellectiva dirigeret, bruta experientia, & animadversione erudita non semper idem opus facerent. Altero opere ex parte saltem vitia illa vitarent, quibus primum simile opus ruinam passum est. Augerentur, & perficerentur eorum cognitiones; & infortunium, quod in eorum operationibus semel occurrit, ut imposterum illud præcaverent bruta erudiret. At experientia videmus, nihil horum in brutorum operibus inveniri (1050, & 1297).

1317. ASSERTIO IV. *Memoria brutorum potentiam intellectivam in iis non indicat*: hæc enim brutorum memoria esse potest tantum, imo tantum re ipsa est *sensatio imminuta*, *& extenuata*; at sensatio necessarium non est potentiæ intelligentis indicium (1315).

Homo *memoria sensationis*, *& memoria intelligentiæ* donatus est. Prima illi perceptiones sensus physici in mentem revocat; altera suas animadversiones, sua judicia, sua ratiocinia, suas meditationes, suas voluptates, & suas moralis ordinis molestias illi in mentem revocat (508, & 1174).

In brutis aliquando memoria sensationis elucet, nunquam intelligentiæ (1338).

1318. ASSERTIO V. *Brutorum astutia, & stra-*

stratagemata sive quum aggrediuntur, sive quum vim repellunt, substantiam intellectivam in iis non indicant; nihil enim indicat ad ea quidpiam requiri, præter voluptatis, doloris, timoris impressiones, nulla in his adhibita intelligentia; ut in iis occasio habeatur, qua ea omnia peragant, quæ sive ad alia bruta aggredienda, sive ut se tueantur ab ipsis fiunt.

Inter bruta nullum fortasse scimio magis industrium, & si ita loqui fas est, ingeniosum magis. At vel ex unica observatione, num in hoc bruto vel minimus intelligentiæ radius argui possit, judicemus.

Ut scimios capiant barbari Americæ, atque Africæ populi agmine instructo discordibus tympanis, rudibusque aliis musicis instrumentis crepitantes, ac versicolorata vexilla agitantes sylvas petunt scimiorum domicilia.

Accurrunt undequaque certatim scimii, magnisque vocibus aliquando ad duo, aut tria millia propinquis arboribus insistunt, unde Indorum tripudia spectare possint.

Indi ocreas gerunt, quas sæpius exuunt, atque induunt inspicientibus scimiiis, hac illac temere cursitant ocreis induti, & vexilla agitantes: post hæc recedunt, & nonnulla parva vexilla, ac plurimas parvas ocreas intus visco inunctas, aut laqueis munitas humi projectas relinquunt.

Statim ac barbari recesserunt, scimii imitatores ab arboribus desiliunt, parvas ocreas ibi abjectas arripiunt, pro iis decertant, eas induunt; nec eorum, qui primi capiuntur exemplo, ut insidias evitent commoventur.

Redeunt barbari. Scimii ocreas induti capiuntur: ceteri fugiunt. Paucos post dies easdem barbari insidias parant; & iterum scimii alii capiuntur.

Nulla igitur in his brutis intelligentia, aut ratio est; si enim vel minima esset, quæ indi-

tum sensitivam videri satis esse ad ea omnia phænomena præstanda, quæ in brutis observamus; hæc enim omnia sensationes tantum exhibent voluptatis, aut doloris materialia objecta respicientes, & motus quosdam locales a mechanicæ legibus non directos.

IV. Certum est, *principium sensitivum*, quo bruta animantur, eas tantum essentiales, & præcipuas proprietates habere, quas in illo diversæ ejus operationes enunciant; *nullus enim in natura effectus est, sine causa, neque causa ulla sine effectu.*

Atqui brutorum operationes *substantiam immaterialem sensu præditam* in illis enunciant, non vero spiritualem substantiam intelligentia, & ratione donatam. Ergo brutis præter corpus organicum inest *substantia media inter spiritum, & materiam*, immaterialis, facultate sensitiva prædita, & intellectiva carens. Q. E. D.

PRIMÆ HUJUS SECTIONIS SYNOPSIS.

Ex hactenus traditis, ac demonstratis de anima brutorum hæc corollaria consequuntur.

1300. COROLLARIUM I. *Essentialis similitudo, & essentialis diversitas datur inter hominis, & brutorum animam.* Quod non naturæ identitatem ullam, sed veram, atque perfectam inter binas has substantias *naturæ alteritatem* indicat; una itaque non est altera; at una nonnullas alterius proprietates eminenter habere potest.

I. *Similitudo* in hoc sita est, quod utraque intimas sensationes experiri potest materialium objectorum præsentiam, & sensibiles qualitates respicientes; quod utraque veras voluptatis, & doloris sensationes habere potest ex materialium objectorum diversis impressionibus in diversa utriusque organa, quæ ipsæ animant;

II.

II. *Diversitas* in hoc sita est, quod alterius facultates semper in sensationibus sistunt, nunquam ad intelligentiam pertingunt; alterius vero facultates & intelligentiam, & sensationem complectuntur.

1301. COROLLARIUM II. *Anima brutorum, ut & humana, non nisi vera creatione existere potest.* Quum enim natura immaterialis sit, a materia, aut ab ejus modificationibus extrahi nequit, in qua neque formaliter, neque virtualiter existit (263, & 1054).

1302. COROLLARIUM III. *Anima brutorum, ut & humana, dissolutione, aut decompositione perire nequit.* Quum enim sit substantia immaterialis, partibus materialibus per accidens conjunctis, & per accidens separabilibus non constat; omnia vero indicant, substantiam esse in specie sua simplicem, nulla partium compositione conflatam; uti & anima humana substantia est omnino simplex in specie sua, & ab omni partium compositione aliena (1057).

1303. COROLLARIUM IV. *Anima brutorum, qua dissolutione perire nequit, annihilatione perire potest.* Omnis enim ejus finis ad corpus, cui conjuncta est, animandum limitatus videtur, & ad quandam intimarum sensationum seriem percipiendam a materialium organorum ministerio pendentium; præterea cum cujusvis intellectualis cognitionis, ac sensus intellectualis incapax sit, tunc nullum amplius in natura finem habere videtur, quum nullum illi amplius sit corpus animandum.

Unicus finis, quem brutorum anima, corpore organico dissoluto, habere posset, esset, ut ad aliud ejusdem naturæ corpus animandum esset destinata; juxta vetus metempsychoseos (*a*) sy-

(a) *ETYMOLOGIA* μετεμψύχωσις, *animarum ab uno ad aliud corpus transmigratio.* A μετὰ, trans, ab ἐν in, & a ψυχὴ anima.

ſyſtema, quod ad bruta limitatum abſurdum non demonſtratur, etſi nihil ſit, unde probabile videatur.

1304. NOTA. *Metempſychoſis* præcipuum erat ſcholæ Pythagoricæ dogma, quod Pythagoras ab Indis Brachmanibus mutuatus erat: porro doctrina hæc apud Indos, & Sinenſes etiam per hos dies admodum diffuſa eſt.

I. Juxta tum veteres, tum recentiores metempſychoſeos aſſertores animæ hominum, & brutorum nihil natura diverſæ ſunt.

Anima obſcuri hominis, at virtutibus ornati, ſoluto corpore, quod animat, ad aliud humanum corpus animandum eſt deſtinata: fiet vero anima viri principis, aut regis, pro majori, minorique virtutis gradu.

Anima hominis vitiis turpis, corpore, quod animat, diſſoluto, ad bruti alicujus magis, minuſve immundi, & miſeri corpus animandum eſt deſtinata, pro criminum ſuorum merito, ut tandem poſt datum tranſmigrationum numerum in aliud humanum corpus tranſeat (1056).

II. Patet, metempſychoſeos ſententiam generatim ſumptam fabuloſam eſſe, chymæricam, ridiculam, ſanæ philoſophiæ, & ipſi naturali rationi repugnantem. Anima brutorum nihil unquam natura animæ humanæ commune habuit, aut habitura eſt (1047, & 1299).

At ſi metempſychoſeos ſententiam ad bruta, eaque ejuſdem ſpeciei contrahamus, & ſi cuique brutorum ſpeciei animam ſupponamus hujus ipſius ſpeciei propriam, & ab humana omnino diverſam, nihil omnino abſurdi metempſychoſeos hypotheſis præſeferet.

Quid enim abſurdi habebitur, ſi ſupponamus exempli gratia, Deum cervi modo enecati animam non deſtruere, ſed pro anima, quæ creanda eſſet, ut cervæ jam prægnantis fœtus animaretur, interfecti cervi animam fœtui huic tri-

tribuere? Idem porro de ceteris brutorum speciebus dici poterit.

1305. COROLLARIUM V. *Anima brutorum, ut & humana, sedem habet in præcipua aliqua parte corporis, quod animat*; eædem enim rationes, quæ ostendunt, humanam animam non esse in universo humano corpore diffusam, ostendent quoque, leonis, tauri, ovis, aquilæ, columbæ animam toto horum animalium corpore non esse diffusam.

Quare verosimillimum est, in cerebro sedem brutorum animæ sitam esse in speciebus omnibus, in quibus pars hæc corporis organica habetur; in speciebus vero cerebro carentibus; si tamen hujusmodi species dantur, sedem animæ in præcipua aliqua corporis parte organica esse positam, ubi aptius anima diversas materialium organorum impressiones admittere possit; & universo animali machinamento varios motus indere, quos animalis natura, & finis postulet (1062, & 1063).

1306. COROLLARIUM VI. *Anima brutorum substantia est essentia ipsa indivisibilis*. Est enim substantia immaterialis; quam absurdum esset in binas, in trinas partes, aut in alias divisam supponere. Quare,

I. Quum vermis, aut serpens, exempli caussa, bifariam secatur, non animantis hujus anima dividitur, quæ tota in ea, parte est, in qua ejus sedes est; neque præcipua hæc pars vitiari, aut dividi potest, quin animal enecetur, seu quin animæ corpori conjunctio, a qua ejus vita pendet, dissolvatur.

II. Motus aliquandiu in secti vermis, aut serpentis partibus perseverans, animæ sectionem non indicat, in alterutra enim saltem parte motus hic non nisi mechanicus est, a residua quadam, & magis, minusve duratura sanguinis, humorum, nervorum, fibrarum, spirituum vitalium agitatione profectus.

III.

III. Si re ipsa in natura daretur species aliqua animalis, quæ bissecta in utraque sectione vere, & permanenter viveret, quod neutiquam verisimile est; ideo hoc esset, quia quodvis hujus speciei *individuum* ratione peculiaris suæ organicæ structuræ *duplici individuo* æquivaleret, in quo duplex anima tum ante, tum post partium divisionem haberetur.

1307. COROLLARIUM VII. Anima brutorum, ut & humana, nulli intimæ augmenti, aut decrementi vicissitudini obnoxia est. Quum enim immaterialis sit, nihil a materiæ influxu aut adipisci, aut amittere potest; materia enim non est nisi causa occasionalis magis minùsque opportuna suarum operationum.

1308. COROLLARIUM VIII. *In brutis, ut in homine, ex Dei decreto mutua est inter animam, & corpus dependentia.* Hæc enim æque in brutis, ac in homine apparet; neque haberi potest, nisi libero, & efficaci Dei decreto, quod generica, & permanens naturæ lex sit omnibus animalium speciebus (1061, & 1075).

1309. COROLLARIUM IX. *Anima brutorum, ut & humana, non est causa efficiens neque suarum sensationum voluptatis, & doloris, quas in intima sua substantia experitur; neque variorum motuum, quos in corpore a se animato excitat.* Quæ siquidem rationes probant, animam humanam potentiam esse tantum passivam in suis sensationibus, & causam tantum occasionalem motuum, quos in corpore excitat, cui conjuncta est; eædem æque probant, & quidem potiori jure, brutorum animam in *potentia* sua *sensitiva* tantum passivam esse; & in sua *potentia motrice* causam esse tantum occasionalem.

I. Brutorum anima sensationes experitur voluptatis, & doloris, non tamen in ejus potestate est, ut eas sibi comparet, quibus oblectatur,

tur, eas evitet, quibus angitur; etsi sæpius in ejus potestate sit causam occasionalem ponere, quæ has excitabit, illas extinguet.

Anima brutorum varios corpori, quod animat, motus indit, quorum aliqui voluntarii videntur, non tamen proinde liberi sunt (1100 & 1106).

At quoniam nulla in ipsa vis concipitur, qua in organa materialia agere possit, nec ullam certe habet mechanicæ horum organorum structuræ cognitionem: patet, non esse, nec esse posse nisi causam occasionalem variorum motuum, quos in ipso excitat, & quorum illa re vera causa physica est (272, & 1223).

1310. COROLLARIUM X. *In brutis, ut in homine, fluidum animale videtur esse præcipua & sensus, & motus causa physica.* Æque enim in brutis magis nobis notis, ac in homine, fluidum hoc eadem habet principia physica, easdem officinas, tubos, receptacula eadem; si vero fluidum hoc respectu sensitivæ, & motricis animæ facultatis consideretur, eadem in bruto, ac in homine munera sortitum esse videtur (1248, & 1249).

SECTIO II.

POTENTIÆ ANIMÆ BRUTORUM.

1311. OBSERVATIO. Ex brutorum operationibus rite perpensis demonstratum est, & bruta præter corpus organicum immateriali substantia instructa esse, quæ eorum anima est, quæque nec spiritus est, nec materia.

At vero quænam hujus brutorum animæ facultates, seu potentiæ sunt? *substantia* hujus, inquam, *media* materiam inter, & spiritum? Inest ne illi, ut animæ humanæ, *potentia in-*

tellectiva, *potentia affectiva* ? hoc qua majori brevitate fieri poterit definire pergimus.

BRUTA POTENTIA INTELECTIVA DESTITUTA SUNT.

1312. OBSERVATIO. Omnia in homine *intellectivam potentiam* indicant; nihil hujusmodi potentiam in brutis indicat. Ut hoc ostendamus satis erit nonnullorum brutorum operationes ad trutinam revocare, eorum, inquam, brutorum, quæ magis intelligentiæ proxima aut minus ab illa remota videntur.

1313. ASSERTIO I. *Brutorum sensationes potentiam intellectivam in illis non indicant*. Possunt enim in potentia tantum sensitiva, (quæ re ipsa haberi potest) hæ sensationes existere (1296).

Ponamus dari potentiam hanc sensitivam tantum, nullo pacto intellectivam. Sensationes experietur voluptatis, & doloris, aliasque sine voluptate, & sine dolore. Id omne erit, quod bruta se esse indicant.

1314. NOTA. *Intrinseca sensibilitas* infinite in diversis sensitivarum potentiarum speciebus variari poterit; ut & intellectiva in diversis intellectivarum potentiarum speciebus infinite variari potest.

Nihil indicat, eundem intellectivitatis gradum inesse animæ humanæ ac diversis spiritibus, quos generico angelorum nomine nuncupamus. Nihil quoque indicat, eundem inesse sensibilitatis gradum sensitivo hominis, ac bruti principio; vel unius, & alterius brutorum speciei sensitivo principio.

Sensitivum leonis *principium* a talpe, aut lumbrici sensitivo principio sensibilitatis gradu differre potest, quantum quercus ab arbusto, aut ab herba volumine differt.

1315. ASSERTIO II. *Imagines, quæ brutorum*

rum sensationes comitantur, potentiam intellectivam in illis non indicant. Possunt enim imagines hæ in bruto haberi, etsi omni intelligentiæ, judicii, rationis munere sit destitutum.

I. Quum hortum elegantibus areolis distinctum, aut arcem propugnaculis munitam intueor, intimam horum objectorum, & mentalem sensationem habeo, quam sensibiles horum objectorum imagines comitantur. In his nondum sum *potentia intelligens*; si enim potentia essem tantum sensitiva, intelligentia omni, & ratione destitutus, adhuc easdem sensationes, & imagines haberem.

Verosimillimum est, canem, qui mihi comes est, eadem inspicientem easdem sensationes, & imagines habere; visus enim organa habet meis valde similia, & ipsi *principium sensitivum* inest, quod immateriali, & sensitiva substantia sua immateriales intimas impressiones admittere potest materialibus lucis in oculum reflexæ impressionibus respondentes. In his omnibus nullam canis intelligentiam indicat; si vero potentia intima has tantum sensationes, & imagines habet, non est potentia intellectiva.

II. Ex hac horti, & arcis sensatione, & imagine in mea sensitiva potentia existente; suarum diversarum partium harmoniam considero: earum dispositionem laudo, aut improbo, earum munera, & finem detego. Objecta hæc cum aliis, quorum ideam habeo, confero; & quod video, perfectius, aut deterius judico iis, quæ vidi, aut imaginor. Judico quoque, aquam, quam ab horti concha assurgere video, a superiori receptaculo deduci; tormenta, quæ in arcis propugnaclis sunt, me enecatura, si tali loco cum exercitu obsidionem iniens me sisterem; ceteraque hujusmodi. In his non amplius *potentia tantum sensitiva* sum: incipio jam esse potentia intellectiva.

Si canis comes nihil habet, præter sensatio-

stratagemata sive quum aggrediuntur, sive quum vim repellunt, substantiam intellectivam in iis non indicant; nihil enim indicat ad ea quidpiam requiri, præter voluptatis, doloris, timoris impressiones, nulla in his adhibita intelligentia; ut in iis occasio habeatur, qua ea omnia peragant, quæ sive ad alia bruta aggredienda, sive ut se tueantur ab ipsis fiunt.

Inter bruta nullum fortasse scimio magis industrium, & si ita loqui fas est, ingeniosum magis. At vel ex unica observatione, num in hoc bruto vel minimus intelligentiæ radius argui possit, judicemus.

Ut scimios capiant barbari Americæ, atque Africæ populi agmine instructo discordibus tympanis, rudibusque aliis musicis instrumentis crepitantes, ac versicolorata vexilla agitantes sylvas petunt scimiorum domicilia.

Accurrunt undequaque certatim scimii, magnisque vocibus aliquando ad duo, aut tria millia propinquis arboribus insistunt, unde Indorum tripudia spectare possint.

Indi ocreas gerunt, quas sæpius exuunt, atque induunt inspicientibus scimiiis, hac illac temere cursitant ocreis induti, & vexilla agitantes: post hæc recedunt, & nonnulla parva vexilla, ac plurimas parvas ocreas intus visco inunctas, aut laqueis munitas humi projectas relinquunt.

Statim ac barbari recesserunt, scimii imitatores ab arboribus desiliunt, parvas ocreas ibi abjectas arripiunt, pro iis decertant, eas induunt; nec eorum, qui primi capiuntur exemplo, ut insidias evitent commoventur.

Redeunt barbari. Scimii ocreas induti capiuntur: ceteri fugiunt. Paucos post dies easdem barbari insidias parant; & iterum scimii alii capiuntur.

Nulla igitur in his brutis intelligentia, aut ratio est; si enim vel minima esset, quæ indi-

viduam sensationem excederet, profecto inferrent, quod hesterna die ceteris exitio fuit, illud quoque ipsis hodie exitio futurum.

POTENTIÆ AFFECTIVÆ LIMITES IN BRUTIS.

1319. OBSERVATIO. Omnia in brutis, ut & in homine *potentiam affectivam* indicant, nempe amandi, & odio habendi facultatem; at non utrinque iisdem limitibus continetur.

I. In homine *potentia affectiva* ad physica, & ad moralia extenditur.

Boni physici prosecutio, mali physici aversatio *potentiam intellectivam* in homine non ostenderent; posset enim prosecutio hæc, & aversatio in potentia haberi tantum sensitiva.

Boni moralis amor, mali moralis odium potentiam intellectivam in homine ostendunt; hæc enim entia abstracta sunt, quæ a potentia tantum sensitiva attingi nequeunt.

Mater ex sola naturali propensione filium amare potest. In hoc nullum intelligentiæ suæ munus exercet.

Rex ordinem, & justitiam diligere, assentationem fugere, calumnias detestari, regni gloriam, subditorum felicitatem velle potest. In his *intelligentem potentiam* suam exercet, qua tantum moralium horum abstractorum bonorum bonum, & malum intelligibile noscere potest.

II. In brutis ad physica tantum, & sensibilia *potentia affectiva* extenditur; nunquam ad moralia, & intelligibilia tantum elevatur.

Canis, exempli causa, herum amore afficit; hujus enim aspectus, seu recordatio intimas in illo sensationes excitat, quæ ad herum amandum alliciunt.

At herum ita nullo discrimine canis prosequitur sive probus sit, sive hominum pessimus, sive amari, sive odio haberi mereatur; nihil

siqui-

siquidem cani sunt probitas, aut improbitas, virtus, aut vitium; quidquid enim physicum ordinem prætergreditur, & ad moralia, & intelligibilia spectat canis animam, pure sensitivam potentiam, afficere nequit.

BRUTORUM VOLUNTAS.

1320. OBSERVATIO. Bruta sane voluntatem habent; at quænam est hæc *brutorum voluntas*? est aut voluptatis sensatio, quæ illa trahit ad objectum sensibile; vel molestiæ sensatio, quæ illa ab alio sensibili objecto retrahit.

Nulla intelligentia eorum determinationes regit, nulla deliberatio illas præcedit, aut dirigit. Inter sensitivam objecti cognitionem, & hujus objecti prosecutionem, aut fugam nullum temporis intervallum intercedit, quo possit deliberatio fieri, aut libertas, si qua esset, exerceri.

Quare brutorum voluntas *nullam in iis intellectivam potentiam indicat*; est enim tantum cæcus instinctus, qui nulla investigatione, deliberatione, & animadversione nulla ad objectum trahit, aut ab objecto arcet.

Si vero aliquando inter utrumque hærere videntur; hoc a pluribus oppositis impressionibus procedit, quæ in eorum potentia sensitiva invicem confligunt, donec una cæteris prævaleat.

1321. NOTA. Quum nulla *in brutis* intelligentia sit, *nec ulla libertas est*. Si vero eorum voluntatem aliquando vincimus, ac regimus; hoc tantum mediis sensitivam potentiam afficientibus obtinemus, nunquam iis, quæ intellectivam potentiam afficere possunt.

BRUTORUM INSTINCTUS.

1322. OBSERVATIO. *Brutorum instinctus* dicitur quidquid facultatum, & industriæ eorum animæ inest, ut Totius, cujus ipsa præcipua pars est, bonum assequatur.

Deus semper in operibus suis admirabilis, & hominum captum superans instinctum brutis indidit variis eorum speciebus atque individuis magis, minusque perfectum, quo finem suum assequi possint. At vero quid hic instinctus est in substantia, quæ nec materia est, neque spiritus, quæ sensus capax est, cogitationis, animadversionis, intelligentiæ incapax?

I. *Instinctus hic videtur esse naturalis dispositio quadam magis, minusque perfecta ad quosdam sensus, ac motus objectum respicientes aptum sensus afficere.*

Intelligentia lux quædam est animam illustrans, atque irradians, illique res, & rerum relationes indicans. Instinctus veluti tactus est diversas impressiones sentiens, aptus objecta sensibilia percipere, at insensibiles eorum relationes exhibere ineptus. Intelligentia objectum perpendit, de eoque judicat: instinctus ejus præsentiam tantum indicat, illudque percipere facit.

II. *Instinctus hic, sive tactus, seu naturalis ad quosdam sensus, & motus dispositio, videtur esse ad quadam objecta propensio, ab aliis aversatio*; prout illa individuo utilia, aut noxia in præsenti circumstantia sunt.

III. *Hinc brutorum instinctus, quacumque eorum natura, aut organorum structura sit, nihil cum humana ratione commune habet.* „ Humana ratio, inquit philosophus quidam „ Anglus, a brutorum instinctu plurimum dif„ fert. Illa perpetuo perfectibilis magis, „ magisque progreditur; alter cito efformatus „ quid-

„ quidquid perfectionis assequi potest adeptus „ est. Ratio lento gradu ad objectum suum fertur: instinctus illud illico attingit. In brutis individuum quodvis paucis diebus terminum speciei suæ statutum assequitur: ejus „ boni mensura cito repleta est; & perfecta „ ejus natura semper in eodem statu perseverat: si per sæcula viverent bruta, non propterea plures cognitiones obtinerent; non nisi easdem actiones semper repeterent; neque „ desideriorum, aut voluptatum species in illis „ augeretur. Homo si quamdiu sol lucet viveret, novas semper veritates addiscere, & „ scientiam adhuc esuriens e vita cederet".

1323. NOTA I. Brutis valde similem instinctum & homines habent, hoc tamen summo discrimine, quod *hominum instinctum semper intelligentia comitatur, aut sequitur*, quæ illum perpendit, atque considerat, cohibet, aut libere exerceri sinit, approbat aut improbat; *in brutis* vero *instinctus semper potentia est cæca, & necessaria*, principiis carens, quibus dirigatur, luce, qua illustretur; ratione, quæ judicet, approbet, aut improbet.

1324. NOTA II. Mira sæpius *hoc instinctu bruta* operantur, in quibus aliqua *intelligentiæ* saltem inferioris ordinis *vestigia* facile suspicaremur.

At vero quum animadvertimus substantiam intelligentem notas habere, quibus substantia animæ brutorum caret; quum animadvertimus instinctum hunc, cujus naturam, & vires non nisi imperfectissime cognoscimus, effectus parere posse, quos intelligentia nostra non assequatur; facile intelligimus, nullo experimento, nullaque observatione, aut ratione probari, quod in brutorum operationibus mirum videtur, substantiæ natura spirituali esse tribuendum; neque enim *substantia media* inter materiam & spiritum inepta esse videtur, ut eorum prin-

cipium sit, aut subjectum (1315, & 1316).

Magnum profecto discrimen inter hominis vel maxime rudis, & bruti vel in specie sua perfectissimi operibus semper apparet. Ille intelligentiam semper indicat, hoc nunquam. Ille cogitationes suas perficit, ab una id aliam progreditur, mediorum cum fine nexum detegit, sensibilium, & insensibilium relationes percipit: nullum horum in bruto est (1050).

ENTIUM NEXUS, LEX CONTINUITATIS.

1325. OBSERVATIO. Nonnulli recentiores philosophi *entium nexum*, seu catenam vocant perpetuam perfectionum seriem ascendentem, & descendentem, quam in diversis entium speciebus observarunt, aut imaginati sunt; qua putant ea sibi invicem fieri proxima, atque conjungi, non nisi imperceptibiles perfectionis diversos gradus inter speciem aliquam, illique proximam statuentes, a perfectioribus speciebus, ad perfectione infimas descendendo.

Nihil, inquiunt, natura saltibus operatur. Semper ab una ad aliam speciem transit perpetuo, & sensim sine sensu crescentibus, vel decrescentibus perfectionis gradibus, qui distinctivum discrimen ponunt inter species proximas, & contiguas: porro gradus hi species inter se permiscere, conjungere, ac veluti ansulis quibusdam colligere videntur; atque in contiguis speciebus ferme imperceptibiles non nisi in remotis speciebus probe distinguuntur. *Quod tangit idem est; tamen ultima distant.*

Series datur, (pergunt) gradatim ascendens & descendens perfectionis in vegetabili regno a cedro Libani, aut a quercu Norvegiaca ad arbustum, aut herbam.

Series quoque perfectionis perpetuo ascendens aut descendens datur in animali regno a leone, aut elephante ad ostrea usque, ad lumbricum,

cum, ad insectum microscopicum. Zoophytum, seu animal planta, *ansula* est, quæ natura ab animali regno ad vegetabile transitum facit.

Series quoque, addunt adhuc, perfectionis gradatim progredientis datur in corporibus universis: a substantia terrea ad materiam usque tenuissimam, a luto ad adamantem, a globo nostro opaco ad lucentissimos globos.

Anima brutorum, inquiunt tandem, videtur esse *ansula*, qua natura materiam spiritui alligat. Quidni & spiritus perfectiores ansulæ sint, quibus substantiæ creatæ increatæ substantiæ conjunguntur?

1326. NOTA. Hujus universalis catenæ ideæ celebritatem compararunt tres magni nominis viri, Lockius, Leibnitius, & Bossonius. A pluribus aliis illustribus viris impugnata fuit, qui in ipsa generatim sumpta non nisi ideam, ingeniosam illam quidem, viderunt; at natura ipsa ingeniosiorem.

Lockius huic invento celebritatem in Anglia comparavit, illud vocans *Entium catenam universalem*, dum Leibnitius illud in Germania aut creabat, aut propugnabat vocans *legem continuitatis*. Buffonius ideam hanc admittens, corrigens, certis, & omnino necessariis limitibus circumscribens in Gallia celebritate donavit.

I. Lockius *gradus perfectionis ascendentes* inter hominem, & Deum statuit; alios vero *gradus descendentes* inter hominem, & nihilum. Hinc orta ejus universalis entium catena. „A „ nobis enim, inquit ipse, ad omnium infima „ usque descendendo, per gradus admodum breves, & per perpetuam rerum seriem descensus fit, quæ in quovis gradu parum admodum inter se differunt. Pisces sunt alati, „ qui in aera attolluntur: aves sunt aquarum „ incolæ, sanguinem habentes frigidum, ut

„ sces, & quorum carnium sapor parum adeo „ a piscibus distat, ut scrupulosis jejunii die- „ bus illis vesci non sit interdictum (a) Am- „ phibia terrestribus, & aquaticis animantibus „ participant. Phocæ in terra, & in mari vi- „ vunt: delphines sanguinem habent calidum, „ & viscera sui similia, ne quid de Syrenni- „ bus, & hominibus marinis dicamus.

„ Bruta sunt, quæ ita cognitione, & ratio- „ ne pollere videntur, & animalia quædam, „ quæ homines vocantur, tantaque est inter *animalia*, & vegetabilia affinitas, ut si il- „ lorum imperfectissimum, & horum perfectis- „ simum sumas, vix notabile discrimen in his „ invenias. Porro ad infimas usque, minusque „ in organa efformatas materiæ partes descen- „ dendo, videbimus, diversas species esse in- „ vicem colligatas, nec nisi minimis, ac fer- „ me insensilibus gradibus inter se differre.

„ Quare quum infinitam rerum omnium Au- „ ctoris potentiam, atque sapientiam conside- „ ramus; non injuria censemus magnificæ uni- „ versitatis rerum harmoniæ, sublimique ideæ „ consonum esse, imo & supremi hujus Archi- „ tecti infinitæ bonitati, ut diversæ rerum crea- „ tarum species a nobis gradatim ita ad infini- „ tam ejus perfectionem accedant; ut eas vi- „ demus a nobis ad infima per minimos gra- „ dus recedere. Quum vero hoc semel ut pro- „ babile admittatur, jure arbitrabimur, multo „ plures rerum creatarum species supra nos es- „ se, quam infra; multo magis enim nos a „ Deo infinito perfectione distamus, quam ab „ infimis omnium rebus, & nihilo proximis „ distemus “.

II.

(a) *Lockius heterodoxus* scrupulosos *inique vocat catholicos omnes, qui ecclesiasticas jejunii leges religiose observant. Porro hoc est rerum ideas pervert*.

II. Leibnitius suum monadum systema, & optimismi protulerat; in quo infinitis substantiis perfectione inæqualibus indigebat: si enim binæ monades in suo possibilitatis statu eodem perfectionis gradu donatæ fuissent, neutra creari potuisset (958, & 1219).

Hinc orta celebris sua *continuitatis lex*, qua, inquit ipse, nihil in natura per saltum fit, aut procedit; & qua natura ipsa semper, & ubique ab uno ad aliud ens, ac præsertim ab una ad aliam speciem transit perfectionis serie ascendente, & descendente: ita ut in rerum universitate nullum *formarum vacuum* sit, specierum scilicet; & species quævis a sibi proxima differt quam minimum fieri possit.

Hanc continuitatis Legem Leibnitius statuit in substantiis innanimatis, in animatis, in spiritibus, in variis corporum motibus, in entibus quibuscumque.

Nullus motus, si Leibnitium audias, ex abrupto incipit, aut desinit. Motus quivis sensibilis est *successiva collectio* motuum insensibilium. Quum vero motus hic sensibilis datur, cessare nequit, nisi gressu retrogrado per omnes gradus transeat, quibus effectus est.

Materia, per Leibnitium, magis, minusque rudis est in diversis corporibus, quæ componit; & per perfectionum perpetuam seriem gradatim transit a maxime rudi statu ad summam tenuitatem, & exquisitissimam organorum structuram.

Animæ humanæ, per Leibnitium, post hominis obitum adhuc tenui materiæ conjunctæ perseverant. Diversæ quoque angelorum species corporibus magis, magisque tenuibus conjunctæ sunt: Deus solus omnino corpore caret; Deus enim solus, inquit Leibnitius, est purus actus.

III. Celebris Buffonius Galliæ Plinius hanc Lockii, & Leibnitii hypothesim partim admi-

fit, partim rejecit. Fatetur, *legem continuitatis*, five *entium nexum* non dari inter hominem, & bruta; & tranfitum a fpecie rationis participe ad fpeciem ratione carentem ex abrupto fieri.

Fatetur quoque, fe legem continuitatis, five entium nexum inter vegetabile, & foffile non invenire; & tranfitum quoque ab uno ex his ad alterum regnum videri ex abrupto fieri.

At vero legem hanc continuitatis inter bruta, & vegetabilia nulla prorfus limitatione admittit; adeo ut per ipfum animalia, & vegetabilia, a quibus paffim duo regna conftitui volunt phyfici, unum, atque unicum tantum conftituant; & vivens, atque animatum, per ipfum non jam eft entium gradus metaphyficus, fed phyfica animalis, & vegetabilis materiæ proprietas (224).

1327. CONFUTATIO. *Hic entium nexus, lex hæc continuitatis* aliquid veri re ipfa habet, fi inter limines illi a natura, feu potius a naturæ auctore conftitutos relinquatur. At falfa eft, & abfurda, fi univerfim ita fumatur, ut fumi nequit.

I. Evidens eft legem hanc ita generatim fumi non poffe, ut a Lockio, & Leibnitio fumitur. " Homo, & brutum, inquit Volterius,
„ homo, & fuperiores fubftantiæ immenfum
„ diftant. Subftantiæ omnes a Deo infinitum
„ diftant. Orbes circa folem noftrum revoluti
„ gradus hos infenfibiles non fervant neque in
„ magnitudine, neque in diftantiis, neque in
„ fatellitibus „. (Phyf. 1430, & 1431).

II. Lockius, & Leibnitius ut genericam hypothefim fuam faciant, procul dubio *judicio analogiæ* innituntur; atque hanc *continuitatis legem* in fpeciebus omnibus valere arguunt ex eo, quod ipfam in aliquibus fpeciebus videant, aut fibi videre videantur. Verum ex judicio ana-

analogico inferri tantum potest a speciei parte ad speciem universam, non vero ab una, ad aliam speciem: ceterum in eam paralogismi speciem incurritur, quem alibi *termini extensionem* nuncupavimus (179, & 735).

Transitus ab homine ad brutum non leve Lockio, & Leibnitio negotium facessit. Primus effugium quærit ab imbecillibus a nativitate, quibus perperam homines brutis vult nectere (1166): alter plane fassus, mediam speciem inter homines, & bruta non dari in orbe hoc, quem incolimus, sed in aliis orbibus asserens dari posse, „ omnia, inquit, per gra„ dus in natura procedunt, nihil per saltus:
„ propositio vero hæc in mutationibus pars est
„ *legis* meæ *continuitatis*. Naturæ vero pul„ critudo, quæ perceptiones distinctas exigit,
„ saltus quoque apparentes postulat, ac veluti
„ musicos lapsus in phænomenis; & species
„ permiscere gaudet. Quare etsi in alio orbe
„ aliquo *species* inter hominem, & brutum
„ *media* esse possint: in orbe nostro istæ non
„ sunt ".

Neque minus laborabit Leibnitius in lege continuitatis in theoria motus servanda. Sit enim atomus perfecte mollis, aut perfecte dura. Atomus hæc in impenetrabile, & immobile obstaculum conjecta, ex universali motus theoria illico, & in instanti motum suum omnem amittere debet, lege continuitatis nullo pacto servata. Si vero motus hic sit ut 100, non centesima sui parte extingui incipiet, duabus centesimis partibus, quarta, dimidia, duabus tertiis partibus; atque ita porro; sed totus simul, individuus, primo ictus instante extinguetur (*Phys.* 310, 315, 318).

III. Illustris Buffonius optime sensit, legem hanc continuitatis inter hominem, & brutum valere non posse; neque inter vegetabile, & fossile satis deprehendi. At vero jure ne eam

ge-

generatim inter bruta, & vegetabilia admittit? Ab homine ad brutum, in ejus sententia, saltus arduus est, a ratione scilicet, ad rationis defectum.

Arduus quoque illi videtur saltus a vegetabili ad fossile; ab organica nempe structura ad organorum defectum; at enimvero saltus a bruto ad vegetabile nonne æque arduus est, a sensibilitate scilicet ad sensibilitatis defectum? (1277, & 1278).

IV. Hic entium nexus dari aliquo pacto videtur in animali regno, & ad bruta limitatus; in regno quoque vegetabili intra vegetantium terminos concluso, & a regno animali sejuncto.

Lex ista evidenter abrupta, fortasse etiam generatim fabulosa in physicis, aliquo pacto vigere videtur in politicis, in quibus crescente, & decrescente graduum serie magnates populum regi, & regem populo connectunt.

OBJECTIONES SOLVENDÆ.

Præcipua, quæ objiciuntur *substantiæ mediæ* a nobis in brutis admissæ, quam *principium pure sensitivum* asserimus voluptatis, & doloris capax, intelligentia, & animadversione destitutum, huc tandem redeunt; ut contendant, vel phænomena, quæ in brutis videmus, esse posse dumtaxat motus locales, mechanicos proprietatum materiæ effectus, sive naturæ legum; vel nonnulla ex his phænomenis principium intelligens in brutis indicare; vel substantiam mediam inter materiam, & spiritum esse quid absurdum, & repugnans; adeoque ostendere substantiam, quæ detur, non esse materialem, esse illam spiritualem ostendere.

BRUTORUM OPERATIONES FORTASSE MOTUS TANTUM LOCALES.

1328. OBJECTIO I. Omnia, quæ in brutis phænomena videmus, *motuum localium* ſeries tantum ſunt, qui omnes mechanicis legibus conformes ſunt, & eſſe debent; brutorum enim corpus non niſi materia eſt organis inſtructa; materia vero ſive rudis, ſive in organa conformata, contra mechanicas leges nec movetur, nec moveri poteſt.

Quæ enim re ipſa in brutis phænomena videmus? Organa vitalia in ipſis deprehendimus quæ augentur, ſucceſſive perficiuntur, deinde pereunt. Sanguinis, & humorum circulationem in iis invenimus, unde & ſpiritus animales in iis circuire ſuſpicamur. Organa videmus, quæ contrahuntur, protenduntur, moventur, ſive ut id apprehendant, quod nos eorum prædam dicimus, ſive ut id effugiant, a quo capi poſſent, ſive ut nutritionis, propagationis, aut alia quævis munera exerceant. In pluribus voces, ſeu cantus audimus, qui aer tantum modulatus ſunt, & quos ut voluptatis, aut doloris, aut ſenſus cujuſque expreſſiones nos ſumimus: at ſenſus iſte non magis iis ineſt, quam tibiæ inſit, aut cytharæ, aut organo, quum in illis muſici aut lætos, aut lugubres ſonos modulantur.

Ergo in brutorum operationibus, ſeu phænomenis non niſi motus locales, & mechanicos videmus. At motus hi non niſi automata indicant; ergo nulla ratione ſenſum, & ſenſus principium brutis tribuimus.

RESPONSIO. Inanis hæc objectio omnia Carteſianorum fundamenta continens re ipſa merum ſophiſma eſt nihil ſolidum continens, imo nihil imponens: in hoc quæ in brutis per ſen-

sensationes dignoscimus cum iis, quæ ratiocinio deprehendimus confunduntur.

I. *Sensationibus* nos in brutis dignoscimus phænomena tantum, quæ motus locales sunt; hæc enim tantum sensibus percipi possunt.

Num propterea bruta pura automata censenda sunt? non sane; ceterum pari jure homines pura automata censere possemus; in iis enim non nisi motus locales mechanicis legibus conformes sensu percipimus.

II. *Ratione* in brutis, ut in hominibus, *principium sensitivum* detegimus a materia omnino diversum, quod solis mechanicæ legibus nequaquam regitur; omnia enim in brutis sensibilitatem indicant, quæ materiæ convenire nequit; principium vero sensus effectibus indicatur, qui a puris mechanicæ legibus obtineri nequeunt.

Phænomena omnia, sive operationes omnes, quas in brutis videmus, re vera *motus sunt locales, & mechanici*; at motus sunt, qui in illis invisibile sensus, & motus principium indicant, quod puris automatis convenire nequaquam potest: motus sunt a simplici materia non producti; sed quorum causa efficiens, aut occasionalis est principium omnino a materia natura distinctum.

Motus hi locales, & mechanici in brutis, ut & in homine juxta mechanicæ leges fiunt, sive juxta certas, & immotas leges illas, quas in motus productione, & communicatione natura servat. At æque in brutis, ac in homine horum motuum causa, aut occasio est substantia a materia diversa, principium nihil materiæ commune habens, & a solis materiæ legibus non directum.

Aut nos natura perseveranter, & invincibiliter fallit; aut certum est, diversa motus phænomena, quæ in brutis videmus, in iis prin-

principium indicare voluptatis, & doloris, amoris, & aversationis, timoris, & desiderii capax: quæ sane simplici materiæ convenire nequeunt (1046, & 1067).

III. Ut igitur Cartesii paradoxum statuatur, bruta nempe esse pura automata, non satis est ostendere, brutorum corpus in suis motibus mechanicæ leges servare: certum est enim, & humanum corpus ad mechanicæ leges moveri, quin proinde sequatur, hominem esse purum automa.

Ut Cartesii sententia statueretur, ostendere oporteret, mechanicos brutorum motus *intimum sensus principium* non indicare, quod eorum causa, aut occasio sit; ostendere oporteret, horum motuum in brutis causam, aut occasionem esse variorum corpusculorum emanationem e corporibus erumpentium, & brutorum organa afficientium. Porro hoc nemo ostendet: hoc enim rationi, experientiæ, observationi, genericis, & peculiaribus mechanicæ legibus evidenter adversatur.

1329. OBJECTIO II. Nulla potiori ratione anima immaterialis brutis, ac plantis tribuitur. At nemo philosophus per hos dies plantis immaterialem animam adscribit, cur ergo brutis adscribatur?

Ceterum nonne in Pentateucho expresse, & iterum legitur, brutorum animam eorum tantum sanguinem esse? (*a*)

RES-

(a) *Homo quicumque de filiis Israel, & de advenis, qui peregrinantur apud vos, si venatione, atque aucupio ceperit feram, vel avem, quibus vesci licitum est, fundat sanguinem ejus & operiat illum terra. Anima enim omnis carnis in sanguine est; unde dixi filiis Israel: sangui-*

RESPONSIO. In brutis *phænomena sensus* sunt, quæ in plantis non habentur. Non ergo mirum si phænomena hæc immaterialem animam in brutis annunciant, non in plantis. Falsum ergo non majori jure animam immaterialem brutis, quam plantis adscribi.

Schola peripatetica vegetabilibus *animam vegetativam* attribuit a materia, ejusque modificationibus distinctam. Recens philosophia in vegetabilibus materiam tantum in organa conformatam deprehendit; & animam hanc vegetativam inter fabulas ablegavit, unde olim emerserat. Ad sensus phænomena, quæ in brutis cernimus, explicanda, aliquid requiritur præter materiam, & motum; & materia, & motus satis est, ut vegetationis phænomena, quæ in plantis cernimus, explicentur (Phys. 157, 191, 194).

I. Dico primo, ut *plantarum vegetatio*, augmentum, reproductio, interitus explicentur, satis esse germina quædam materialia cujusvis speciei a Deo primitus condita, & organis instructa, ac præsentes naturæ leges. Ad hæc, inquam, satis est materia, & motus; nullaque in primitivis hisce germinibus anima vegetativa supposita, aut forma plastica eorum ortui, atque actioni præsidente, fore, ut possint illa sibi proprios succos attrahere, in hoc potius, quam in aliud vegetabile assurgere; peculiares naturæ suæ proprietates adipisci, & a se ipsis in-

---

guinem universæ carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est; & quicumque comederit illum interibit. Levitici 17. v. 13. & 14.

Hoc solum cave, ne sanguinem comedas; sanguis enim eorum pro anima est. Deuteronomii 12. v. 23. &c.

innumera germina producere illi similia, a quo orta ipsa sunt, & quibus perpetuo speciem suam propagare valeant. Exempli causa,

Quid requiritur, ut *peculiare germen* opportuno solo satum sensim sine sensu in speciei suæ vegetabile assurgat? ut peculiares succos attrahat, ac veluti seligat naturæ suæ analogos, eosque rejiciat, qui inepti, aut heterogenei sunt? satis est, si *generica quadam* dentur *natura leges & permanentes impulsionis, attractionis, affinitatis*, quales nos dari perseveranter observamus (Phys. 77, & 88).

Ex immutabilibus hisce legibus a Deo latis, atque perpetuo servatis, nullius animæ vegetativæ, aut naturæ plasticæ ministerio, quas sequiori ætate peripatetici commenti sunt (1217), glans quercus, pomi semen, mali armeniaci nucleus, tulipæ bulbus, ranunculi radix, brassicæ, & frumenti grana, quæ omnia diversa substantia constant, diversis tubis instructa sunt, organa habent speciei, a qua procedunt, & quam propagare debent analoga, *diversam* habebunt singula diversis terræ succis *affinitatem:* peculiarem singula naturæ suæ consentaneam, suisque organis tum intimis, tum extimis substantiam ebibent; atque ita totidem vegetabilia necessario efformabunt suæ speciei (342): ut satis ratione, & experientia duce in nostra entium sensibilium theoria ostendimus (Phys. 565, 568, 558, 152, 136).

Quid opus est, ut *planta dua* in eodem solo crescentes longe diversæ crescant, & altera, uti quercus, magnum robur ostentet, altera, uti vitis, aut cucurbita, laxis fibris serpat? satis est, si nutritii succi ab illa affinitate sua attracti sese invicem constringere, atque invicem arcte adhærere apti sint; ab altera vero nutritii succi attracti natura diversi sint, nec invicem eadem vi, eademque tenacita-

citate adhærere apti sint. (Phys. 565, & 221).

Hinc vero nullius animæ vegetativæ, aut formæ plasticæ ministerio diversa oritur constitutio, diversum robur, diversa natura, sapores, vires, qualitates, proprietates diversæ habentur in quercu, & vite, in nucis, & ficus pomo, in cortice Peruviensi, & in hiosciamo, aut cicuta (120, & 342).

Quid opus est, ut rosa, lilium, viola, caryophyllum colores nobis diversos explicent? satis est, si nutritii succi, a diversis hisce floribus attracti, ac in intimis suis organis elaborati, sese juxta respectivas suas affinitates simul colligentes, & in aere formam, & tenacitatem naturæ suæ consentaneam adipiscentes apti evadant diversas lucis radiorum species absorbere, & reflectere; ita ut, si harum omnium plantarum flores æque explicatos supponamus, & eidem solis luci æque expositos, at diversa singulos, sibique propria textura formatos, alii solos rubros radios remittere apti sint, alii violaceos tantum; hi varios radios simul mixtos, illi radios omnes, quicumque sint. Cetera (Phys. 136, 866, 877).

II. Dico deinde, ad *brutorum* sensibilitatem, ac *sensum* explicandum aliquid evidenter requiri præter materiam, & motum, ac præter genericas, & permanentes impulsionis, attractionis, affinitatis, & vegetationis leges; horum siquidem omnium idea nihil exhibet, quod ullo pacto sensibilitati, aut sensui simile sit; horum scilicet omnium idea & sensibilitatem, & sensum necessario semper excludit. (1046, & 1290).

III. Dico tandem, Pentateuci auctorem in hac suæ legislationis parte, quæ unice peculiarem nationis suæ indolem respicit, nullo pacto de *brutorum animæ natura* philosophari,

aut

aut quidpiam definire voluisse; neque Cartesii, aut materialistarum in sententia de anima brutorum veluti præcursor fieri.

Quid igitur voluit Moyses innuere verbis in objectione allatis? Dux, ipse asperæ nationis, feræ, crudelis, sanguinem appetentis ejus mores lenire voluit horrorem illi ab humano sanguine effundendo incutere indirecte contendit, quum ferino sanguine vesci illi vetuit, & religiosam sensim illi innuere ab animalium sanguine aversionem conatus est.

Vox *anima* vitam æque significat, ac animam ipsam, quæ vitæ principium est: porro prima prorsus significatione hic vox ista sumenda est (879).

Sanguis *vita mechanica*, vitæ corporis organici in homine, & in bruto principium est. At neque in homine, neque in bruto sanguis *anima proprie dicta* esse potest, sive invisibile illud principium, cui in homine sensus competit, & cogitatio, in bruto sensus, non cogitatio (1042, & 1046).

ZOOPHYTA PROBANT FORTASSE SENTIENDI FACULTATEM MATERIÆ INESSE.

1330. OBJECTIO III. Quæ recens naturæ studiosi de *zoophytis*, seu animalibus plantis detexerunt materialistarum sententiæ plurimum favere videntur; & eorum præcipue philosophorum sententiam proterere, qui in brutis animam immaterialem, seu *intimum sensibilitatis, & actionis principium* admittunt a materiæ substantia, & modificationibus re ipsa distinctum.

I. Certum est ex doctis Linnæi, Swammerdamii, Donati, Pallatii, Trembleii, Jussiæi, Reaumurii observationibus; magnum dari in natura *plantarum animatarum* numerum; substantiarum nempe materialium plantis vegeta-

tio-

tione, brutis sensu similium; quæ nexum facere videntur, quo natura a specie tantum animali, ad speciem tantum vegetabilem transitum facit (1326).

II. Certum est, in puris vegetabilibus animam immaterialem non esse a materia, ejusque proprietatibus, & modificationibus reapse distinctam. Quare ergo immaterialis anima zoophytis inesset, quæ tantam habent cum vegetabilibus nascendi, crescendi, pereundi ratione similitudinem? Si vero sysimbrio aquatico, exempli gratia, immaterialis anima non inest, quare fluviatili polypo insit prope ipsum, & ferme ut ipsum vegetanti? Idem de marinis polypis dicas.

RESPONSIO. Quæ de zoophytis recentiores detexerunt materialistarum sententiæ nequaquam favent, neque philosophorum immaterialem animam in brutis admittentium sententiæ officiunt; ex iis enim, quæ recens detecta sunt, sequitur, incertum adhuc esse *existantne zoophyta*; si vero etiam certo existant, philosophorum opiniones de animalium, & vegetabilium speciebus non immutare debent.

In iis, quæ zoophyta dicuntur, aut vera sensibilitas datur, aut non datur. Si datur, quæcumque eorum figura sit, vere species animales sunt, quæ, ut elephas, ut salar, ut bruchus, anima immateriali donatæ sunt; si non datur, zoophyta veræ species vegetabiles sunt, quarum intimum suorum munerum principium non est nisi materia, & motus juxta eas genericas, & permanentes naturæ leges, quæ vegetabilis regni formationem, & propagationem respiciunt.

1331. DEFINITIO. *Zoophyta*, seu animalia plantæ postremis hisce temporibus dictæ sunt quædam naturæ productiones, quæ simul & plantarum vegetationem, & animalium sensum obtinere videntur.

I.

I. In peculiari hac substantiarum classe, quæ aut omnes, aut fere omnes aquaticæ sunt, aliæ immobiles sunt, eidem loco, plantarum more adhærentes, & *motu omni progressivo* destitutæ; aliæ mobiles feruntur, & motu progressivo admodum lento quidem, sed vero, ab uno ad alium locum transire possunt; uti limaces progrediuntur, lumbrici, atque insecta alia plurima lentissimis evolutionibus.

II. Ex hac peculiari substantiarum classe aliæ in mari tantum nascuntur, & vivunt; atque hæc potissima est earum pars; aliæ in aqua fluviatili tantum nascuntur, & vivunt; atque has accuratius physici norunt, atque observarunt.

Inter *marina zoophita*, quæ recentiores physici in plura genera, ac in plures species partiuntur, recensere possumus cum Ruisckio, Linnæo, Donato, Pallasio, Svvammerdamio, sepiam, loliginem, leporem marinum, tritonem, Holothuriam, Thetiam, pulmonem marinum, pirum marinum, pennam marinam, urticas marinas, stellas marinas, corallinam cellulosam, spongiam marinam, atque alia plurima.

Inter zoophyta fluviatilia recenseri possunt polypi cristati, polypi longimani. Hos postremos Tremblejus diligentissime observavit atque in tres species distribuit (Phys. 915).

1332. NOTA I. Plurimi præclari physici *zoophyta*, sive animalia *plantas* dari arbitrantur. Inter complures alios ita sentiunt Tremblejus, qui elegantissimas de fluviatilibus polypis observationes peregit; Linnæus, qui in suo naturæ systemate zoophyta in plura genera, pluresque species partitur; Donatus, qui in sua naturali historia maris Hadriatici vel unam immobilium zoophytorum classem in tres centurias distribuit; Pallasius medicus, qui in recenti de zoophytis opere hanc entium classem

in genera quindecim, & in species ducentas supra quinquaginta partitur; Valmonsius Bomarius, qui in suo naturalis historiæ lexico ita & ipse sentire videtur, etsi hoc eodem opere solidas rationes præbeat, quibus sententia hæc rejiciatur.

I. Ut aperte pateat quibus rationibus innitatur opinio vera zoophyta, seu vera animalia plantas in visibili natura admittens, huc referemus, quæ acerrimus hujus sententiæ vindex Auctor Lexici historiæ naturalis de *fluviatilibus* polypis habet. Hæc zoophytorum species omnium notissima est; ea propterea, quæ præcipuam universæ hujus entium classis notionem præbere debet.

„ Fluviatilium polyporum historia, inquit „ hic auctor, phænomena exhibet difficilia, „ quæ credantur; legibus iis enim, quas ge- „ nericas credebamus, opponuntur. Putassemus „ ne unquam, animalia in natura esse, quæ „ in frusta veluti concisa propagarentur? idem- „ que animal in octo, decem, viginti, trigin- „ ta, imo & quadraginta partes sectum, to- „ ties multiplicari? polypi hac facultate gau- „ dent, ut veluti ex surculis propagentur.

„ Animalia hæc progrediuntur, & locum „ mutant: motum hunc obtinent vi, qua pol- „ lent sese protendendi, contrahendi, quaqua- „ versum convertendi. Motum hunc tamen „ lentissime peragunt; integro die vix septem, „ aut octo pollices procedunt. Modum quoque „ progrediendi tenent satis lepidum, si citius „ pergerent; rotantur, ut pueri solent.

„ Polypus quisque ab ore ad extrema usque „ corporis saccus vacuus est, in quo membra- „ næ nullæ, viscera nulla apparent. Pellis „ hæc totum animal efficit; quare jure suspi- „ cabimur omnia animalis machinamenti or- „ gana pellis hujus crassitie contineri. Quum „ microscopio polypi pellis expenditur, ejus

„ tum

„ tum intima, tum extima superficies *granulis* inspersa apparet, quæ animalis organa „ censeri possunt. Certum est enim, quum grana „ hæc evelluntur de animalis vita actum „ esse.

„ Polypi non natant; cauda, & glutine quodam corporibus, prope quæ sistunt, tenaciter adhærent. Aliquando aquæ innatant prono capite, cauda superius elevata: hoc vero „ eadem ratione obtinent, qua acus probe abstersa aquæ imposita supernatat, minimis aeris bullulis ipsi adhærentibus illam sustinentibus.

„ In polypis oculi non apparent. Videmus tamen, eos luce delectari, eamque exquirere. Hoc fortasse ideo faciunt, quia eorum corpus quavis sui parte a luce afficitur. Opinionem hanc confirmat experimentum: si enim polypus bifariam secetur, partes binæ sejunctæ, & ea ipsa, quæ acephala est, in luce sese statuunt.

„ Polypi prædam non insequuntur; at exigua insecta inter eorum brachia sponte incidunt, quæ retis instar semper extensa sunt. Polypus tertiæ speciei ad pedis unius diametrum brachiorum suorum periphæriam extendere potest.

„ Tremblejus polypos de insecto eorum brachiis irretito concertantes vidit. Eorum quisque vermem deglutire festinabat; quum tandem, os ad os polypis jam proximis, horum fortior certamini finem fecit hostem ipsum vorans. De vorato actum esse putabatur; non tamen ita contigit. Vorator ventri suo inclusum illum detinuit, donec prædam ab hoste eduxit; subinde incolumem illum evomuit. Ex hoc phænomeno censuit Tremblejus, polypum alteri polypo rem esse omnino indigestam: porro hoc ipsum experimento confirmavit. Polypum alteri polypo, quem

„ jejunio famelicum habuit, deglutiendum de-
„ dit. Hic post quatuor, aut quinque dies ex
„ alterius ventre erupit incolumis, ut priuſ-
„ quam voraretur. Nunc in ea perſuaſione ſu-
„ mus, ut polypus brachia ſua evomat, ſi
„ quando illa cum præda deglutit.

„ Polypi omnes paſſim generandi facultate
„ pollent; & aſſerta illa lex, ſine coitu fœ-
„ cunditatem non eſſe, ex polyporum obſer-
„ vatione fallax oſtenditur; tum quoque ex
„ obſervatis in curculionibus. Polyporum ge-
„ neſis in iis ſecundæ ſpeciei aptius obſerva-
„ tur. In polypo exiguus tumor apparet, qui
„ verrucæ figuram induit; hoc polypi caput
„ eſt. Circa os brachia enaſcuntur. Aliquan-
„ do ex unico polypo duodeviginti quoque po-
„ lypi erumpunt, modo polypus laute enutri-
„ tus ſit. Obſervatum eſt enim a copioſiori ci-
„ bo fœcundiores fieri. Nondum parvi polypi
„ omnino creverunt, quum jam polypos alios
„ progignunt ex eorum corpore erumpentes.
„ Hæc *arboris viventis ſpecies* mirum obſer-
„ vatori ſpectaculum præbet. Quum polypus
„ prædam arripit, & deglutit, hæc in cete-
„ ros omnes polypos diſtribuitur, qui totidem
„ veluti rami ſunt; hic vero quoque ex alio-
„ rum præda nutritur. Coloris mutatio, quam
„ tunc ex ipſo eſcæ colore obtinent polypi
„ omnes rei hujus certiſſimum indicium eſt.

„ Ferventibus diebus polypus horis viginti-
„ quatuor efformatur, & ſeparatur. Ut hoc
„ aſſequantur polypi contiguis corporibus ap-
„ plicantur, & in diverſa nituntur. Tanta eſt
„ *polyporum propagatio* ab uno per ramos pro-
„ cedens, ut polypus unus veluti truncus ha-
„ beri poſſit, a quo polyporum decies cente-
„ na millia menſe uno propagentur.

„ Quum hoc phænomenon ſpectare quis cu-
„ pit, polypum in manus ſuæ vola ponat non-
„ nullis aquæ guttis immerſum: quum ſeſe e
„ con-

„ contractione dilatavit, illum bifariam secet. Pars, in qua caput est, eodem die, quo separata fuit, progredietur, & vescetur, modo aer tepens sit. Altera pars horis vigintiquatuor brachia germinabit; binis vero diebus polypus perfectus erit sua retia tendens, & prædam vorans.

„ Utcumque experimenta permutentur, nova semper phænomena prodibunt. Quaquaversum polypum seces, & in tænias quamtumvis exiles, totidem semper polypos ex his habebis; Ipsum polypi caput biseca: capita hæc dimidia cito in duo integra capita formabuntur. Bina hæc capita iterum biseca, quatuor habebis capita. Si quatuor hæc capita adhuc biseces, octo eidem corpori inserta capita habebis. Si corpus ipsum ita incidas, octo habebis corpora uni capiti adhærentia. En hydram non amplius fabulosam.

„ Tremblejus polypum ita invertit, ut ejus intima extima fierent, non secus ac udones invertuntur, quum exuuntur. Universam animalem œconomiam perturbatam putasses; nihil tamen hoc polypo offecit, nisi quod diebus quatuor, vel quinque illi expectandum fuit, ut novum stomachum sibi reficeret. Adde, quod pluribus vicibus polypus inverti potest.

„ Putabis fortasse polypos ita non propagari nisi quum secantur. Monet tamen Tremblejus, se polypos vidisse, qui se ipsi separabant, & spontanea sectione multiplicabantur. At hæc polyporum propagatio non usitata censenda est: raro contingit, neque propagationi ex frustis est comparanda ".

II. Hanc fluviatilium polyporum theoriam, analogia, atque inductione ducti marinorum quoque theoriam esse nonnulli recentiores physici statuerunt. *Miras has naturæ productiones*

tamquam totidem zoophyta esse arbitrati sunt, quæ mediam quamdam classem inter plantas, & bruta constituerent, duarum harum classium notas perturbarent, aut tollerent; animalia vegetabilibus necterent, & ansula essent, quæ bina hæc genera colligaret. Sequenti nota num mira ista phænomena ea certitudine, ac veritate gaudeant, quæ illis tribuitur, perpendemus.

Non raro vera quædam phænomena in natura sunt, quæ non satis recte omni ex parte dignoscuntur; præsertim si rei miræ specie quadam abripimur. Novimus vero vel unum phænomenon non rite perspectum plures, gravesque errores in physica, ac in naturæ cognitione parere posse.

1333. NOTA II. Si plures celebres physici sunt, qui *zoophyta* haberi tenent, plerique sunt, qui ea dari negant, aut saltem dubitant, neque enim quæ ad ea statuenda afferuntur, satis illis solida, ac firma videntur.

I. Ex *marinis polypis*, qui potissima eorum pars sunt, quæ zoophyta, vocantur, ii omnes qui Corallia, Escaras, Alciones, Spongias, Urticas, sepias efficiunt, aliasque substantias aspectu vegetabiles sunt tantum *varia parvorum insectorum species* simul in mari viventes, ac innumeras contiguas cellulas elaborantes; quæ vegetabilis substantiæ speciem præseferunt.

Veteres physici cellularum harum congeriem plantam esse putaverunt: illa nonnullis recentioribus unum, atque individuum animal visa est. „ At vero Peissonelli, Reaumurii, Bernardi Jussiæi observationes, inquit auctor lexici historiæ naturalis, probarunt, varias has marinorum corporum species esse tantum cellulas ab insectis vermibus elaboratas, easque polypis esse, quod vespis earum nidi sunt “.

Hæ itaque cellulæ, ita veris naturæ studiosis

ſis teſtantibus, id ſunt inſectis eas incolentibus, quod concha oſtreis, quod bombyci folliculus, quod apibus alveoli, quod vermibus ibi incluſis ſunt quercuum gallæ.

Fiat, ut incautus obſervator alveare aperiens, quod videt vegetabilis regni productionem arbitretur. Erit ejus error veterum phyſicorum errori ſimilis, qui in diverſis polyporum ſive in mari, ſive in fluviis productionibus ſubſtantias tantum inanimatas, plantas tantum ſibi videre viſi ſunt.

Fiat, ut alius æque incautus obſervator idem alveare aperiens, quod in illo continetur eſſe putet unicum, & individuum animal. Erit ejus error illi recentiorum phyſicorum ſimilis, qui in diverſis polyporum productionibus unicum tantum animal ſibi videre viſi ſunt, non vero *animalculorum rempublicam*.

Poſtremus hic obſervator hoc errore perſuaſus caput unici hujus animalis eſſe putet ſuperiorem aperti alvearis partem; eamque ab inferiori reciſam, in ſimili alio alveari collocet. Animal, cui in alveari mutilato caput abſciſſum fuit, cito aliud caput obtinebit; abſciſſum vero caput in alio alveari poſitum cito aliud corpus ſibi comparabit.

II. Valde veroſimile eſt, tubulos, ac ramos *polypi fluviatilis*, ut & marini, eſſe aut opus, aut domicilium minimorum plurium inſectorum; ſive hi inquilini ex propria ſubſtantia habitaculum ſibi conſtruant, ut aranea telam ſuam, oſtrea conchas, bombyx folliculum, ſive in corporibus jam præexiſtentibus ſibi domicilium ſeligant, in eoque mutationes eorum naturæ, & indigentiis analogas efficiant; ut gallinſecta in pluribus diverſis plantis totidem diverſas gallarum ſpecies excitant ad ea, cum prole ab hoſtibus, & a temporum injuriis protegenda deſtinatas.

Quum animalis, & vegetabilis confinia ſæpius

pius ægre distinguantur; facile credi potest, hanc naturalis historiæ partem vix inchoatam correctione, ac revisione indigere, quo in dies magis perficiatur; & systemata condendi libidinem, quæ recentes observatores in zoophystas, & antizoophystas divisit, primis aliquando ibi animatas substantias ostendisse, ubi vegetabilia tantum erant, alteris non nisi vegetabilia ostendisse, ubi vera animalia re ipsa inveniebantur,

Lyonnetus de celebris Sveci physici Linnæi systemate loquens, contendit, „ nullo pa„ cto certum esse, insecta dari, quibus zoo„ phytorum nomen jure tribui possit; saltem „ nomen hoc echinis, sepiæ, stellæ, atque mari„ næ urticę non esse tribuendum, hæc enim „ omnia vera animalia sunt, forma sane exo„ tica; at omnino apta animalia munera exer„ cere, & motum habere progressivum, qui a „ plantarum natura omnino alienus est.

Sentit Lemery, „ veteres botanicos zoophy„ torum nomine plerasque plantarum species „ nuncupasse, quæ & animalibus, & plantis „ participare censuerunt, cujusmodi spongiæ „ sunt, & penna marina; in aquis enim, in „ quibus nascuntur, moventur non secus ac „ si animalia essent. At ex hoc motu anima„ lia non sunt dicenda, inquit ipse; ab aquæ „ enim in plantarum poros ingressu, & ab il„ lis exitu prognatus est. Finem facit, ad„ dens; quum prejudiciis depositis, & ad re„ ctæ physices trutinam plantæ illæ expen„ duntur, quæ zoophyta nuncupantur, cujus„ modi est agnus scythicus: facile dignosci, „ eas puras plantas esse, nec animalis quidpiam „ habere; adeoque vera zoophyta dari non „ esse censendum “.

III. Ut hanc de zoophytis quæstionem pro viribus illustremus; satis erit fortasse eruditis, nec partium studio distractis *novam methodum* indi-

indicare opera, propagationem, & fluviatilium polyporum naturam investigandi, decem jam, aut duodecim ante annos ab ingenioso physico Romeo Isleo propositam. Sagaci, ac perspicaci hoc artificio arcana hac in re naturæ mysteria reserasse ipse mihi videtur.

Censet primo, polypos hos fluviatiles, organica quorum structura adeo mira visa est, verosimiliter non nisi involucrum, aut vaginam esse, qua multo minima insecta contineantur; quodque unicum individuum putatum est, illud animalculorum familiam, aut rempublicam esse; quæ sub eodem tecto sese receperunt.

Censet deinde, *granula* hæc, quibus polypi involucrum inspersum est tum intime, tum extime, esse singula *perfectum animal* oculis, & organicis facultatibus instructum; adeoque non amplius granula hæc tamquam totidem unius, atque unici individui oculos, ora, vasa, glandulas, receptacula esse consideranda.

Censet adhuc, partem illam, quam polypi ventrem putaverunt, non esse nisi intimam retis partem, qua animalcula hæc prædæ insidias parant: ea, quæ brachia dicunt, totidem esse filamenta hac illac diffusa, quæ protenduntur, contrahuntur, seorsim, aut simul agunt, quum fames urget: injuria vero polypos voraces dici; esca enim absumitur in alendis innumeris animalculis distributa *communi involucro* contentis; quod illis nassa est, & rete, quum tamquam polypus unicus haberetur.

Explicat tandem quod in natura, & propagatione polyporum singulare, & mirum est, sic procedens:

Novæ omnes, inquit, polyporum progenies aliæ prope alias domicilia sua construunt; & quum prædæ capiundæ causa alibi retia tendere coguntur, tunc novas colonias, novaque involucra ædificant.

Quum omnia hæc involucra communicantia

ſint, unicam ſocietatem eorum incolæ conſtituunt, & prædam invicem ſociatim dividunt.

Si admirabundi unicum involucrum videmus, quod unicum animal eſſe nimis facile arbitrabamur, brevi avum fieri, abavum, atavum, tritavum, atque ita porro, alia tam cito involucra producens, a quarum ſingulis alia, atque alia producuntur; ad admirationem removendam ſatis eſt animadvertere, populoſam hanc animalculorum rempublicam, quæ ovipara eſſe Juſſiæus, & Reaumurius detexerunt, maxime fœcunda eſſe debere; frequentes illa emigrationes facere debere, novas deduci debere colonias, a quibus nova domicilia, novaque involucra conſtruentur.

Mirum videri non debere, idem involucrum in plura fruſta concidi poſſe, quin exigui ejus incolæ intereant; illi enim tantum, quos culter offendit, perire debent, ceteri incolumes perſeverant; ſi vero filamenta, aut brachia inciſa non generant, ideo hoc eſt, quia in ſolo involucro habitant granula, ſive animalcula.

Hæc de flaviatilibus polypis Romei Islæi vere philoſophica ſententia eſt. Ac ſane putandum eſt, quo diligentius productiones hæ, quas generico zoophytorum nomine nuncuparunt, perpendentur; eo magis phyſicorum ſententias ad modo a nobis expoſitam de fluviatilibus polypis acceſſuras, quam Reaumurii, & Juſſiæi de marinis polypis ſententia olim prolata confirmat.

1334. NOTA III. Fruſtra tempus tereremus perpendentes, num organicum involucrum animalculorum domicilium marinos, & fluviatiles polypos incolentium *ſubſtantia* ſit *animalis*, an *vegetabilis*.

Quid enim quæſtio iſta momenti habet? Animalium pili ſubſtantia animalis ſunt vegetabili organorum ſtructura. Tuberculi, quos gal-

gallinsecta incolunt, natura sunt partim animali, partim vegetabili.

Quare inter naturæ productiones zoophyta nuncupatas fieri potest, ut aliæ natura omnino animali sint, aliæ natura re ipsa vegetabili; aliæ, & fortasse pleræque, natura partim animali, partim vegetabili pro diversa insectorum incolentium actione, & indigentia; ipsa enim naturæ instinctum sequuta semper naturæ suæ opportunum sibi domicilium parant.

Hæc polyporum involucra, & filamenta, cujuscumque naturæ sint nulla majori admiratione digna sunt, quam apum alveoli, aranearum telæ, bombycum folliculi, aliaque hujusmodi.

BRUTORUM DOLORES CUM DEI JUSTITIA, ET SAPIENTIA FORTASSE COMPONI NEQUEUNT.

1335. OBJECTIO. IV. Si bruta non essent pura automata, & sensu prædita essent, Deus, inquit Malebranchius, evidenter injustus, & crudelis esset; in divinæ siquidem providentiæ œconomia bruta ad asperrima perferenda damnata essent, quin in tot duris perferendis quidpiam mererentur, aut quidpiam emolumenti inde perciperent.

Quoniam itaque repugnat, Deum injustum esse, & crudelem, necessario bruta pura automata esse debent, & sensu carentia; quidquid vero voluptatis, aut doloris percipere videntur, id species tantum dici debet, & illusio.

RESPONSIO. Malebranchius sublimis Cartesii discipulus in magistri sui somniis exponendis, perficiendis, statuendis temporis plurimum trivit. Si rectius philosophatus fuisset magistri sententias inter somnia ablegasset. Quos ingenii nervos non contendit, ut vorticum fabulam fulciret! neque tamen tot conatibus

tibus aliud assequi potuit, quam ut hypothesim hanc fabulosam magis, magisque lapsabundam ostenderet. (Phys. 1384., 1398., 1399.)

Probatio, qua hic bruta automata statuit, non magis stat quam stet illa, qua vortices statuere nititur. Vel in ipso fundamento labilis, probat tantum paradoxum esse, quod contra naturæ, & rationis voces statuere vellet.

I. Qua ratione constat, bruta magna malorum copia gravari? Species quævis hominis commodo, universæ naturæ bono, Dei gloriæ condita ubique, ubi a providentia locata fuit, quod ejus naturæ necessarium est invenit, sive alimenta consideres, sive conservationem, sive propagationem, sive naturæ suæ consentaneam felicitatem. (946.)

Bruta de præteritis non contristata, quibus amplius non afficiuntur, de futuris non sollicita, quæ non prævident, in præsentibus tantum occupantur. Præsentia vero illis passim aut voluptatem creant, quum suis appetitibus satisfaciunt; sive torporis tempus sunt, quum frigoris vehementia species quasdam omnino sopitas, atque inertes efficit; sive laboris tempus sunt eorum naturæ, & fini consentanei; sive breve doloris tempus aut naturæ deficientis vitio parti, sive ab extrinseca causa, a qua naturæ defectio initium habet, aut a qua natura destruitur.

Sensibilitas physica in brutis datur, ut in homine; nihil tamen probat æque exquisitam esse in irrationali specie, ac in rationali. Fieri potest, ut magis in homine perfectum sit *principium sensitivum*, magisque doloris, & voluptatis intensas sensationes admittat, quam in brutis; atque admodum rationi consonum est arbitrari, nos sæpius falso judicare, quum de brutorum sensationibus voluptatis, & doloris, a nostris analogis judicium ferimus. Potest nullo absurdo sensibilitas physi-

ca

ca multo major in homine supponi, quam in brutis; major in una, quam in alia brutorum specie; in hac vero hypothesi suorum malorum pars nobis intolleranda videtur non nisi, quia nulla ratione brutis æqualem nostræ sensibilitatem tribuimus.

Quævis brutorum species generatim majori bonorum copia gaudere, quam malorum copia angi videtur. Deus vero in operibus suis infinite sapiens, & in beneficiis conferendis infinite independens nulli animalium speciei majorem, quam qua fruatur, bonorum copiam impertiri tenebatur.

II. Unde nam constat, *naturam* quamvis *sensibilem* necessario postulare, ut supponit Malebranchius, ab iis malis physicis constanter, & perseveranter immunem esse, quæ aut a peculiari cujusque speciei constitutione, aut a genericis naturæ legibus sponte proficisci debent? Si ponamus bruta animam habere re ipsa voluptatis, & doloris capacem (quam hypothesin Cartesius, & Malebranchius veram esse negant, dari posse non negant); qua quæso ratione probarent, Deum genericas gravitatis leges immutare, aut suspendere debuisse, ne malum jam maturum ex arbore labens bruchum, aut formicam enecaret, quibus brutis Deus neque perpetuam beatitudinem, neque vitam servare tenetur?

In nostra philosophia religionis ostendimus, *malum physicum* a genericis naturæ legibus procedens divinæ erga hominem providentiæ non opponi; quarenam in brutis eidem divinæ providentiæ opponeretur?

III. Ex malorum excessu, quibus aliquando gravatur justus in præsenti vita, rectissime inferimus, ad divinam providentiam spectare, ut in alia vita hominis virtutes condigno præmio afficiantur. At enimvero perperam diceretur ad hanc eandem divinam providentiam tuen-

dam,

dam, eum, quem nos hominem justum nuncupamus, esse tantum purum automa sensu carens.

Si Malebranchius assereret, præsentia brutorum mala compensationem a Deo exigere in alia vita, Indum philosophum, aut Pythagoricum ageret metempsychoseos sententiam statuere conantem (1304).

Quum vero ex idea Dei justi, & ex idea malorum physicorum, quibus obnoxia videntur bruta, infert, ea esse pura automata sensu carentia; philosophum profecto non agit. Si quid enim ejus argumentum probaret, potius metempsychosim, quam bruta automata probaret.

IV. Adorandis suis finibus, quorum aliqui nobis noti sunt, plurimi ignoti Deus innumera bruta creat. Hæc ad merendum, & demerendum inepta bonorum summam naturæ suæ congruam habere videntur.

Quod mala quædam patiantur, quæ mens nostra non apte percipit brutis nostrum sentiendi modum tribuens, quæ mala aut a brutorum constitutione, aut ab eorum fine, aut ab universali rerum ordine proveniunt; dicenda ne erunt pura automata, & sensu destituta; quasi vero, ni diceremus, Dei bonitatem, & justitiam nihil illis prætercea debentis læsuri essemus; atque hoc natura, & ratione ipsa contra clamantibus? Ita ne vero sententiæ de re gravi inanibus fundamentis in philosophia statuendæ sunt? ita ne identidem etiam in magnis viris ratio dormitabit? *Quandoque bonus dormitat Homerus.*

Quo vero nomine eos appellabimus, qui ingenio, ratione, recte judicandi vi destituti sese Cartesii, aut Malebranchii discipulos prædicantes, summorum horum virorum somnia dumtaxat, & errores amplectuntur?

ANI-

ANIMÆ BRUTORUM FORTASSE PRINCIPIUM INTELLIGENTIA ET RATIONE DONATUM.

1336. OBJECTIO V. Substantia intellectu, cognitione, memoria, judicio donata necessario spiritualis est. Atqui hujusmodi est anima brutorum.

Canis, exempli causa, herum cognoscit, eumque a quovis alio discernit. Ipse panem, qui nutriendi facultatem habet, a saxo hac facultate destituto opime distinguit.

Equus citato cursu foveam offendens quam non nimis latam censet, eam saltu transilit; si vero ad voraginem pertingat, cujus oppositam oram saltu assequi nequeat, sistitur, & alio divertit.

Quot memoriæ, intelligentiæ, animadversionis, comparationis, judicii phænomena diversis ætatibus physici, sane ex observationibus, in brutis adnotarunt! Porro hæc omnia nonne in brutis principium intelligens, & spirituale indicant.

RESPONSIO. Certum est, bruta veras cognitiones habere; at vero ex experientia, & observatione investigandum est, num cognitiones hæ intellectuales sint, quarum objecta a sensibus non pendeant; an vero cognitiones sint tantum sensitivæ, quarum objecta sint res materiales, atque sensibiles, quarum quoque occasio sint tantum res hæ materiales, atque sensibiles.

I. *Cognitiones intellectuales* substantiam spiritualem indicant; necessario siquidem principium intelligens supponunt, quod supra sensus, & sensationes evectum abstractam rerum relationem, & intelligibilem ordinem assequatur.

II. *Cognitiones tantum sensitivæ* spiritualem substantiam nequaquam indicant; neque enim repu-

repugnat, *substantiam mediam* dari inter corpus, & spiritum sentiendi capacem, intelligendi vero facultate carentem: porro ex suis operationibus anima brutorum se prodit.

1337. EXPLICATIO I. *Brutorum cognitiones animam spiritualem in illis non arguunt.* Non nisi cognitiones sensitivas siquidem in brutis deprehendimus. Hæ vero in subjecto haberi possunt, quod spiritus non sit, sed quod sensitiva facultate gaudeat, intellectiva careat. (1297, & 1315).

Supponamus organico Neutoni, Cornelii, Colberti corpori, non cogitantem, & animadvertentem animam conjunctam esse, quæ tam acute insensibiles physicorum, & moralium objectorum relationes assequi valeat; sed *animam tantum sensitivam*; cujusmodi est, quam aquila, aut leo, aut catellus obtinent.

In hac hypothesi entia hæc humana figura donata, sensitiva, non vero intelligentia, visionis, olfactus, tactus, gustus perceptiones habebunt iis, quas nos experimur, valde similes, quin animam habeant spiritualem: *cognitiones* habebunt *sensitivas*, quin intelligente, & animadvertente principio instructa sint. Non igitur cognitiones pure sensitivæ substantiam indicant re ipsa spiritualem.

1338. EXPLICATIO II. *Brutorum memoria animam spiritualem in iis non arguit.* Memoria enim est tantum præcedentium perceptionum renovatio. Si vero *perceptiones* hæ *sensitivæ* tantum fuerunt; memoria, quæ has tantum iterum excitat, nihil magis indicat, quam indicent hæ ipsæ perceptiones.

I. In brutis, ut in homine vera datur memoria, vera scilicet facultas præterita reminiscendi; at diversas notas in homine, ac in brutis facultas ista præsefert.

In brutis memoria *sensibilium eventuum connexio* est; ita, ut eventus alicujus perceptio al-

tr-

terius perceptionem excitet, trahat, ac præsentem faciat.

In homine memoria *tum sensibilium rerum, tum pure intellectualium operationum connexio est*. Porro hac ratione a brutorum memoria diversa est (1174, & 1317).

II. In brutis memoria a sensibili perceptione ad aliam quoque sensibilem procedit ex connexione, qua olim conjunctæ fuerunt; Exempli gratia, ferus molossus, cui ante mensem rictum gravi ictu percussi, tunc connexionem sensit inter perceptionem a præsentia, & forma mea in illo excitatam, & perceptionem a baculo, ac brachio meo in illo quoque excitatam. Post hæc prima perceptio in illo non excitatur, quin altera quoque excitetur.

In hominibus memoria a sensatione ad sensationem, ab idea ad ideam, a judicio ad judicium, a ratiocinio ad ratiocinium, a comparatione ad comparationem progreditur; ex connexione, quam antea inter hæc homini ostendit aut cæca sensus impressio aut clara rationis illustratio.

1339. EXPLICATIO III. *Brutorum prosequutio, & aversatio spiritualem animam in iis non arguunt*. Hæ siquidem objecta tantum respiciunt sensus afficientia; anima vero pure sensitiva affectivas, & aversativas impressiones admittere potest. Exempli gratia:

I. Canis herum beneficum amore prosequitur; lupum quem sibi infensum sentit, aversatur; heri enim præsentia, seu recordatio voluptatis in cane sensationem excitat, lupi vero præsentia, seu recordatio molestiæ sensationem parit.

II. Quadrupedia ferme omnia, & volatilia *fœtus suos ardentissimo amore prosequuntur*, sed dato quodam tempore a natura statuto: hoc elapso amor hic cessat, & extinguitur: sensationum enim prolixior, aut brevior series ab infinita Dei sapientia disposita ad hos affectivos

mo-

motus ea inclinat toto tempore ad speciei conservationem requisito. Cessat vero parentum amor a sola sensatione profectus quum sensationum series ista expletur: expletur vero, quum non amplius est necessaria.

1340. EXPLICATIO IV. *Brutorum opera intelligentiam, & animadversionem in iis non arguunt*. Hæc enim, uti sunt avium nidi, apum alveoli, fibrorum casæ, esse possunt mechanicum tantum cæci instinctus, & *cæca sensationum seriei* opus, quibus variæ brutorum species ad ita agendum pro diversis earum organis, & finibus determinentur (1316).

Ceterum *perpetua* harum operationum uniformitas, in quibus nihil mutatur, nihil perficitur, satis probat, eas ratione duce non fieri; quidquid vero mirum in his elucet, id omne ab infinita illa intelligentia consequitur, quæ brutorum naturam condens eorum quoque effectus omnes mechanicos ad motus, & statutarum sensationum leges disposuit, ac prædeterminavit.

1341. EXPLICATIO V. *Nullum ex phænomenis, quæ in brutis observamus animadversionem, comparationem, judicium, ratiocinium in iis indicat*. In phænomenis illis siquidem, in quibus aliquid sensatione præstantius suspicari possemus; nullum est, quod philosophice inspectum, atque perpensum ad ea referri non possit, quæ nullam intelligentiam, & sensationem tantum præseferunt.

1342. NOTA I. Physici nonnulli quasdam brutorum operationes perpendentes *effectus* quosdam *fortuitos* intelligentiæ esse arbitrati sunt. Putaverunt illi, bruta deliberare, animadvertere, media ad finem referre; in quibusdam enim phænomenis nostris similibus ea deprehenderunt, quæ a nobis proficiscuntur, quum matura animadversione, & deliberatione agimus, & cum media cum fine, finem cum mediis conferimus;

Non

Non tamen a *fortuito*, & *solitario phænomeno* de phænomenis in genere judicium ferendum est; imo ex phænomenis generatim de fortuito, ac solitario phænomeno est judicandum. Atqui phænomena generatim sumpta permanentem in brutis animadversionis, comparationis, judicii, ratiocinii defectum ostendunt. Quare:

I. Si quis physicus, aut historicus referat, scimium cum Carolo Quinto latrunculis lusisse; ne credas.

Scimius, ut latrunculos moveat erudiri potest; nunquam tamen vere ludum ludere addiscet; nequit enim *unius latrunculi ad alium abstractam relationem* unquam percipere.

Sensatione sane noscit, regem pedite majorem esse. Nunquam tamen percipiet, num hic pedes regem vicerit; cognitionis enim hujus objectum est relatio abstracta, quæ extra sensationis sphæram sita est.

II. Si quoque quis physicus asseveret, noctu lupos duos, ut molossum armenti custodem vorent simul convenire; ut alter in insidiis prope domum sistat, dum alter simulata fuga molossum extra domum trahit: quum vero satis abduxerint, tunc ambos collatis viribus illum aggredi, & vorare; ne hoc quoque credas. Lupi duo fame stimulante sociari instinctu possunt: at instinctu simul consilium inire nequeunt, ut finem propositum assequantur; ut enim hoc facerent, *abstractas relationes* percipere deberent; cognitiones vero abstractas eorum natura obtinere nequit.

Phænomenon aliquo pacto contigisse potuit. Potest enim casu fieri, ut duorum luporum alter a molosso fugiat, dum alter, qui retro latebat, molossum aggressus animos addere socio potest, illumque ad certamen revocare. In his omnibus vero, nullum haberi potest inter lupos *agendi consilium initum*; si enim eorum natura in phænomenis generatim consideretur, eam

eam ad abstracta percipienda, & ad operationem quamvis consilio deliberatam permanenter ineptam reperimus (1297, & 1318).

III. A brutis aliquando casu nonnulla fiunt, quæ apta quadam connexione iis similia sunt, quæ ab hominibus fieri videmus; quoniam vero hæc phænomena ab hominibus ratione, & consilio peraguntur; nos natura ipsa eadem consilio, ac ratione in brutis peragi putamus. Hinc nostri hac in re errores emergunt.

At vero qui ita philosophatur, casum pro natura sumit; a phænomenorum specie ad aliam omnino diversam illationem facit: nostrum bruti percipiendi, & agendi modum tribuit, ut eorum proprium percipiendi, atque agendi modum detegat. At vero hac ratione philosophia & ratio pervertitur.

1343. NOTA II. Magna illa quæstio *de brutorum ratione* in binas diversas sententias postremis hisce temporibus philosophos divisit, quæ ambæ æque falsæ esse videntur.

Alii bruta *vera ratione* donari arbitrati sunt adeoque anima omnino humanæ simili; quæcumque talis animæ natura sit. Quare, inquiunt, brutis intelligentiam, & rationem denegemus, quum omnia eorum opera ingenium, & intellectum præseferant?

Alii hanc assertam brutorum rationem nihil aliud esse censuerunt, præter *veram physicam necessitatem:* quæ non magis veram animam in brutis supponat, quam in planta vegetante, aut in planeta suam ellipsim describente. Quare, inquiunt, intelligentiam, & rationem brutis tribuamus, quum cæca, uniformi, certaque impressione omnes suæ speciei proprias operationes peragant, & omnibus conservationis necessariis consulant? si brutis ratio tribuenda est, æquo jure plantis, ac planetis tribuetur. Si apum industriam tanto artificio favos construentium admiramur; vitis quoque, & phaseolorum indu-

dustriam admirabimur, qui tanto ordine flores, & fructus suos producunt, ac filamenta sua, veluti totidem brachia, tam apte protendunt, quibus adhæreant, ac regantur.

I. Evidens est *aliquid brutis inesse, quod plantis non inest*; si enim necessitas physica, sive causarum naturalium actio sufficit, ut omnia quæ ad plantas spectant, explicemus, non tamen ad omnia, quæ ad bruta spectant, explicanda sufficeret.

Etsi enim & apum industria in favis construendis, & vitis industriam in pampinis, ac racemis producendis admirer; concipio tamen, & sentio, in ape existere *principium sensus*, quod nulla physica necessitate explicari potest, quodque viti nullo pacto inest. Concipio, & sentio, etsi apis, & vitis operationes providentiam infinite intelligentem, & activam supponant, quæ & eas condiderit, & eas conservet, & agentes dirigat: non proinde sequi, apis, & vitis animas ejusdem speciei animas esse.

Quare postrema hæc sententia a Buffonio promota, Cartesianæ re ipsa non absimilis, in qua bruta *necessitate physica, & mechanica* omnia operantur, nulla ratione admitti potest.

Brutis inest vera necessitas physica; cognitione enim reflexa carent, adeoque libertate. At *vera sensibilitate* donata sunt, quæ ab hac eadem necessitate physica plantas, planetas, naturam inanimatam regente proficisci nequit.

II. Evidens est, *brutorum animam humana anima inferiorem esse*; omnia enim in hominibus substantiam intelligentem, & animadvertentem indicant; nihil in reliquis viventibus, & animatis similem substantiam indicat.

An ne ex sola organorum diversitate procedit hominis a bruto diversitas? hoc absurdum materialistarum paradoxum, & assertum est. „ Si equi ungula, inquit Helvetius, in huma-

„ nam

„ nam manum mutaretur, equum cum homi-
„ ne de rationis usu, & de telluris imperio
„ certantem videremus ".

Quo vero fundamento tam audax assertio nititur? nullo. „ Hic, qui philosophice ratiocinari arbitratus est, inquit sapienter recens „ philosophus, non animadvertit, animal quodvis esse *peculiare* quoddam *systema*, cujus „ partes omnes aliæ ad alias invicem referuntur. Si quadrupedis ungula in flexiles digitos converteretur, adhuc in cerebro ungula „ perseveraret ".

Simii, ii præcipue, quos Pongos, aut Orang-outans vocant, quorum statura, forma, organa ita humanis similia sunt, ut eos *sylvestres homines*, seu sylvarum homines nonnulli nuncupent, scimii, inquam, digitos habent nostris valde similes. Eos ne propterea videmus leges ferre, urbes condere, arces munire, classes construere, artem militarem instituere, typographias, ingenii, mercimonii, industriæ commercia? eos ne ab austro ad boream, ab ortu ad occasum peregrinari videmus, ut ab aliis scimiis religionis, artis, naturæ bona percipiant, aut ut sua illis communicent? Nihil horum sane videmus. Neque ex universa eorum mira industria, atque asserta ratione quidpiam emersit, quod simplici scalæ, vecti, scamno comparari possit, quorum tamen ideam, formam, usum ipsis ubique natura ipsa indicare videtur.

Certum est, hominem cogitare, scimium nunquam cogitasse. Defectus hic cogitationis in scimio ex organorum ne vitio universæ ejus speciei perseveranter proprio proficisceretur; ut cogitationis defectus in iis humanæ speciei individuis, qui imbecilles aut nascuntur, aut subinde fiunt, casu quodam contigit ex organorum vitio individuorum dumtaxat proprio? Non sane. Absurdum est enim, ut alibi ostendi-

dimus, supponere ullam entium speciem iis perpetuo, & universim destitui, quæ eorum natura postulat. Genericæ speciei proprietates, & qualitates ab immutabili essentia, & natura procedunt. Quare quum nullus scimius unquam cogitaverit, dicendum est: *cogitationem speciei hujus non esse propriam*; atque hoc de quavis alia brutorum specie dici potest (1298).

SUBSTANTIÆ IN MATERIAM, ET SPIRITUM DIVISIO FORTASSE PERFECTA.

1344. OBJECTIO IV. Nullam *substantiæ* hujus *mediæ*, quam in brutis supponimus, quæque nec materia est, neque spiritus, claram, atque distinctam ideam habemus. Ergo substantia hæc a philosophis non est admittenda; nihil enim ab iis admitti debet, nisi quod probe concipiatur, & de quo ex eorum ideis judicium ferre possint. Ceterum vetus substantiæ in materiam, & spiritum divisio *exacta* videtur, omnia complectens, nihil inter sua bina membra medium relinquens. Quare substantia hæc media, de qua sermo, omnino fabulosa videtur.

RESPONSIO. Inanis hæc objectio, quam ad fastidium aurium repetunt tirones philosophi, & limitatas in illis cognitiones, & invalescentia præjudicia satis indicat. Perpenderent vellem qui hæc objiciunt, quid sint, quave ratione in ipsis fiant *diversarum substantiarum ideæ*; tunc enim facile intelligerent, primo injuria obscuram dici ideam substantiæ mediæ inter materiam, & spiritum; deinde philosopho indignam esse persuasionem, in qua fortasse sunt, nullam inter materiam, & spiritum substantiam mediam dari posse. (213, & 218).

I. Idea *substantiæ mediæ* inter materiam, & spi-

spiritum nil minus clara, minusve notis suis distincta in mente nostra est ideis substantiæ materialis, & substantiæ spiritualis; ut jam alibi ostendimus. Quare aut obscuritatis taxanda quoque est idea materiæ, & idea spiritus, aut ab hac nota idea substantiæ intermediæ tandem liberanda. Sicuti nimis probare nihil probare est; ita nimis impugnare nihil impugnare est (55).

Experientia, & ratio probant, nos *rerum existentium naturam* non cognoscere, nisi ex ideis, quas earum effectus in nobis excitant; hanc enim rerum naturam in se ipsam non intuemur. Ex hac observatione jam supra ostendimus, nos nihil magis materiam, quam spiritum cognoscere. Nunc nihil magis hominis, quam bruti animam nos cognoscere ostendamus.

Quam Cartesianus *substantiæ spiritualis* hominem animantis habet ideam? Eam habet, quam parit effectuum ab homine emanantium observatio. In homine intelligentiæ, & sensus phænomena observamus, quæ simplici materiæ tribui nequeunt. Ex his in nobis idea enascitur substantiæ sentientis simul, & intelligentis; adeoque substantiæ spiritualis.

Atqui hoc eodem modo *substantiæ* hujus *mediæ* bruta animantis idea in nobis excitatur. In brutis physicæ sensibilitatis phænomena observamus, quæ materiæ proprietates excedunt, & ad spiritus proprietates non pertingunt. Ex his substantiam in brutis concipimus a materia, & a spiritu natura diversam, illa proprietatibus præstantiorem, hac deteriorem; aptam intrinsece voluptatis, & doloris sensationes experiri, quod materiæ competere nequit; intrinsece ineptam ad intelligentiam usque attolli, quod spiritus proprium est: uno verbo, substantiam mediam inter corpus, & spiritum.

Ambarum itaque harum substantiarum ideam

æque

æque habemus, illius scilicet, quæ hominem, & illius, quæ brutum animat. Si vero in postrema quid obscurum est; æque in prima obscurum quid invenies. At quæcumque in incomprehensibilibus hisce substantiis idea inveniatur; eas dari ex effectibus æque constat. Primam spiritualem esse certum est; alteram mediam esse inter materiam, & spiritum multo verosimillimum est (216, & 1299).

II. Vetus substantiæ in materiam, & spiritum divisio nihil in sententiam nostram probat, aut probare potest. Anne in binis hujus divisionis membris omnes, quæ haberi possint, substantias contineri probatum est? Non sane. Vel simplex enim regni animalis observatio nos docet, tertiam saltem substantiarum speciem a duabus illis diversam esse in natura; nihil vero probat, innumeras alias substantias a tribus hisce nobis notis speciebus adhuc diversas in natura dari posse.

Si nunquam alia bruta præter canem, & equum novissemus, fortasse non nisi in species duas hanc entium classem partiti essemus; & divisionem hanc nostram ut imperfectam oppugnantibus fortasse irasceremur. Num propterea leo, taurus, ovis, aquila, cete, salar, apis, formica species essent chimæricæ? Quin si quis ex effectibus accurate observatis tertiam dari brutorum speciem ostenderet a binis antea notis omnino diversam, tertia hæc species proscribenda ne esset, quod divisioni a nobis statutæ, aut admissæ non congrueret? Evidens est, non ita faciendum.

Idem dicemus de tribus substantiarum speciebus, de quibus quæstio, de spirituali scilicet, materiali, & media inter utramque. Effectus sunt, qui *materialem substantiam* dari ostendunt; alii sunt, qui *spiritualem substantiam*. Effectus demum sunt, qui neutri tribui

possunt, & qui tertiam a binis prioribus diversam substantiam dari ostendunt.

Asseri ergo potest, nihil veteri illa substantiæ in materiam, & spiritum divisione obstante, *substantiam* aliam in natura dari *immaterialem sensu donatam, intelligentia destitutam,* quæ brutorum anima est.

1345. OBJECTIO V. Quam multa in substantiam hanc mediam congeri possunt! Quomodo existit? quando? qua parte corporis? qua ratione in corpore, & in corpus agit, in quo existit? pereunte corpore, quod animat, quid illa fit? Quæ, & quanta in hac sententia mysteria!

RESPONSIO. Nulla alia sententia nostra mysteria continet, quam quæ cuivis animæ theoriæ, & cuivis materialis, & immaterialis naturæ observationi necessario adnexa sunt. In natura tunc quoque, quum magis nobis sese prodere videtur, alia obscura sunt, alia luce conspersa; quæ vero pars lucet ab obscura non obtenebratur (56).

I. Certum est, animam brutorum, ut humanam, non nisi *vera creatione* existere posse; non enim essentialem existentiam habet; neque a materia, aut a spiritu, a quibus essentia differt, & in quibus neque virtute, neque re ipsa continetur, extrahi potest (1301).

II. Verosimile est, animam brutorum, ut & humanam, tunc incipere existere in corpore organico, quod animare debet, quum organa corporis satis perfecta ejus præsentiam exigunt; eamque in præcipua aliqua parte corporis existere, a qua illud aptius regere possit (1305).

III. Verosimile quoque est, brutorum animam, ut & humanam, in corpus, quod animat, non agere, nisi ut *causam occasionalem*. In hac enim brutorum anima nullum concipitur, ut nec in humana, *actionis medium*, quo

in

in corporis organa agere possit, nec ulla *distincta cognitio* organorum; quæ præ ceteris in hoc corpore excitare debeat. Eadem ratione brutorum corpus causa est tantum occasionalis intimarum sensationum, quibus eorum anima afficitur (270, *&* 1309).

Hoc tamen hominem inter, & brutum discrimen est, quum tamquam causæ occasionales considerantur; quod in brutis phænomena omnia ab intimo ea animante principio emanantia a solis sensationibus proficiscuntur; in homine vero phænomena ab intimo eum animante principio emanantia partim a solis sensationibus, partim ab intelligentiæ operationibus procedunt.

IV. Certum videtur, in animæ brutorum muneribus, ut etiam in humanæ *perfectionis progressionem* haberi; & in individuo recens animato nondum animam integrum, atque perfectum suorum munerum exercitium habere, ut habebit, quum corporis organa perfectam omnino structuram adepta fuerint. Hujus ratio est, quia in bruto, ut in homine, animæ munera a magis, minusve libero, atque perfecto organorum, quibus conjuncta est ministerio pendere videntur (1065, *&* 1308).

V. Certum est, in brutis, ut & in homine, essentiale organorum vitium inferre animæ a corpore separationem. Hinc bruti interitus.

Quum vero brutum interit, quænam *substantia sensibilis*, *& non intelligentis*, immaterialis, qua animatur, fors est? Duæ hac de re sunt philosophorum sententiæ: sentiunt alii, tunc animam a Deo ipso ad nihilum redigi, utpote nullum amplius habentem finem, quem assequatur. Alii, qui mitius metempsychosim sequuntur, sentiunt animam hanc a Deo conservari ad alia ejusdem speciei individua animanda (1304).

SECTIO III.

AUGMENTUM, ET INTERITUS CORPORIS ANIMALIS; ET HAC DE RE NATURÆ LEGES.

1346. OBSERVATIO. Universæ *de anima* tum hominum, tum brutorum *theoria* coronidem ponemus observationibus, atque animadversionibus nonnullis de augmento, atque interitu animalis corporis ab utraque animati.

Observationes, atque animadversiones hæ humanum corpus potissimum respicient. Facile erit eas certis limitibus circumscriptas brutorum corpori accommodare.

AUGMENTUM.

1347. OBSERVATIO. Corporis animalis augmentum philosophi animadversione dignum est. Experientia constat, speciem humanam potissimum considerando, *fœtum* in matris sinu magis, magisque crescere usque dum nascitur. *Infantem* contra ad pubertatem usque minus, minusque crescere; *puberem* veluti ex abrupto crescere, & brevi eam corporis proceritatem assequi, quam semper obtinere debet, non nisi latitudine augmentum habiturum donec decrescere incipiat, & deperire. Idem ferme de omnibus viviparis brutorum speciebus dici potest. Hæc illustriores physici, celebris Buffonius præsertim, observarunt.

I. *Fœtus*, qui primitus non nisi molecula organica est, *punctum vivens*, *& saliens*, magis in dies crescens hanc ferme progressionem sequitur.

Men-

Menſe primo pollicem ferme longus eſt; altero pollices duos cum quadrante; tertio, tres cum dimidio; quarto, pollices quinque, & ultra; quinto, ſex cum dimidio, aut ſeptem; ſexto, octo cum dimidio, aut novem; ſeptimo, undecim, & ultra; octavo, quatuordecim; nono, pollices duodeviginti.

Mediam hic menſuram ſumimus inter majores fœtus, qui nono menſe naſcentes undeviginti, aut viginti pollices obtinent, & minores, qui quatuordecim tantum longi ſunt.

II. *Puer* contra, qui pollices duodeviginti altus erat quum naſceretur, minus, minuſque creſcens, annos natus ſeptem ferme pollices auctus eſt; altero anno quatuor ferme pollices augetur, tertio tres: deinde ſingulis annis ad pubertatem uſque non niſi pollices duos creſcet, aut unum cum dimidio.

III. Quum *pubertatem* attigit, natura in illo vires ſuas undequaque exerere videtur, ut opus ſuum expleat, atque perficiat. Brevi quam toto vitæ tempore habere debet, proceritatem obtinet.

1348. EXPLICATIO. Phyſiologiæ principiis conſtat, phyſicum animalis vitæ machinamentum in homine, & in brutis plerisque a duabus cauſis præcipue pendere; a *vi* ſcilicet *expanſiva* cordis, quod ſanguinem premit, & ad omnia membra urget; & a membrorum *vi reſiſtente*, quæ ſanguinis impulſum coercentia ad cor remittunt. Hinc tria diverſa phænomena explicantur, quæ in homine creſcente, ac in univerſa illa animalis regni parte, cujus organa humanis magis analoga ſunt, obſervantur.

I. Facile, & promptum *fœtus* in materna alvo incrementum & a maxima cordis expanſiva vi procedit, & a maxima membrorum natura viſcidorum, & mollium ductilitate, quæ

eorum extenſioni, & expanſioni minimam reſiſtentiam opponunt.

Dum fœtus in matris alvo creſcit, majori proportione vis expanſiva cordis creſcit, quam membrorum ſeſe explicantium creſcat vis reſiſtens. Hinc in fœtu incrementum ad nativitatem uſque ſemper majus.

II. In *infante* jam nato activa aeris vis ambientis, & reſpirati, ciborum, quibus alitur, natura terrea magis, ac minus pinguis, ejus fibras, muſculos, viſcera, organa omnia, ſubſtantiam omnem magis, magiſque confirmant, ac roborant.

Majori tunc proportione membrorum expanſioni reſiſtentia creſcit, quam creſcat vis expanſiva cordis, a qua membrorum expanſio potiſſimum derivatur. Hinc infantis incrementum a nativitate ad pubertatem decreſcentibus gradibus procedit.

III. Infans jam *puber* effectus copioſos habet nutritios ſuccos; quæcumque horum cauſa ſit, in ſanguine, & humoribus accumulatos. Hi magna vi vaſa omnia dilatant, per quæ fluere debent. Horum pars ſucceſſive, at brevi tempore condenſatur, ac coagulatur in interſtitiis a violenta venarum, arteriarum, fibrarum, membranarum, muſculorum, carnis, membrorum omnium extenſione effectis.

Expanſionis vis a cordis, actione, & a nutritiorum ſuccorum copia producta *majorem* aliquo tempore *rationem* habet, quam vis adhæſionis, aut reſiſtentia a membris oppoſita. Ex tranſitorio hoc vis exceſſu materialis natura *puberis individui* ita brevi creſcit, & explicatur, ut *vis expanſiva* ſanguinis, & humorum, non amplius *reſiſtentem* membrorum *vim* excedat, & vincat; hæc vero in dies creſcunt, ſolidantur, confirmantur.

IV. Tamdiu æquilibrium hoc inter vires expan-

pansionis, & adhæsionis magis, minusve perfecte perseverat, quamdiu prima vis *æqualitatis rationem* ad alteram servat.

At vero quum membrorum resistentia in dies crescat a prima infantia ad senectutem; vis vero activa cordis, sanguinis, humorum in homine triginta, aut quadraginta annos nato non amplius crescat; imo subinde in senium declinando magis, magisque minuatur; ab hoc æquilibrio ablato tandem animalis machinæ jactura, & solutio sequi debet; ut quamprimum explicabimus.

PERIODI CERTÆ IN FOETUS FORMATIONE.

1349. OBSERVATIO. Satis fuse in altero physicæ nostræ volumine de magno *Reproductionis entium viventium* phænomeno agimus in viviparis, & oviparis speciebus. Ibi ostendimus hanc viventium æque, ac vegetantium reproductionem semper fortasse abditum humanæ menti mysterium futuram; omnemque humani ingenii sagacitatem, etsi hac in re probabilitatem aliquam assequi fortasse potest, nunquam tamen nuturæ arcanum omnino detecturam. Nos hic, jam fœtum in matrice, aut in ovo speciei suæ esse supponentes, tantum perpendemus num *perfecta suæ formationis periodus* in primigenio suo domicilio antequam in lucem prodeat in eadem specie variabilis, an constans sit.

I. Omnium physicorum observationes ab Hippocrate, & Aristotele ad hæc usque tempora concordes probant, *in omni vivipara brutorum specie gestationis tempus certum esse, & immutabile;* adeo ut, data die conceptionis in quavis vivipara brutorum specie, tempus ferme

definiri possit, quo fœtus omnino perfectus sit. Tempus hoc a natura statutum est, fore menses undecim equis, & asellis, menses novem vaccis, octo cervis, quinque ovibus, & capellis, duobus canibus, uno leporibus, & cuniculis; atque ita de ceteris.

Quare perfecta fœtus formatio in viviparis omnibus certam, ac definitam periodum habet a natura statutam, quæ in naturali rerum ordine varietati non est obnoxia. Fœtus ante tempus a natura definitum nosci potest; tunc vero nondum perfecte formatus est, *præcox* vero iste *ortus* a fortuitis causis procedit, quæ naturalem rerum ordinem perverterunt. Potest quoque fœtus ultra tempus a natura definitum fortuitis causis in matris utero detineri; tunc vero *serus* iste *ortus* aut fœtui, aut matri, aut utrique funestus est.

Tempus hoc gestationis in quavis brutorum specie a natura definitum neque ex varia climatis temperie, neque ex vario corporis habitu, neque ex varia alimentorum qualitate mutatur. In zona torrida æque, ac in frigida idem est gestationis tempus eidem speciei regiones illas incolenti; etsi tam varia illarum temperies sit, tam varia vegetabilia, quibus plurimæ brutorum species aluntur. Robustæ cervæ non citius fœtandi tempus advenit, quam infirmæ; imo sæpius primæ fœtus infirmus est, alterius robustus. Idem de ceteris brutorum speciebus dici potest.

Rei hujus ratio est, quia fœtus animalia, & vitalia munera in matris alvo a maternis muneribus ferme segregata sunt. In placenta locatus, quæ veluti sui pars est, organa sua habet, sanguinem suum, humores, motus suos habet; a matre vero nutritium succum tantum haurit, quem satis verosimiliter umbilico ebibit, ore, poris suis absorbentibus: similis, inquit

quit recens physicus (*a*), plantæ parasitæ, quæ illam, cujus humore nutritur, destruere posset, se incolumi. Materna alvus speciei suæ congruum illi habitaculum præbet, calorem suæ dilatationi opportunum, succum nutritium naturæ suæ analogum. Cetera omnia in illo *immutabiles animalis œconomiæ* leges operantur; ipsumque a matre independentem efficiunt, quamdiu matris habitus peculiaris vegetationis suæ œconomiam non vitiat.

Tempore a natura definito; puta, octo mensibus exactis pro cervis, quinque vero pro ovibus; fœtus a proprio suo habitaculo expellitur, non proprio pondere, quod obstacula, quibus detinetur, vincere non valeret; non propria actione, fœtus enim mortuus æque erumpit, ac vivus; non ulterioris dilatabilitatis in matrice defectu; posset enim hæc duplicem sæpius continere, quum unum tantum emittit; at ipsa matricis actione, quæ maxime irritabilis, natura ipsa summa vi contrahitur quo tempore fœtus jam maturus est; quæque violenta hac contractione sese sarcina exonerat, cui ipsa non amplius utilis est, aut necessaria.

II. Mirum sane est, physicos, qui fœtus formationem *certis, & immutatis legibus* subesse concordes fassi sunt, in viviparis brutorum speciebus; tanto tempore nullis solidis rationibus *ordinem* in formatione humani fœtus *omnino diversum* admisisse.

Quarenam natura, quæ certas, & immutatas leges cuilibet brutorum speciei in gestatione statuit; fœminis etiam certas, & immutatas

(a) *Ludovicus, seu* Louis *celebris chirurgus egregio opere suo* de feris ortubus; *a quo hic nonnulla mutuamur.*

tas geſtationis leges non ſtatuerit? ſeu quarenam natura, quæ leges ſuas in brutorum propagatione nunquam intervertit, eas in humanæ ſpeciei propagatione interverterit?

1350. NOTA. Celebris Hippocrates de naturalis partus limitibus agens eos a diebus centum, & octoginta duobus ad dies ducentos, & octoginta extendit; a ſex menſibus ſcilicet ad menſes novem, & dies decem. Ariſtoteles Hippocratis auctoritate deceptus hoc medicinæ oraculum omnino ſecutus eſt. Hanc vero ſententiam aſſumens *dogma* veluti *philoſophicum* ſtatuit, de quo duodeviginti, aut viginti ſæculis ne dubitandum quidem phyſici cenſuerunt.

I. Ariſtoteles ex Hippocratis ſententia *variabilem periodum* humani fœtus formationi hoc pacto tribuens, hanc phænomeni, & naturæ in agendo varietatem inæquali matrum habitui tribuit, quæ inæqualitas, inquit, humanam ſpeciem a communibus geſtationis legibus eximit, quibus aliæ brutorum ſpecies obtemperant.

Quaſi vero minor virium, & roboris in variis brutorum ſpeciebus, quam in humana ſpecie, inæqualitas haberetur; ſeu quaſi hæc virium, & roboris inæqualitas naturæ leges, & ordinem pervertere poſſet in ſubjecto ab illis non pendente neque in humana ſpecie, neque in diverſis viviparis brutorum ſpeciebus.

II. Recentiores phyſici de naturæ ordine, & legibus aptius eruditi, Ariſtotelis ſententia rejecta, & *certas, atque immutatas leges* in humani fœtus formatione admittentes, ut in viviparis brutorum ſpeciebus, plane agnoverunt.

Perfectam hanc humani fœtus formationem in univerſis hominum ſtirpibus ſive in torrida zona, ſive in frigidis, ſive in temperatis, tum in veteri, tum in novo orbe *novem expletorum men-*

mensium periodum postulare, quin admodum ab hisce limitibus natura recedat.

Fœtum ante menses novem expletos nasci posse, quia fortuitæ causæ illum ante perfectam formationem e materna alvo expellere possunt; & post septem menses satis perfecta esse ejus organa, ut vitæ spes sit; ut experientia probat.

At fœtum diu ultra menses novem in materno sinu detineri non posse, nisi a fortuitis causis illic per vim detineatur, ac pereat. Eaque omnia, quæ tum in antiquis, tum in recentioribus historiis leguntur de quibusdam seris ortubus post menses undecim, aut duodecim, non nisi fabulam esse ab Aristotelis sententia enatam, ab inscitia admissam, ab infidelitate conjugali, & a peculiari auctoritate propugnatam; aliquando etiam a legibus receptam, aut toleratam.

1351. OBJECTIO. Sunt ne *naturæ leges* ita semper, & generatim immutabiles, ut esse supponuntur? Quot mutationes & in animali, & in vegetabili regno leges hæ non subeunt? Seu potius nonne aliquando peculiare phænomenon naturæ lex esse perhibetur, quum nullo pacto tali nomine dignum sit?

Exempli causa; quare, quave ratione in humanorum fœtuum ortum *definita periodus* statuatur; quum neque pro pubertate, neque pro virili ætate, neque pro senectute hujusmodi periodus habeatur? in Europa puellæ nubiles non sunt nisi ad decimum tertium ætatis annum: ætate perfecte vigent anno quinto supra vicesimum. In Arabia, & in pluribus aliis Australibus octavo, aut nono ætatis anno nubiles sunt; vicesimo quinto jam senescunt.

Pari ratione quare definitum tempus humani fœtus formationi statuatur, quum plantarum germinibus explicandis, & in terræ sinus formandis definitum tempus non sit? In frigidis

regionibus citius feritur, ferius metitur, quam in calidis: in eodem climate, atque in solo eodem germen grani frumenti, bulbi tulipæ, radicis ranunculi, ceterarumque plantarum modo serius, modo ocius explicatur, pro diversis circumstantiis explicationi faventibus, aut officientibus; quare ergo id quoque germini, a quo animale corpus prodire debet, non contingat?

RESPONSIO. Certum est *immutabiles in natura leges* haberi; hoc enim, ut & corpora ipsa dari, experientia, observatio, ac certissimum sensuum testimonium testantur. (502)

I. Lex naturæ nullam in suis effectibus mutationem patitur, quum nihil ejus influxum, & actionem impedit; *sæpius* tamen *lex una natura cum alia natura lege confligit: tunc vero ambarum legum effectus ex earum conflictu procedit.*

Exempli causa; datur *lex gravitationis*, qua globus ignivomus ad terræ centrum tendit; & *lex impulsionis*, qua idem globus in tormento bellico finitori normali positus pulveris pyrii actione sursum trudi debet. Hujus globi motus ambarum harum naturæ legum effectus est. Leges immutabiles sunt; sed toto tempore, quo globus a terræ centro recedit, invicem opponuntur.

II. Quandoquidem natura sese recte ordinatam, constanter, certis, & immutatis legibus obtemperantem ostendit in phænomenis omnibus, quæ nobis exhibet, & in omnium præsertim viviparorum brutorum propagatione; quare in humanæ speciei propagatione diversa esset?

Nulla omnino ratio afferri potest probans, naturam in humani fœtus formatione minus uniformem, atque constantem esse debere, quam in brutorum viviparorum speciebus sit. Quum vero experientia ostendat, in quavis bru-

brutorum specie naturam certas leges sequi; quam validis rationibus opus esset, ut in humana fœtus formatione naturam variabiles leges sequi probaretur?

Quæ quum ita sint, *humani fœtus formatio in materna alvo ita certis legibus, ac definita periodo alligata esse debet*, ut est in cervis, in ovibus, ceterisque; leges enim animalis propagationis æque immutabiles, ac natura ipsa esse debent; neque leges hæ majora obstacula in humana specie offendunt, quam in brutis.

III. *Definitam periodum non habet humana species, pubertatis, virilitatis, senectutis*; varii enim hi status ab innumeris causis extrinsecis, & fortuitis plurimum pendent, quæ immediate in individuum agunt, quæque sub aliquo cælo id illi accelerant, quod sub alio retardant.

Cælum magis minusve fervens; athmosphera animali œconomiæ magis, minusve opportuna, alimenta magis minusve salubria, & activa, irritantia, apta organa vel explicare, vel deterere maximam in hominibus phænomenorum diversitatem ab infantia ad senectutem parere possunt.

Non idem vero de humano fœtu in utero censendum. Ibi ille vegetans tantum, & uniformi in temperie tum hyeme, tum ætate vivens in Laponia æque, ac in Arabia, nullas externi aeris varietates sentit, aut patitur. Ibi, ut germen in ovo a gallina foto, peculiarem sibi rerum ordinem habet; neque, ut vegetet, alio indiget, quam certo *animalis caloris* gradu, qui in humana specie semper ad sensum sub quovis cælo idem est; & *liquore nutritio*, qui in matris vasis elaboratus jam, & dispositus, iterumque in fœtus vasis sese disponens paucas admodum ex iis varietatibus servat, quas soli, & cæli diversitas illi tribuere potuit.

IV.

IV. Si quod in humana specie inter matres discrimen est animalis caloris, & nutritii succi a quibus fœtus formatio habetur; certo asseri potest, hoc tantun non esse, ut tempus a natura statutum ad fœtus formationem admodum pervertere possit. Quum enim hæc temporis inæqualitas inter arctissimos limites contineatur in omnibus brutorum speciebus, quare ita quoque in humana specie non coarctetur?

V. In *oviparurum specierum propagatione* natura quoque certas, & immutatas leges sequitur. Nos vero experientia docet, fœtus formationem quadraginta ferme incubationis dies postulare in ovo gallinæ Indicæ, viginti, aut unum supra viginti in ovo gallinæ, ferme duodecim in ovo passeris canarii; atque ita de reliquis.

Etsi plura externa, & fortuita naturæ legibus opponantur in *oviparorum fœtus formatione*, quam in humani fœtus; certum tamen est, temporis diversitatem in eadem specie ex his caussis minimam esse. Quare ergo in humano fœtu tanta sit, quantam olim nonnulli esse voluerunt?

VI. *Plantarum vegetatio* in germinis explicatione certis quoque, & immutatis legibus regitur, quæ eadem semper ratione procedunt, nisi ab aliis naturæ legibus præter morem aut juventur, aut impediantur.

At vero hæc plantarum vegettio in germinis explicatione plurimum pendet, & a diverso, quo afficitur, caloris gradu, & a diversa humoris copia, qua penetratur, a diversa soli natura, quod ejus veluti matrix est, a fortuitis aliis causis, quæ alicubi, & quodam tempore vegetationem juvant, & accelerant; alibi, & alio tempore impediunt, & retardant; quæ in fœtus saltem viviparorum vegettione non contingunt; ut supra ostendimus.

Quare ex *plantarum germinis explicatione* ad ani

animalis fœtus vegetationem, præsertim in humana specie, ceterisque viviparis, nihil inferri potest.

VII. Quod magis facere videtur *pro variabili periodo formationis humani fœtus* est; alicubi, & aliquando magistratus legitimos judicasse infantes undecimo, aut duodecimo mense natos a patris obitu.

At enimvero si magistratus infantes hos in ordine civili legitimos judicarunt, non proinde illos natura legitimos effecerunt. Si municipales leges illi statuere, mutare, interpretari possunt; in immutabilibus naturæ legibus jus nullum habent.

1352. NOTA. Non raro humanus fœtus in utero notas quasdam contrahit, quæ *voluntates* passim dici solent. Has vulgus vehementibus quibusdam aut desiderii, aut timoris in matre prægnante impressionibus tribuere solet; etsi non nisi naturæ veluti ludi sint, & informes quædam concretiones, in quibus mater attonita similitudinem sibi videre videtur cum objectis quibusdam, quæ indicat; in iis tamen physicus nihil tale dignoscit (*Phys.* 559).

,, Quemadmodum sensationes nostræ, inquit ,, illustris Buffonius, nihil habent simile ob- ,, jectis, a quibus proveniunt; fieri jam ne- ,, quit, ut desiderium, timor, terror, alia ,, quævis, uno verbo, intima affectio, horum ,, eorundem objectorum imaginem exhibere pos- ,, sit (489, & 491).

,, Quum itaque fœtus hac in re non magis ,, a matre pendeat, a qua gestatur, quam o- ,, vum a gallina illud fovente; non magis cre- ,, derem, gallinam, quæ gallo collum obtorque- ,, ri viderit, pullos obtorto collo producturam, ,, quam illius fœminæ historiæ fidem habere, ,, quæ quum facinoroso membra rota diffrin- ,, gi vidisset, puerum diffractis membris pepe- ,, rit,

,, At

„ At modo vera hæc esse supponamus: sem-
„ per dicam, a matris phantasia hæc produci
„ non potuisse. Quid enim præstant metus,
„ & terror? motum intimum, seu si mavis,
„ in matris corpore convulsionem cient, qua
„ matrix concussa, agitata, compressa, coar-
„ ctata, relaxata fuerit. Quid vero ex hac
„ agitatione sequi potest? nihil suæ causæ si-
„ mile. Si enim vehementissima hæc agitatio
„ fuit, intelligimus, fœtum gravi ictu percul-
„ sum iri; quo enecabitur, lædetur, aut mem-
„ brum aliquod ceteris gravius affectum dif-
„ forme fiet. At qua ratione concipiemus,
„ motum hunc, seu commotionem matrici com-
„ municatam posse in fœtu aliquid efficere *si-
„ mile matris cogitationi*; nisi si cum Harvejo
„ dicamus, matricem ideas concipiendi, & ea-
„ rum objecta fœtui imprimendi facultatem
„ habere?

„ Fœtus, ut monuimus, nihil cum matre
„ commune habet. Ejus munera a matre non
„ pendent, Sua habet organa, sanguinem suum,
„ motus suos; porro hæc omnia sua sunt, &
„ sibi peculiaria. A matre tantum habet nu-
„ tritium illum liquorem, seu lympham a ma-
„ trice desudantem. Si lympha hæc vitiata
„ est, si lue celtica infecta, fœtus ægrotat; &
„ vitia omnia fœtum afficientia a matre illi
„ communicari patandum est (1349).

„ Scimus præcipue, luem contrahi, & nimis
„ multa sunt exempla probantia a patrum vi-
„ tio natos infici, & interire. Lues hæc so-
„ lidas ossium partes invadit; imo semper ma-
„ jori vi solidiores, & medias ossium partes
„ invadere videtur. Scimus enim ossium ini-
„ tium fieri a media illa parte, quæ prima du-
„ rescit, & diutius ante ossium extrema con-
„ crescit. Censeo igitur, si fœtus, ut o-
„ mnino fieri potest, hoc morbo afficitur in
„ utero, fieri omnino potuisse, ut diffractis os-

„ sibus

„ sibus nasceretur, diffracta enim re ipsa ab „ hac lue fuerunt.

„ Rachitis eundem effectum parere potest: „ In regio museo sceleton est pueri rachitici, „ cujus brachiorum, & crurum ossa in media „ eorum longitudine callos habent. Ex hoc „ sceleto inspecto dubitari jam nequit, puerum „ hunc quatuor horum membrorum ossa dif- „ fracta non habuisse dum in utero gestaretur. „ Subinde ossa conglutinata sunt, & in callos „ concreverunt.

„ Quum sæpius de his *puerorum notis* sermo „ sit, & quum passim magis fabulis, quam phi- „ losophicis rationibus fides habeatur; ne cre- „ das, te unquam mulierculis persuasurum, „ has filiorum suorum notas nihil commune „ habere cum desideriis, quæ ipsæ explere non „ potuerunt. Ceterum nonne ab ipsis peti pos- „ set, antequam parerent, quænam earum de- „ sideria inexpleta fuerunt; & quænam ex „ his notæ futuræ sint, quibus earum filii in- „ signiti nascentur? Aliquando hæc matres in- „ terrogavi; illæ mihi iratæ sunt, convictæ „ nunquam ".

INTERITUS.

1353. OBSERVATIO. Postquam qua ratione incrementum fiat novimus, difficile non erit qua ratione interitus sequatur intelligere, sive in humano, sive in brutorum corpore. Ad hoc satis est mutationes considerare, quæ in animali corpore fieri debent in *vi expensiva cordis*, sive visceris, quod ejus vices gerit, & *vim* membrorum *resistentem*.

Humanum corpus genericum hac in re nobis exemplum erit; quæ vero de hoc dicemus facile erit opportune modificata diversis brutorum corporibus accommodare.

I. Quo magis homo ætate progreditur, præ- fer-

fertim poſtquam omnino perfectum incrementum eſt aſſequutus, *diverſæ ſui corporis partes in dies, & in annos magis magiſque ſolidantur, & rigeſcunt.* Hoc experientia probat, & rerum natura rationem hanc ſequi debet.

In machina animali ex legibus gravitationis, ex ſanguinis, & humorum impulſu, ex muſculorum preſſione, & reactione plurima vaſcula perpetuo infirmantur, & vitiantur, paulatimque in totidem fibras fluidis impervias mutantur; ita vero mutata plurimæ inſenſiles circulationis, & nutritionis ſalubres vias intercipiunt.

Varia liquida, uti chylus, bilis, ſanguis, cetera, in dies minus pinguia, minuſque fluida adhærent magis, difficilius permeant tenuia, ac magis reſiſtentia vaſa; majori difficultate corpus circumeunt.

Membrana, quam textum cellularem vocant queque in cellulas retis inſtar diviſa totum corpus conveſtit, diverſis partibus modo pingue involucrum præbens, quibus ſervantur, & nutriuntur, modo molle, & tenax vinculum, quo cohærent, quin mobilitate deſtituantur; textus, inquam, cellularis mutabilis, & lædi facilis craſſior in dies fit, ac rigidior; minus in dies, & annos flexilis evadit, magiſque aſper, ac magis liquidis permeantibus obſiſtens, a quibus alitur, atque actionem, reactionem, perfectionem mutuatur.

Cartilagines, corpora ea ſolida, quæ ab oſſibus non niſi rigiditate, & duritie diverſa videntur, florenti ætate flexilia, & elaſtica, magis magiſque annis volventibus rigeſcunt. Ex his plurima tandem oſſa fiunt; qua re animalis œconomia maxime immutatur.

Pulmo unum inter viſcera ampliſſimum, & maxime leve, mira veſcicularum, & vaſculorum aereorum congeries, cui perpetua aeris actio, & reactio minus mollitiei, plus vero inflexi-

flexibilitatis inducit, minus minusque in dies dilatationi consentit; magis, magisque perpetuæ sanguinis ejaculationi opportunus fit, quem in ipsum dexter cordis ventriculus propellit; hac vero semper aucta resistentia quum successive mechanicam cordis actionem infirmaverit, a quo universæ animalis œconomiæ motus pendet, tandem illam destruit, ac ad nihilum redigit (*Phys.* 540).

Sanguis ipse, fluidum illud a ceteris omnibus conflatum, substantia ista reliquarum substantiarum omnium nutritium succum continens; sanguis, qui ad annum usque trigesimum quintum massa, & volumine crescit, quin qualitate, & perfectione ad sensum decrescat; tandem viribus decrescit ea ratione, qua suorum vasorum resistentia crescit; & paulatim obstaculis cedens, quæ innumeras vias permeando offendit, non amplius in primis suis officinis perficitur, & lubricus fit; fluiditatem successive amittit, atque activitatem; substantia tandem fit minus pinguis, ac magis terrea. Hinc majores resistentias invenit dum circuit; quem ambitum quum minus libere, ac perfecte peragat, tandem animalem œconomiam perturbat, ac vitiat.

II. Quid ex his omnibus tandem consequitur? *natura postquam omnino explicata est, vis activa cordis, & sanguinis perpetuo minui debet, dum membrorum vis resistens perpetuo augeri debet.* Hinc vires hæ oppositive eo pervenire debent, ut actio primæ nulla sit respectu alterius.

Hinc physici machinamenti vitium gradatim procedens, a quo est alimentorum trituratio, digestio, in nutritios succos mutatio, qui ad animalis naturæ jacturas reparandas instituti sunt.

Hinc successiva, etsi insensibilis, & diuturna præcipuarum partium organicæ structuræ de-

debilitatio; in nervis scilicet, in musculis, in omnibus sensus, & motus organis.

Hinc post magis minusque diuturnum tempus cartilaginum, ossiumque contractio, & compressio; quare quum *partes solidæ* non amplius, ut antea separatæ, & rectæ sint a nutriente substantia, quæ poros replebat, pondere, quo premuntur, constipantur: invicem accedunt, flectuntur, & diversas in partes incurvantur; & rerum ordinem pervertentes humores permeare difficilius sinunt, sanguinem ipsum, & spiritus vitales; atque omnia vitæ munera difficilius peragi sinunt.

Hinc, præter eas omnes interitus causas, quæ interius, & exterius exoriri possunt, senectus, defectio, dissolutio, mors; sive substantiæ immaterialis, ab organica, cujus structura vitiatur, separatio (1061, & 1345).

In hominibus, ut in plerisque brutorum speciebus hæc separatio habetur, & vita cessat quo ipso temporis momento *cordis actio* cessat; a qua primo procedit, & cum qua generatim, & sine remedio omnis œconomiæ animalis actio intercidit.

UNIVERSÆ ANIMÆ THEORIÆ SYNOPSIS; SIVE:

CONCLUSIO. *Anima humana, & anima brutorum* observationum, & ratiocinationum nostrarum hactenus argumenta fuerunt. Utraque substantiam materialem, & organicam animat, quin cum illa quidpiam natura commune habeat, Prima a suis operationibus sentiens & intelligens indicatur; altera suis ipsis operationibus sentiens tantum, non vero intelligens indicatur.

Ex observatione, & phænomenis demonstratum est, animam humanam esse *substantiam spiritualem.*

Ex

Ex ipsa observatione, & phænomenis verosimillimum apparet, imo vero ferme demonstratum videtur, animam brutorum esse *substantiam mediam inter materiam, & spiritum,* natura ipsa ab hoc, & ab illa omnino diversam.

Finis Tractatus Sexti.

THE-

THEORIA
ENTIUM INSENSIBILIUM
SIVE
METAPHYSICA UNIVERSA SACRA ET PROPHANA.

TRACTATUS SEPTIMUS.



THEORIA METAPHISICA MATERIÆ.

1354. OBSERVATIO. M*ateriæ* nomine, quæcumque ejus essentia, & natura sit, substantias omnes sensibiles intelligo visibilem hanc rerum universitatem componentes; substantias omnes, quæ in majorem, minoremve massam, in majus, minusve volumen collectæ aptæ sunt quovis modo aliquem ex nostris sensibus afficere, sive in illo organicam quamcumque concussionem parere, ex qua anima nostra ejus naturam, aut præsentiam noscere possit.

I. Materia & metaphysica consideratione perpendi potest, unice *ex idearum testimonio*; & physicis observationibus *ex sensuum testimonio*. Postrema hac ratione materiam in universa physica nostra perpendimus; nunc eam prima ratione ultimo hoc metaphysicæ nostræ tractatu considerandam assumimus.

Evidens est, materiam aliqua ratione consideratam ad metaphysicam spectare; omnia enim in materia *sensibilia* non sunt, Exempli causa:

sa: quænam est materiæ essentia? quænam sensibilium materiæ accidentium natura est? Objecta hæc sunt, quæ sensus non attingunt, de quibus experientia, & observatio notionem nullam præbent. Spectant hæc ergo ad metaphysicam, cujus ea omnia, quæ ex sensuum testimonio cognosci nequeunt, objectum sunt.

II. Metaphysicæ de materia disquisitiones ad quatuor has quæstiones re ipsa adduci omnes possunt, quæ ejus essentiam, sensibilem qualitatem, existentiam, actionem respiciunt.

In quo sita est *materiæ essentia*; seu quænam est hæc proprietas ejus naturæ intrinseca, quæ illam materiam potius esse facit, quam aliud quidpiam?

In quo sita est *sensibilis materiæ qualitas*; seu quænam est hæc proprietas ejus naturæ intrinseca, vel extrinseca, qua sensus nostros afficere apta est?

Materia, quam videmus, semper ne extitit, aut aliquando *esse cœpit*?

Materia, quam agentem videmus, intrinsecam ne energiam habet, quæ ejus actionis verum principium, & causa efficiens sit; vel universam actionem suam habet a causa a se distincta, & ejus naturæ extrinseca?

III. Ex *quatuor hisce quæstionibus* duæ postremæ ex naturali rerum ordine in tractatibus de Deo, & de anima humana, ad quos necessario referuntur, jam pertractatæ sunt. Ibi satis ostendimus ex ipsa rerum idea, sive ex præcipuo omnium humanarum cognitionum principio (417):

Materiam de se *substantiam* tantum *inertem* esse; quidquid vero actionis habet, id a causa naturæ suæ extrinseca mutuari (759, 762, 880, 895, 1070, 1216, 1221, 1222).

Materiam de se esse tantum *substantiam cæcam* ad cogitandum, ad sentiendum, ad ideas prototypas, ad res invicem conferendas, ad se-

se

ſe certis legibus dirigendam, ad ſeſe in organa efformandam, & ordinandam, ut eam efformatam, & ordinatam videmus, neceſſario ineptam; quidquid vero ordinis, ſymmetriæ, proportionis in viſibili natura intuemur, a ſubſtantia infinite activa, & intelligente proficiſci debere, quæ nihil natura cum materia cæca, & inerte commune habere poteſt (765, 795, 877, 897, 1042, 1046, 1049, 1068, 1216, 1222, 1226).

Materiam æternum non extitiſſe; & tantum initio temporum exiſtere cœpiſſe *vera creatione*, & libera, atque efficaci entis ab ipſa natura diſtincti, & eſſentiali naturæ ſuæ exigentia, atque infinita naturæ ſuæ activitate æternum exiſtentis actione (759, 798, 881, 884, 899, 900).

IV. Reliquum itaque eſt, ut quæ in materia ad *ejus eſſentiam*, *& ſenſibilem qualitatem* ſpectant perpendamus. Hæc tractatu hoc diſcutiemus, cui coronidis loco erit ſectio peculiaris de metaphyſicæ cum phyſica nexu, ac relationibus.

SECTIO PRIMA.

ESSENTIA MATERIÆ.

1355. OBSERVATIO. Natura, ut religio, myſteria ſua habet. Qui ſe in utraque myſteria invenire miretur, recte nondum philoſophari cœpit. Mens humana, ut oceanus, limites habet, quos prætergredi nequit; *uſque huc venies*, dixit mari Deus, *& non procedes amplius; & hic confringes tumentes fluctus tuos*. Hæc quoque humanæ menti nimis alte ſe efferenti dicta intellige.

Inter materialis naturæ myſteria, unum eſt uni-

universis suis partibus veluti inhærens, essentiæ suæ nempe mysterium. Quænam *materiæ essentia* est; sive proprietas hæc intrinseca, qua fit, ut hæc substantia materia potius sit, quam spiritus, aut alia quæpiam substantia a materia, & a spiritu diversa?

Quæstio hæc ex iis est, in quibus quo magis philosophia imbuti sumus, magis hæremus. In problemate hoc solvendo omni ætate acutissimi philosophi frustra insudarunt. Natura eo magis mysterium celavit, quo magis illud detegere conati sunt.

VARIÆ DE ESSENTIA MATERIÆ PHILOSOPHORUM SENTENTIÆ.

1356. OBSERVATIO. Quidquid philosophia *de materiæ essentia* protulit, de ea scilicet specifica proprietate, qua materia potius efficitur, quam spiritus, aut substantia alia a materia, & spiritu distincta, quinque hypothesibus continetur, quas paucis indicare pergimus.

Ex harum expositione, quæ quidquid de materiæ essentia excogitari potest, complecti videntur, apparebit, hanc materiæ essentiam, sive *proprietatem hanc distinctivam*, qua materia determinatur, ut materia sit, & ignotam esse, & verosimiliter imposterum quoque ignotam futuram.

TRIPLEX DIMENSIO DETERMINATA.

1357. SENTENTIA I. Cartesius materiæ essentiam statuit in *triplici dimensione determinata*, sive in actuali, & determinata extensione in longum, latum, & profundum. In hac hypothesi, seu sententia corporis cujusque essentia crescit, aut minuitur ea prorsus ratione, qua hujusce corporis actualis & de-

terminata extensio crescit, aut minuitur. Ex his in Cartesii sententia necessario sequitur:

I. *Compenetrationem repugnare*, sive absolute fieri non posse, ut duo corpora idem spatium occupent. Ceterum, inquit ipse, duo corpora, quæ necessario essentias duas habent, jam unicam essentiam haberent: utraque enim identificata essent cum una, eademque determinata extensione, quæ eorum essentiam formaliter constituit.

II. *Reproductionem quoque repugnare*; sive absolute fieri non posse, ut unum, idemque corpus simul, & eodem tempore in duobus diversis locis sit, puta, Romæ, & Parisiis, in cælo, & in terra. Ceterum, inquit ipse, unicum idemque corpus, sive una eademque essentia identificata esset cum duabus diversis extensionibus; adeoque cum duabus diversis essentiis; hæc vero ex unico corpore corpus non unicum efficeret, ac de unica essentia essentias duas. (*a*)

1358. NOTA. I. Nondum perpendentes possint ne haberi compenetratio, & reproductio, claram, atque distinctam notionem exhibere pergimus significationis, quam binis hisce terminis sententiæ hujus assertores, & oppugnatores tribuere solent.

I. *Conpenetratio* censetur esse plurium materiæ elementorum unius in altero existentia.

Exempli causa, compenetratio habebitur, si elementum A existat in alio elemento B; sive si bina hæc elementa existant in tertio elemento C; quin hæc, quæ ante compenetrationem distinctum spatium singula occupabant, & mo-

(a) *Quam hic* Reproductionem *auctor appelat, theologi passim* replicationem *appellare solent*, (*Interpres*)

& modo unum tantum ex hisce spatiis omnia simul occupant, essentiam suam amittant; quin id ullo pacto esse desinant, quod intrinsece prius erant, etsi novum existendi modum acquirant compenetrata.

Pari modo, ponamus marmoreos globos duos diametro unius pollicis nullum habentes porum, aut vacuolum. Si divina omnipotentia primum globum in altero collocat, ita ut bini hi globi simul sumpti illud præcise tantum spatium occupent, quod alter globus occupabat, globi hi duo erunt invicem compenetrati.

Hinc apparet, compenetrationem nihil cum condensatione, aut compressione commune habere; sunt hæc enim phænomena physica, quæ tantum corporis partes invicem approximant, quin eas invicem compenetrent.

II. *Reproductio* censetur esse unius, ejusdemque corporis eodem tempore diversis in locis existentia.

Exempli causa, si divina omnipotentia efficere potest, ut idem corpus quodvis, horologium, sella, conclave, simul sit Romæ, & Parisis, sive in Saturno, & in Jove; corpus illud erit reproductum.

Juxta communem catholicæ religionis doctrinam adorabile Christi corpus simul, & eodem tempore reproductione, & perpetuo miraculo existit in cælo, & in terra, in hostia Parisis consecrata, & in hostia Romæ consecrata; quin reproductione multiplex fiat; quin intrinsece esse desinat idem unicum, individuum, totum simplex christi corpus diversis in locis simul existens.

1359. NOTA II. Ut apte intelligatur quo differat compenetratio a compressione, & condensatione, satis erit postremarum claram notionem tradere, atque hanc cum de prima traditis comparare.

I. *Compressio* est physica operatio, qua partes corporis integrantes coguntur invicem accedere, & minora vacua inter se relinquere ex mechanica pressione, cui resistere nequeunt.

II. *Condensatio* est physica operatio, qua partes corporis integrantes invicem accedunt ex naturali earum affinitate: quum invisibile aliquod fluidum partibus horum corporum integrantibus interpositum, atque eas invicem accedere impediens, uti naturalis earum tendentia postulabat, e corpore evolat. Condensationi opposita est dilatatio. (Phys. 203, & 206,).

Compressio, & condensatio ambæ sunt tantum integrantium corporis cujusque partium mutua approximatio, in illa a mechanicæ, in hac a naturæ viribus effecta.

III. Corpora omnia solida natura compressibilia sunt. Corpora omnia solida, fluida, liquida natura condensari possunt.

At compenetratio in nullo corpore sine miraculo, eoque primæ classis haberi potest.

TRIPLEX DIMENSIO INDETERMINATA.

1360 SENTENTIA II. Catholici Cartesii discipuli quum viderint magistri sententiam cum præcipuis quibusdam de divina Eucharistia dogmatibus componi non posse, materiæ essentiam *in triplici dimensione indeterminata, & variabili* statuerunt. Ita sententiam Cartesii reformantes eam fidei, & rationi conciliasse putaverunt.

In hac sententia ita reformata determinata quævis materiæ quantitas, uti exempli gratia pedis cubici marmoris, in quo nec pori, nec vacuum ullum sit, essentia non est determinata pedis cubici extensio, sive factum ex tribus ejus dimensionibus, longitudine, latitudine, & profunditate; sed ejus essentia est extensio

quæ-

quævis *indeterminata*, & variabilis, quæ augeri poteſt, & minui in infinitum; quin corpus hoc, quod neceſſario eſſentiæ ſuæ identificatum eſt, eſſentiam proinde mutet in omnibus, quas experiri poteſt, extenſionis mutationibus.

Hac ratione ſententia hæc, inquiunt, cum compenetratione, & reproductione componitur; cum *compenetratione*; ſi enim ſupponatur Chriſti corporis, ut alius cujuſque, eſſentiam eſſe extenſionem indeterminatam; non id quod eſt, eſſe deſinet, nec eſſentiam ſuam amittet, ſi miraculoſa compenetratione ad triplicem ferme infinite parvam dimenſionem redigatur in hoſtia conſecrata, vel in vix ſenſibili ejus parte. Cum *reproductione*; ſi enim corporis Chriſti, ut alius cujuſque, eſſentia ſupponatur eſſe extenſio, ſeu triplex dimenſio indeterminata; poteſt corpus hoc eſſentia non immutata, & quod eſt perſeverans, naturalem, quam in cælis habet, extenſionem ſervare, & accidentalem eam in terris acquirere, quam in innumeris conſecratis hoſtiis obtinebit.

PARTIUM IMPENETRABILITAS.

1361. SENTENTIA III. Gaſſendus ingenioſus epicurræi ſyſtematis reſtitutor materiam conſideravit innumeris *elementis extenſis*, & *indiviſibilibus* conſtantem in infinito vacuo collectis, aut diſperſis. Et materiæ eſſentiam meditatus, ſive peculiarem eam proprietatem, qua ab omni non materia ſecernitur, ſitam eam eſſe in partium conſtituentium impenetrabilitate arbitratus eſt.

In ſuis de materiæ eſſentia meditationibus Gaſſendus ita proceſſiſſe videtur. Materiæ eſſentia in aliqua intima proprietate ſita eſſe debet, quam ſemper habeat, & qua ſemper a

quavis alia substantiæ specie differre possit. Porro in materia hujusmodi proprietas est *partium impenetrabilitas*.

I. Partium impenetrabilitas, dixerit puto, est *constans, & permanens materiæ proprietas*. Siquidem,

Si materiam consideremus, eam comprimi, densari, ejusque partes proximas indefinite fieri posse censemus; at nunquam fieri posse, ut ejus partes compenetrentur, sive ut una ex hisce partibus in alia sit.

Censemus quoque, quodvis materiæ elementum semper inamissibilem proprietatem habere exclusive in se existendi; seu a spatio, quod determinate ejus substantia occupat, quodvis aliud elementum excludendi.

Hinc illi sequi visum, *impenetrabilitatem partium materiæ* ab experientia simul, & a ratione demonstrari.

II. Partium impenetrabilitas, perrexerit ille, *est proprietas materiæ intrinseca, qua ab alia quavis rerum specie distinguitur*. Siquidem,

Ea a puro spatio distinguitur, quod & extensionem habet, & partes, ut materia; sed in se toto, & in suis partibus penetrabile est.

Ea a divina substantia distinguitur, a spirituum creatorum, a brutorum animæ substantia, a substantiis demum immaterialibus quibusque, quæ & inextensæ sunt, & partibus carent; & si partes in his concipere lubet, hæ non sunt impenetrabiles (358., & 1079.)

1362. NOTA. Maxime in principiis suis philosophica hæc meditatio est; non talis tamen est, quum adhibetur. Certum est, materiæ proprietatem inesse, qua distinguitur, quæ ejus essentiam constituit, quæ eam materiam potius facit, quam substantiam aliam; atque hanc peculiarem proprietatem, sive notam, sive ignotam, esse debere materiæ intrinsecam, quam semper habeat, & qua a quavis

alia

alia substantiæ specie distinguatur. At falsum est; hanc materiæ proprietatem in suarum partium impenetrabilitate esse sitam; ut quamprimum ostendemus.

I. Quum materiam observamus, ac meditamur, quæ primum menti sese offerunt, sunt ejus *extensio*, & *impenetrabilitas*: quæ duæ proprietates re tandem in unam, eamdemque recidunt. Hinc optimo jure inferimus, materiam in statu suo naturali extensione, & impenetrabilitate donatam esse.

At ut hanc extensionem, aut impenetrabilitatem *materiæ essentiam* esse dicamus; ostendendum quoque esset, perseverare illas in miraculoso rerum statu; ac repugnare, materiam unquam hac extensione, aut impenetrabilitate destitui, quam in suo naturali statu illi inesse deprehendimus.

II. Hæc Gassendi sententia a Cartesiana nomine tantum diversa est: utraque siquidem re ipsa in idem recidit.

Quid enim corporis, seu materialis elementi impenetrabilitas est, nisi proprietas determinata spatium occupandi, sive spatium hoc determinatum ita occupandi, ut ab illo corpus aliud quodvis, aut materiale elementum necessario excludat?

Quare vero corpus, aut elementum erit, aut videbitur necessario impenetrabile, nisi quia *inamissibilem extensionem* habet, aut habere videtur, quæ alteri corpori, aut elemento insuperabile obstaculum ponit, ne in eodem loco sit, quod ipsum occupat?

EXIGENTIA EXTENSIONIS, ET IMPENETRABILITATIS.

1363. SENTENTIA IV. In ideis, quas materiæ habemus, primas tenent extensio, & impenetrabilitas; eęque a materiæ essentia exclu-

cludi non posse videntur, in qua ad aliquid constitutæ profecto esse debent. Hinc orta est quorumdam philosophorum opinio, qui materiæ essentiam statuunt *in simplici extensionis, & impenetrabilitatis exigentia.*

In hac sententia corpus quodvis determinata magnitudine, puta, pes auri cubicus, miraculo, & omnimoda partium suarum compenetratione omni omnino extensione privari potest, vera essentia sua non amissa, quæ in ipso tantum est impenetrabilitatis, & naturalis extensionis suæ exigentia.

Divina omnipotentia, inquiunt, substantia hujus corporis non destructa, eam eo adducere potest, ut nullam omnino veram extensionem habeat: potest enim corpus hoc ita miraculose omnino compenetratum adhuc *naturalem exigentiam* suam extensionis, & impenetrabilitatis servare, a qua ejus essentia constituitur.

At hoc ipsum corpus naturali hac extensionis, & impenetrabilitatis exigentia privari nequit, quin esse, & existere desinat: hæc enim exigentia sua vera essentia est, sive id, quod illud esse facit, quod est.

1364. NOTA. Ideo sententia hæc a philosophia aliena excogitata fuit, ut Eucharistiæ mysterium quibusdam falsis de hoc mysterio conceptis ideis conciliaretur.

I. In Eucharistia, inquiunt sententiæ hujus assertores, *materia est omnino inextensa*, corpus Christi scilicet; & *extensio sine ulla materia*, accidentia scilicet panis, & vini.

Hinc inferunt, materiæ essentiam non in determinata, vel indeterminata extensione sitam esse, quum materia omnino inextensa existat; non in partium impenetrabilitate; materia enim datur, (nempe Eucharisticum Christi corpus) in qua certissime datur partium compenetratio; sed *in simplici extensionis, aut impenetrabilitatis exigentia*; quum Christi corpus

pus

pus miraculo naturali sua extensione, & impenetrabilitate in Eucharistia privatum, adhuc veram ibi naturalem essentiam suam servat naturalem ibi exigentiam suam tantum servans extensionis, & impenetrabilitatis.

II. Hæc extensionis, & impenetrabilitatis naturalis exigentia aliquando ab hujus sententiæ assertoribus dicitur *extensio, & impenetrabilitas radicalis*.

Naturalem hanc, & inamissibilem exigentiam considerant tamquam veræ extensionis, & impenetrabilitatis radicem omni corpori in naturali statu communem, quibus supernaturali miraculo privari potest.

SUBSTANTIALIUM, ET PHYSICARUM PARTIUM MULTIPLICITAS.

1365. SENTENTIA V. Quocumque modo materia concipiatur, semper necessario concipitur ut substantialium, & physicarum partium collectio. Hoc vero indicare videtur, hanc partium multiplicitatem, sine qua materia concipi nequit aliquam necessario in essentia sua partem habere, & fortasse essentiam ipsam constituere.

Hinc orta aliorum philosophorum sententia, qui quatuor præcedentibus opinionibus rejectis, materiæ essentiam, *in substantialium, ac physicarum partium*, quas in illa concipiunt, *multiplicitate* statuunt.

Per hos cujuscumque materiæ essentia, puta, illius, quæ orbem nostrum constituit, est partim omnium elementarium illam constituentium collectio. Porro materia hæc, ut materia, eadem perseverat, donec aliqua ex elementaribus ejus partibus ad nihilum non redigatur; sive partes hæ naturalem suam extensionem, & impenetrabilitatem servent, sive his omnino, aut partim miraculo priventur.

1366. NOTA. Hæc quoque sententia ad quædam philosophica principia cum Eucharistiæ dogmate concilianda excogitata fuit.

I. Christi corpus, inquiunt ejus assertores, in Eucharistia iis omnibus materiæ elementis constituitur, quibus in cruce pendens constabat, & quibus nunc in cælis constat.

Attamen divinum hoc corpus *eandem essentiam* in Eucharistia servans, non eandem, quam in cruce habebat, aut in cælis habet, extensionem determinatam servat; imo in quorumdam theologorum sententia nullam omnino extensionem habet. Ergo essentia materiæ Corpus Christi in Eucharistia constituentis in extensione sive determinata, sive indeterminata sita non est.

At vero Corpus Christi in Eucharistia inextensum, eandem tamen essentiam servans omnia omnino eadem materiæ elementa obtinet, quæ in Cruce illud constituebant, & in cælis constituunt. Ergo ejus essentia in harum *partium elementarium* substantialium, & physicarum *collectione* statuenda videtur, quæ adhuc eędem intrinsece perseverant, post extensionem, & impenetrabilitatem amissam, quæque aut omnino, aut partim destrui non posse videntur, quin corporis, quod constituunt, aut omnino, aut ex parte destructionem inducant.

II. Quod Christi corpori, pergunt, miraculo contingit, id cuivis corpori contingere potest pari miraculo. Tunc corpus extensionem, & impenetrabilitatem amittet, non essentiam; modo nullum elementum, quo physice constituitur, amittat.

Ergo *corporis*, aut materiæ cujusvis essentia statuenda videtur non in determinata, aut indeterminata extensione, non in partium impenetrabilitate, non in extensionis, aut impenetrabilitatis exigentia, quæ commentum est; sed *in substantialium, & physicarum partium*

mul-

multiplicitate; ita ut semper eadem materia sit, ubi eadem materia est: sive actu extensio habeatur, sive non habeatur.

TRANSUBSTANTIATIONIS DOGMA SENTENTIÆ CUJUSVIS DE MATERIÆ EXISTENTIA ADMITTENDÆ BASIS ESSE DEBET.

1367. OBSERVATIO. Nescio quæ recens philosophia in Eucharistiæ dogma insurrexit, quod cum illo aliqua ex suis sententiis conciliari non poterat. Nisi Transsubstantiationis dogma extitisset, *materiæ essentiam* in trina determinata dimensione, vel in partium impenetrabilitate statuisset; in re scilicet, quæ nec materiam constituit, neque tunc constituisset, etsi nunquam eucharistica transsubstantiatio extitisset. Ut certum quidpiam hac in re, & inconcussum statuamus, unde in materiæ essentia inquirenda progredi tuto possimus:

I. Suppono primo, *Veritatem quamvis* sive speculativam, sive practicam a divina revelatione statutam, semper ea omni firmitate gaudere, qua veritas quævis ratione statuta, atque firmata gaudere possit; quum enim a Deo ipso revelatio divina emanet, saltem ea omni infallibilitate prædita est, qua simplex ratio prædita esse possit (162).

II. Suppono deinde, hypothesim, aut sententiam quamvis alicui dogmati revelato, aut alicui rationis principio oppositam, a sana philosophia alienam esse; quum enim certæ veritati opponatur, erronea tantum, ac mendax esse potest.

III. Suppono tertio, corpus quodvis in aliam corporis speciem transsubstantiatum *essentiam* suam *specificam* amittere posse, quin *genericam* amittat, qua ut materia constituitur; exempli causa, panem, quem manduco, & digero, qui-

que in me in ſanguinem, in carnem, in oſſa, in universam meam animalem ſubſtantiam tranſubſtantiatur, naturam panis amittere, non materiæ in naturali hac tranſubſtantiatione; ſive panem hunc, quum ſubſtantiæ meæ pars effectus eſt, eſſentiam amittere, qua panis conſtituitur, quin eſſentiam amittat, qua ut materia, ſeu, ut ajunt ſcholaſtici, in eſſe materiæ conſtituitur.

IV. Suppono quarto, ſi corpus quodvis idem omnino eſt in duobus diverſis ſtatibus, puta, in ſtatu ſuo naturali, & in ſtatu miraculoſo, in his illud *eandem eſſentiam* habere genericam & ſpecificam; rei enim eſſentia id tantum re ipſa eſt, quod intrinſece rem hanc conſtituit eamque quod ipſa eſt eſſe facit, potius quam aliud (105, 120, 135).

Satis oſtendimus primo phyſicæ noſtræ volumine, *ſpecificam corporum eſſentiam*, qua ſpecies a ſpecie differt, & quamvis omnia materia ſint, quæ tamen ea invicem diſtinguit, atque diſcernit, ſitam tantum eſſe in figuræ diverſitate, & elementorum, quibus conſtant, diverſa compoſitione; & corpus quodvis alicujus ſpeciei ut evadat corpus alterius ſpeciei, tantum mutatione figuræ, & compoſitionis mutatione in principiis ſuis elementaribus indigere (Phyſ. 189, 192, 144, 152).

V. Suppono tandem, juxta catholicum dogma, veram dari in Euchariſtia *miraculoſam tranſubſtantiationem*; ſive ſubſtantiam panis, & vini euchariſtici vere, & re ipſa tranſubſtantiari perpetuis inviſibilibus miraculis in adorabile Chriſti corpus: ut poſt expreſſam Evangelii auctoritatem & ſancta Tridentina ſynodus, & conſtans eccleſiæ traditio teſtantur.

TRANSUBSTANTIATIONIS NOTIO.

1368. DEFINITIO. *Transubstantiatio* est substantiæ materialis in aliam materialem substantiam mutatio; ita ut res transubstantiata desinat id esse, quod erat, & id fiat quod in ratione substantiæ materialis nullo modo erat. (119, & 285).

Transubstantiatio vel naturalis est, vel supernaturalis. Naturalis est, quum solis naturæ viribus, aut legibus fit. Supernaturalis quum miraculo fit, & modis naturæ ordinem, & vires exsuperantibus.

1369. ASSERTIO I. Evidens est, *naturales transubstantiationes perpetuo dari* in regno tum animali, tum vegetabili, tum fossili; in his enim natura perpetuo reparatur, ac renovatur; nec nisi transubstantiationibus hoc obtinet.

I. In regno vegetabili terræ succi in omne genus plantas, & fructus transubstantiantur. Exempli causa, argillæ, & fimi substantia per diversos meatus, anfractusque vegetabilium organorum transiens naturam mutat, quod erat esse desinit, & alia omnino corporis species evadit; hic in mali, aut piri, aut peponis, aut caricæ substantiam mutatur, ibi in floris, folii, caulis, aut frumenti, arbusti, aut magnæ arboris substantiam; atque ita de ceteris.

II. Pari modo in animali regno substancia in substantiam natura omnino diversam mutatur. Exempli gratia, herba fit agni illam depascentis substantia; agnus vero lupi illum in denso nemore vorantis, aut aquilæ illum in suo nido laniantis, & edentis, aut hominis illo cœnantis substantia fit,

III. Ut habeatur naturalis transubstantiatio, debet res transubstantiata primam suam naturam prorsus amittere, & novam induere; exempli causa, frumentum non transubstantiatur quum fit farina; farina, & aqua non transubstantian-

tiantur quum panis fiunt. Panis nondum transubstantiatus est quum in chylum mutari incipit: at plene transubstantiatus est quum omnino sanguis, caro, cartilago, fibra effectus est.

1370. ASSERTIO II. Si natura familiares nobis efficit naturales transubstantiationes, *Religio quoque familiarem nobis supernataralium transubstantiationum ideam reddere debuit;* hujusmodi enim transubstantiationes tum in veteri, tum in nova lege revelatio nobis exhibet.

I. Omnium divinorum librorum primus, nempe Genesis nos docet, primi hominis corpus e limo terræ conditum fuisse; & hujus limi substantiam in ipso in humanam carnem mutatam & transubstantiatam fuisse.

Idem Genesis liber nos docet, omnium primorum animalium corpora terram fuisse in animalem eorum substantiam mutatam, & transformatam.

En itaque ex ipso rerum exordio supernaturales transubstantiationes omnino patentes, ac certas, quæ naturæ viribus fieri non potuerunt, ipsius naturæ principium, & origo fuerint; quæque certissime effectæ fuerunt; existit enim natura, quæ sine hujusmodi transubstantiationibus existere non potuisset.

II. *Miraculosæ* hæ *transubstantiationes* non tantum initio temporum, & rerum effectæ fuerunt; evangelium enim docet, Jesu Christi ætate aquam in Canæ nuptiis miraculo in vinum mutatam, & transubstantiatam fuisse. Genesis quoque nos docet, Abrahami ætate corpus uxoris Loth (974), miraculo in statuam salis inter Sodomam, & Segor mutatum, & transubstantiatum fuisse (*a*).

III.

(a) *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & insuflavit in faciem ejus spiraculum vitæ. Gen.* 2, 7.

For-

III. Ut ergo supernaturales transubstantiationes impugnentur, quasi vero haberi nequeant, ut nonnulli fecere recentiores philosophi, & vetus, & novum Testamentum ejurandum est. Præterea & vera philosophia ejuranda est, quæ quum Deum videat naturales transubstantiationes perpetuo operari, nequit sine patenti absurdo illi potestatem denegare supernaturales, & miraculosas, quum illi libuerit, transubstantiationes operandi.

1371. NOTA I. Inter *miraculosas*, de quibus adhuc, & *miraculosam transubstantiationem*, quæ in Eucharistiæ Sacramento contingit, aliqua similia sunt, aliqua dissimilia.

I. *Similitudo* in eo est, quod utrobique habetur miraculosa materialis substantiæ in aliam materialem substantiam mutatio infinita Dei potentia effecta.

II. *Dissimilitudo* in eo præcipue est, quod in iis intrinsecam naturæ mutationem vera etiam sensibilium accidentium mutatio comitata est; in hac vero permanent eadem accidentia cum intrinseca naturæ mutatione.

Ceterum in illis nihil compenetrationem, aut reproductionem substantiæ postulat, aut supponit; hæc vero hujusmodi compenetrationem, & reproductionem supponere videtur.

1372. NOTA II. Juxta communem theologorum sententiam aliud habetur *præcipuum discri-*

Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ, & universis volucribus cæli, adduxit ea ad Adam. Gen. 2. 19.

Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam. Joan. 2. 9.

Respiciens uxor ejus post se versa est in statuam salis, Gen. 19. 26.

ſcrimen inter euchariſticam tranſubſtantiationem, & alias miraculoſas tranſubſtantiationes, quarum in ſacris literis mentio ſit.

Diſcrimen eſt, quod in his mutatio ſit nulla tranſubſtantiatæ materiæ annihilatione, quæ tota permanſit ſub nova forma, & novæ naturæ corpus effecit; in illa econtra, inquiunt, mutatio fit *annihilatione materiæ panis*, *& vini*, & creatione, ſive reproductione (*a*), materiæ conſtituentis Corpus Chriſti in eodem ſpatio, & ſub iiſdem ſpeciebus, ſub quibus exiſtebat ſubſtantia panis, & vini, quæ nullo modo amplius exiſtit.

Verum ſententia hæc, quæ fortaſſe veroſimilior eſt, adeo ſolide ſtatuta non eſt, ut veritas certa dici poſſit. Scriptura enim, & traditio *veritatem euchariſticæ tranſubſtantiationis* ſtatuentes, non definiunt, ad nihilum ne redacta ſit ſubſtantia panis, & vini, ut ejus loco ſubſtantia corporis Chriſti ſubſtituatur; an vero ſubſtantia hæc panis, & vini fiat ipſa ſubſtantia corporis Chriſti ineffabili tranſubſtantiatione, quæ primam identice alteram faciat.

SYNODI TRIDENTINÆ SANCTIONES DE TRANSUBSTANTIATIONE EUCHARISTICA.

1373. OBSERVATIO. In noſtra philoſophia religionis oſtendimus, in Jeſu Chriſti eccleſia eſſe *Tribunal infallibile*, ad quod ſpectat poſt perpenſas ſacras literas, & traditionem controverſias abſolute definire, quæ de dogmatibus, & de moralibus inſurgere poſſunt; hoc vero infallibile Tribunal a Deo ipſo religionis auctore erectum, eſſe legitimos Paſtores legitimos

(*a*) *Aut potius ſubſtitutione*, Interpres.

mos Apostolorum successores, sive Ecclesiam docentem simul collectam, sive dispersam.

I. Universus Christianus orbis, si nonnullos Vicleffistas jam in Constantiensi Concilio anathemate damnatos excipias, unanimis credebat realem Corporis Christi præsentiam in Eucharistia; quum audaces duo novatores æque pravi Philosophi, ac ignari Theologi, Lutherus, & Carlostadius, ineunte jam sæculo decimo sexto temere contra universalem hanc fidem insurgere ausi sunt.

Tenuit Lutherus, *Corpus Christi re ipsa in Eucharistia Sacramento existere sub speciebus panis, & vini*; & evangelicas locutiones nimis perspicuas, atque expressas esse, ut ullus hac de re esse possit dubitandi locus. At contendit, Christi corpus re ipsa in Sacramento non esse, nisi quo temporis momento sumitur, non autem *permanenter existere*; panem vero, & vinum ibi quoque in propria eorum natura existere nulla intrinseca mutatione; quod in sacramento *consubstantiationem* efficit, non transubstantiationem. Hæc re ipsa est hac de re Lutheranorum doctrina, qui a magistri doctrina non recesserunt.

Carlostadius jam exoletum Berengerii, & Scoti Erigenis errorem e tenebris evocans propria auctoritate definivit, Evangelicas locutiones omnes, quæ tam dilucide, atque aperte realem Christi præsentiam in Eucharistia statuere videntur, *figurata atque allegorica significatione* esse sumendas. Qua interpretatione assumpta temere tamquam principio, etsi aperte sacris literis, & traditioni opposita, contendit in Eucharistia post consecrationem non nisi panem, & vinum haberi; hunc vero panem, & hoc vinum esse tantum *signa*, *& symbola corporis Christi*, quæ in christianis illa fide suscipientibus eosdem gratiæ, & salutis effectus

ope-

operantur, quos in iis ipsum Christi corpus operaretur.

Hanc Carlostadii doctrinam re ipsa admiserunt Calvinus, Zuinglius, Oecolampadius, & eorum asseclæ, qui generico *Sacramentariorum* nomine nuncupati sunt, quod ecclesiæ doctrinam de sacramentis oppugnarent.

II. Ut Lutheri, Carlostadii, Calvini, Zuinglii, aliorumque sacramentariorum, ac novatorum errores protereret, utque inconcussam Christi, & Apostolorum doctrinam de eucharistia in fidelium animis magis, magisque solidaret, Ecclesia in sancta Tridentina Synodo congregata solemniter ex sacris literis, & traditione definivit, in Eucharistiæ sacramento substantiam panis, & vini consecratione totam mutari, & transsubstantiari in substantiam corporis, & Sanguinis Jesu Christi; post consecrationem Jesum Christum totum esse tum sub speciebus panis, tum sub speciebus vini, tum sub qualibet separata harum specierum parte.

„ Si quis dixerit in Sacrosancto Eucharistiæ „ sacramento remanere substantiam panis, & „ vini una cum corpore, & sanguine Domini „ nostri Jesu Christi; negaveritque mirabilem il„ lam, & singularem conversionem totius sub„ stantiæ panis in corpus, & totius substantiæ „ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat „ speciebus panis, & vini; quam quidem con„ versionem Catholica Ecclesia aptissime Tran„ substantiationem appellat, anathema sit. *Trid.* „ *sess.* 13. *Can.* 2.

„ Si quis negaverit in venerabili Sacramen„ to Eucharistiæ sub utraque specie, & sub „ singulis cujusque speciei partibus, separatio„ ne facta, totum Christum contineri, ana„ thema sit. *Trid. sess.* 13. *can.* 3.

Ex solemnibus hisce Catholicæ Ecclesiæ definitionibus, quæ tantum doctrinam semper ab

ipsa

ipsa receptam, semperque perseverantem exponunt, & palam faciunt; corpus Christi post consecrationem totum est sub speciebus, sive apparentiis panis, & vini; sub his vero nulla omnino superest panis, aut vini substantia.

1374. NOTA I. *Miraculosa eucharistica transubstantiatio* aut tamquam *sacrificium*, aut tamquam *sacramentum* constituens ex catholica doctrina considerari potest.

I. Virtute verborum sacramentalium supra panem prolatorum, panis fit corpus Christi; virtute verborum Sacramentalium supra vinum prolatorum, vinum fit Sanguis Christi. *Separatio hæc mystica* est, quæ in divino hoc mysterio sacrificium constituit.

II. Quum vero Jesu Christi Corpus, Sanguis, Anima, & Divinitas in præsenti statu inseparabiliter in cælis unum Totum indestructibile, & indivisibile constituant, sequitur, in hostia consecrata Sanguinem, Animam, & Divinitatem Jesu Christi re ipsa, & necessario ejus corpori conjunctas esse; non ratione directæ, & formalis verborum sacramentalium efficacitatis, quæ supra panem proferuntur, sed ratione præsentis inseparabilitatis Corporis, Sanguinis, Animæ, & Divinitatis Jesu Christi; sive ratione *concomitantiæ*.

Idem dici debet de vino in calice consecrato. In hoc simul cum Christi sanguine, corpus, anima, & divinitas Jesu Christi, sive totus Christus concomitantia continetur; ut Sanctum Tridentinum Concilium docet: *sub utraque specie totum Christum contineri*.

En tibi sub hisce panis, & vini apparentiis tum in hostia, tum in calice *Eucharistiam ut Sacramentum*; ut signum nempe sensibile vivificæ virtutis in ipso in ordine ad gratiam, & salutem latentis.

1375. NOTA II. Miraculosa hæc mutatio, seu transubstantiatio nihil habet, a quo christia-

ſtianus philoſophus abhorrere poſſit. Ratio illum evidenter docet, poſſe Deum illam operari: ſacræ literæ, traditio, & eccleſia illi certiſſime teſtantur, velle Deum illam operari; ergo Deus illam re ipſa operatur.

Quare Deus, cujus infinite activa, ac potens voluntas initio temporum efficaciter argillæ dixit: *eſto humana caro* in homine: eſto hæc, aut illa *animalis caro* in brutis: eſto hæc aut illa *ſubſtantia vegetabilis* in plantis; nequibit ſubſtantiæ panis, & vini efficaciter dicere: *mutator, & tranſubſtantiator in hanc carnem, in hunc ſanguinem* (1370)?

Qui hanc Deo facultatem deneget, ejus naturam, exiſtentiam, actionem ignorare vult, & præpoſtere ratiocinando blaſphemare.

PERPETUA CATHOLICÆ ECCLESIÆ DOCTRINA DE EUCHARISTICA TRANSUBSTANTIATIONE.

1276. OBSERVATIO I. In Jeſu Chriſti eccleſia ab apoſtolorum ætate ad ſæculum uſque decimum ſextum *univerſalis, ac permanens perſuaſio* fuit, Chriſti corpus re ipſa, & ſubſtantialiter in Euchariſtia exiſtere miraculoſa tranſubſtantiatione; & hoc *Chriſti corpus* ſub eucharisticis ſpeciebus inviſibiliter præſens eſſe corpus illud ipſum, quod Spiritus Sancti miniſterio in utero Virginis Matris formatum fuit, quod in cruce immolatum fuit pro mundi ſalute, quod modo in cæleſti regno ad dexteram Dei Patris ſedet.

Facile univerſalem, ac permanentem eccleſiæ Chriſti perſuaſionem evidenter oſtendere poſſemus innumeris Sanctorum patrum per ſuccedentia chriſtianæ religionis ſæcula auctoritatibus ac demonſtrare. At paucas tantum maxime perſpicuas, & expreſſas indicabimus, quæ *traditionis nexum* inter apoſtolos, & nos ſatis efficien-

ficient, & aperte indicabunt, catholicam Christi ecclesiam semper in obvia, & literali significatione evangelicas locutiones de eucharistica transubstantiatione sumpsisse.

I. Divus Ignatius Martyr sæculo primo epistola ad Smirnenses, quæ una est ex septem, quas ab ipso scriptas fuisse certum est, ita scribit de discipulis agens Simonis, & Menandri, qui duo hæresiarchæ erant illa ætate. „ Ab „ eucharistia, & oblatione abstinent; eo quod „ non confiteantur Eucharistiam carnem esse „ Salvatoris nostri, quæ pro peccatis nostris „ passa est ".

Ergo primo Christianæ religionis sæculo credebat ecclesia, Christi eam ipsam carnem, quæ pro mundi peccatis passa erat, re ipsa, & substantialiter in Eucharistia existere; & sine hac fide, quæ præcipuum articulum continet, non amplius hominem verum christianum esse, sed hæreticis Simonis, & Menandri discipulis similem fieri.

II. Divus Irenæus Lugdunensis Episcopus, altero christianæ religionis sæculo, libro quinto contra hæreses, capite secundo hæc habet: „ Eum calicem, qui est creatura, suum sanguinem, qui effusus est, proprium; & eum „ panem, qui est creatura, suum proprium corpus confirmavit ".

III. Divus Ambrosius Mediolanensis Episcopus quarto sæculo, libro *de initialibus* capite nono, expresse ait: „ Hoc, quod conficimus, „ corpus ex Virgine est: vera utique caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta ".

IV Divus Joannes Chrysostomus Patriarcha Constantinopolitanus ineunte quinto sæculo, homilia vigesima quarta in secundam ad Corinthios hæc habet: „ Id, quod est in calice, „ est id, quod fluxit e latere, & illius participes sumus ".

V.

V. Divus Petrus Chryſologus Epiſcopus Ravennas, progreſſo jam quinto ſæculo, ſermone ſexageſimo ſeptimo, ita eccleſiæ doctrinam de Euchariſtia explicat. „ Ipſe eſt panis, qui ſatus in Virgine, fermentatus in carne, in cruce confectus, in fornace coctus ſepulchri, in Eccleſia conditus, illatus altaribus cæleſtem cibum quotidie fidelibus ſubminiſtrat ".

Ergo primis quinque Chriſtianæ religionis ſæculis conſtans hæc, & immutata perſuaſio permanſit; *corpus Chriſti* ſcilicet re ipſa, & ſubſtantialiter in Euchariſtia exiſtere; & euchariſticum hoc Chriſti corpus re ipſa, & ſubſtantialiter *idem* eſſe, quod miraculo in Mariæ ſinu formatum fuit, & pro communi ſalute in cruce immolatum.

VI. Quidam Joannes Scotus Erigenes, natione Hibernus nono ſæculo nulla ratione protulit, euchariſtiæ ſacrificium, & ſacramentum non eſſe verum Chriſti corpus, & ſanguinem, ſed figuram tantum, ſeu repræſentationem cruenti ſacrificii, quo Chriſtus mortuus eſt, & cœnæ, quæ hoc præceſſit. Error hic ab eccleſia tunc damnatus oblivioni datus fuit.

Berengerius quidam Rhemenſis Archidiaconus undecimo ſæculo errorem Joannis Scoti Erigenis e tenebris evocans aſſeruit ipſe quoque, Euchariſtiæ ſacramentum eſſe tantum *figuram corporis, & ſanguinis Chriſti*; nullamque in panis, & vini conſecrati ſubſtantia veram mutationem fieri. Error hic poſt varias hypocriſi confictas retractationes, tandem ſerio, & ſincere a Berengerio ejuratus fuit; atque iterum inter oblivionis tenebras ſepultus jacuit ad Lutheri, & Carloſtadii ætatem, qui iterum eum in medium protulerunt.

Profeſſio fidei ab eccleſia Berengerio propoſita, qua ejus ejuratus error damnabatur, ipſeque in fidelium communionem iterum admitteba-

batur post errorem abjuratum nobis perfecte manifestabit perpetuam ecclesiæ de Eucharistia traditionem.

Professio hæc fidei, quam in Conciliorum collectione ex typographia Regia Parisiensi invenies pagina 378., est hujusmodi.

„ Panem, & vinum per mysterium sacræ
„ orationis, & verba nostri Redemptoris sub-
„ stantialiter converti in veram, & propriam
„ & vivificantem carnem, & sanguinem Jesu
„ Christi Domini nostri; & post consecratio-
„ nem esse verum Christi corpus, quod natum
„ est de Virgine, & quod pro salute mundi
„ oblatum in cruce pependit, & quod sedet ad
„ dexteram Patris; & verum sanguinem Chri-
„ sti, qui de latere effusus est; non tantum
„ per signum, & virtutem sacramenti, sed in
„ proprietate nature, & veritate substantie".

Ergo Berengerii, & Scoti Erigenis ætate, qui sacramentariorum omnium antesignani fuerunt, Ecclesia catholica eorum errores damnans ac proterens credebat realem corporis Christi præsentiam in Eucharistia; & corpus hoc Jesu Christi eucharisticum *illud identice ipsum* esse credebat, quod miraculo in sinu Virginis conceptum, in cruce pro salute nostra immolatum, modo ineffabili gloria, & æterna beatitudine in cælis fruitur.

VII. *Cathechismi catholici* omnes tum veteres, tum recentiores de Eucharistia agentes unanimiter doctrinam habent omnino consentaneam unanimi, & immutabili sacrarum literarum, Apostolorum, Sanctorum Patrum, & universæ Christi ecclesiæ doctrinæ; quæ numquam a Cristianæ religionis exordiis ad hos usque dies varia fuit; contra quam impia quorundam audacia fideles Christo nationes aliquas rebelles facere potuit, quam tamen Christi ecclesia semper propugnavit, atque tutata est, novatores omnes illam

im-

impie impugnantes, ac deserentes anathemate damnans, & e sinu suo ejiciens.

1377. NOTA. Evidens est, quidquid de *essentia materiæ* excogitari potest, semper necessario Eucharistiæ dogma respicere; in Eucharistia siquidem materia est, quæ ut materia eandem, quam cetera corpora, existentiam habere debet.

Necesse ergo fuit antequam sententia ulla admitteretur, aut reiiceretur, a fideli, & nitida explicatione initium facere eorum, quæ *catholicum de Eucharistia dogma* respiciunt; ut *certa* veluti *principia* statuerentur, a quibus hac in re subinde progredi, & quibus tuto vel in sententia statuenda, vel in refellenda insistere possemus.

PROPOSITIO PRIMA.

1378. *Essentia materiæ in triplici determinata dimensione sita non est, ut Cartesius censuit.*

EXPLICATIO. Si in triplici determinata dimensione *essentia materiæ* sita est; jam ubicumque habetur trina hæc determinata dimensio, ibi materia existit, & quidem tanta materiæ quantitas; & ubicumque materia, & data materiæ quantitas existit, ibi triplex habetur determinata dimensio; atqui hoc plane falsum demonstratur & a puri spatii theoria & eucharistici Christi corporis; hoc est & a rationis, & a fidei momentis (1357).

1379. DEMONSTRATIO I. Evidens est, purum spatium suppositum omnino corpore vacuum triplici gaudere determinata dimensione, immutabili, ut alibi ostendimus; & tamen spatium hoc non esse materiam. Non ergo ubicumque datur *triplex determinata dimensio* ibi materia, & tanta materia existit. Ergo per Cartesium ibi habetur materia, & tanta materia,

teria, ubi nulla materia est (352, & 358).

I. Frustra, ut argumentum eludat, postulabit Cartesius, trinam determinatam dimensionem, quam essentiam materiæ facit, esse *extensionem solidam*, & *impenetrabilem* in suis partibus. Ab ipso enim petam quid hac partium impenetrabilitate intelligat, quam triplici dimensioni adiicit, in qua per ipsum materiæ essentia sita est.

Si hac partium soliditate, & impenetrabilitate tantum intelligit *extensionem, in qua alia extensio collocari nequeat*; respondebo, spatium in quo modo existit tellus, locari non posse in spatio, in quo modo existit Syrius; & bina hæc spatia, si materia modo in ipsis locata, & quavis alia materia vacua supponantur, adhuc fore veram materiam, quum trinam eam dimensionem habeant, quæ materiæ essentiam constituit; quumque in trina hac dimensione partes habeant sese invicem excludentes, & quarum una in altera esse nequit.

Si hac partium soliditate, & impenetrabilitate eam intelligit, qua *materia essentiam* constitui supponit; ejus sententia dicet, essentiam materiæ in eo sitam esse, quod materiæ essentiam esse supponit: atque hæc erit inepta petitio principii (738).

II. Frustra, ut difficultatem eludat, dicet Cartesius, purum spatium non dari: *omnia in natura plena esse*; mundum solida, & impenetrabili extensione infinitum esse; spatium vero, in quo modo, exempli gratia, tellus est, esse tellurem ipsam, & nihil præterea.

Hoc effugium ad plurima tum in metaphysica, tum in physica absurda adducet. Harum prima ostendit, vacuum dari posse (352, & 353); altera vacuum dari (*Phys.* 1387 & 1389).

Neutonus, & Lockius ut materiæ creationem eluderent, & ut materiæ æternæ absurdum effugerent, *singularem* sibi *materiæ ideam*

effinxerant, quæ præter eorum intentionem excogitata videtur, ut Cartesii de materiæ essentia sententiam ridiculam redderent. Velit Deus, inquiunt, hexapedam cubicam, exempli gratia, puri spatii fieri corpori cuivis inaccessam, & impenetrabilem. Hexapeda hæc spatii erit hexapeda materiæ: habebit enim trinam dimensionem, soliditatem, & impenetrabilitatem.

III. Frustra, ut difficultates a vacuo, aut a puro spatio desumptas eludat Cartesius, dicet, se nomine extensionis solidæ, & impenetrabilis, in qua materiæ essentiam statuit, *extensionem substantialem* intelligere.

Ab ipso enim petam quid hac *qualitate substantia* intelligat, quam materiæ extensioni tribuit, & quam puri spatii extensioni denegat.

Si reponat, se tantum intelligere *facultatem a se, & per se existendi*; addam qualitatem hanc puri spatii, æque ac materię propriam esse (358, & 359).

Si dicat, eam a se, & per se existendi facultatem intelligere, quæ specifice materiæ convenit; adhuc monebo, esse hanc petitionem principii, quum definitam, ac determinatam supponat hanc materiæ essentiam, quæ definienda est, & determinanda.

IV. Hinc patet, etiam præciso Eucharistiæ mysterio, materiæ essentiam *in triplici determinata dimensione* philosophice statui non posse; hujus enim triplicis dimensionis idea aut nihil exhibet, quod veras de materiæ essentia notiones præbeat, aut ad falsas consequutiones adducit, quibus ibi materia statueretur, ubi nulla materia est. Q. E. D.

1380. DEMONSTRATIO II. Sententia hæc Cartesii ratione falsa demonstratur; æque ex eucharistici dogmatis revelatione falsa demonstrabitur.

I. Certum est primo, essentiam alicujus corporis,

poris, quidquid ipsa sit, corpori huic esse identificatam; res enim, & essentiam rei unum, & idem sunt. Ergo ubicumque corpus est, ibi ejus essentia est (105).

Atqui fide constat, auctoritate scilicet æque saltem infallibili, ac ratio sit, in Eucharistia existere idem Christi corpus, quod in cruce immolatum fuit. Ergo in Eucharistia corpus Christi eandem habet essentiam, quam in cruce habebat (1373, & 1376).

At patet, Christi corpus in Eucharistia non eandem habere *triplicem determinatam dimensionem*, quam in cruce pendens habebat. Ergo triplex determinata dimensio, quam in cruce Christi corpus habebat, materiæ hoc corpus componentis essentiam non constituit.

In Eucharistia *eadem essentia* perseverat, non *eadem triplex dimensio*, quæ in cruce habebatur. Ergo hæc essentia, & hæc dimensio separabiles sunt; ergo una non est alia.

II. Certum est deinde, quod Christi corpori miraculo contingit, id simili miraculo cuivis alii corpori, puta, quercui, marmori, monti, telluri, contingere posse. Ergo corpus quodvis suam triplicem dimensionem determinatam amittere potest, sua essentia incolumi.

Ergo cujusque corporis essentia sine sua triplici dimensione existere potest. Ergo *essentia materiæ*, sive corporis cujusque in triplici determinata dimensione sita non est. Q. E. D.

1381. COROLLARIUM I. Fide, & certissima sacrarum literarum, & traditionis auctoritate constat ipsum Christi corpus, quod in cruce pependit, & quod modo in cælis regnat esse simul, & eodem tempore in cælis, in hostia consecrata Parisiis, in altera Romæ; cetera.

Porro evidens videtur, corpus Christi tot in diversis locis idem ubique existere non posse, nisi reproductione. Ergo *reproductio evidenter*

a dogmate reali præsentiæ corporis Christi in Eucharistia descendere videtur.

1382. COROLLARIUM II. Ex iisdem certissimis fidei principiis idem ipsum Christi corpus, quod in cruce pependit, totum, atque integrum est non tantum in minima hostia consecrata, sed in quavis minima sensibili ejus parte postquam fracta, & divisa est; *separatione facta*, ut ait Tridentinum Concilium (1373).

Atqui evidens videtur, Christi corpus totum existere nequire in exigua hostia, adeoque potiori jure in quavis minima sensibili ejus divisæ parte, nisi compenetratione. Ergo *compenetratio ex reali corporis Christi præsentia in Eucharistia evidenter descendere videtur.*

IN EUCHARISTIA NON SUFFICIT CONDENSATIO, SED VERA COMPENETRATIO EST NECESSARIA.

1383. OBSERVATIO I. Frustra ad explicandam minimam extensionem, qua Christi corpus in Eucharistia continetur, & ad *veræ compenetrationis* miraculum non admittendum, ad compressionem, aut condensationem solam confugeretur.

Quæcumque hac de re afferantur experimenta; evidens est, nunquam fieri, ut humanum corpus, ut illud est Christi Domini, statura perfectum compressione, aut condensatione, nulla compenetratione admissa, ad volumen adeo exiguum adducatur, ut illud est particulæ vix sensibilis hostiæ consecratæ.

I. Condensatio, & compressio *intrinsecam, & absolutam* corporis *extensionem* non immutant, sive extensionem huic corpori convenientem ex collectione suorum elementorum, deductis vacuis disseminatis. Illæ *extrinsecam* tantum, & *relativam extensionem* mutant, sive ex-

extensionem tum ratione materiæ, tum ratione vacuorum huic corpori convenientem (1359).

Corpus compressum, seu condensatum magis invicem proxima habet elementa. Corpus non compressum, nec condensatum magis invicem remota habet elementa sua. At in utroque *elementorum summa*, sive hæc magis proxima, sive magis remota sint eadem est: eadem est intrinseca, & absoluta elementi cujusvis extensio, seu trina dimensio; ergo & eorum summæ.

Ut hoc clarius appareat: sit *pollex auri cubicus*, quem poris, ac vacuolis omnibus carentem suppono. Intrinseca, & absoluta elementorum omnium pollicem hunc constituentium extensio, sive in massam collecta illa sint, sive in partes infinite parvas divisa supponantur & per immensum spatium dispersa, semper re ipsa est pollex cubicus omnino. Summa enim partium omnium alicujus totius sive conjunctæ sint, sive separatæ, toto nec major est, neque minor.

Non nisi *compenetratione* concipitur, posse pollicem hunc auri cubicum amittere dimidium, puta, intrinsecæ, & absolutæ suæ extensionis; seu non nisi si horum elementorum dimidium in altero dimidio existeret. Ergo si corpus aliquod idem perseverans, & totam suam ipsam essentiam servans intrinsecæ, & absolutæ suæ extensionis dimidium amittit, non nisi compenetratione amittit.

II. Sapiens Gassendus de *naturali materiæ impenetrabilitate* meditatus optime statuerat, condensationem in corpore omnino haberi posse donec omnia ejus elementa *perfecte contigua* fuerint; post hæc amplius non dari; sive si ulterius procederet, non condensationem fore, sed compenetrationem.

Non tamen ita maxime exiguam extensionem explicabat, quam Christi corpus vix sensibili obtinet hostiæ consecratæ particula; at ita phæ-

nomenorum condensationis rectam notionem exhibebat.

III. Quæ frustra excogitarunt recentiores quidam philosophi, ut simplici condensatione eucharisticæ trasubstantiationis mysterium explicarent, tantum *veterem compenetrationis sententiam* validius confirmarunt; quæ quidem sententia dogma fidei non est; at maxime philosophica consequutio est.

Sequenti observatione prodromam notionem afferimus eorum, quæ adducuntur, ut in Eucharistia condensationis tantum phænomena admittantur.

1384. OBSERVATIO II. Recetiores nonnulli Neutoni & Keilii experimentis de corporum poris abutentes contenderunt, quid minimum esse quidquid materiæ corpora constituit; exempli gratia, materiam omnem, qua terrestris orbis constat, nulla compenetratione ad volumen adduci posse sola condensatione malo, aut nuci juglandi, aut lenti æquale: universam humani corporis perfecti materiam centum quadraginta, aut centum quinquaginta pondo nulla compenetratione, solaque condensatione locari posse in spatio illi æquali, quod hostiæ particula occupat vicesimam, aut tricesimam lineæ partem quaquaversum extensa.

I. Ex hac assertione adeo communi sentiendi rationi opposita sic procedunt. Si substantia Aristi, exempli gratia, corpus constituens potest nulla compenetratione, solaque condensatione tota esse in minimo spatiolo ab hostiæ non consecratæ particula occupato, quare substantia tota corporis Christi in minima hostiæ consecratæ particula existere non poterit? si vero ita se res habet, *compenetrationis hypothesis* tantum in Eucharistia novum, & superfluum mysterium invenit.

II. Attamen hoc condensationis paradoxum, quo tota terrestris orbis materia ad mali, aut len-

sentis volumen nulla compenetratione adduci potest, quodnam tandem fundamentum habet? experimenta physica, inquiunt, & demonstrationes physicomathematicas.

1385. NOTA. Non bene, inquiunt, *materia compenetratio* concipitur; atque hac ratione eam ab Eucharistiæ mysterio ejicere vellent. At non melius sane *prapostera condensatio illi suffecta* intelligitur, qua perfectum humanum corpus totum, & naturali symmetria in minima sensibili hostię particula continetur, in qua tum ante, tum post hanc condensationem multo plures pori deteguntur, quam habeant diversæ humani corporis partes, quæ ibi condensatæ supponuntur.

I. Non sane miraculosa materiæ compenetratio concipitur. At hæc evidenter fluere videtur ex miraculo, quod in Eucharistia fides testatur: hoc satis est, ut reverenter admittatur.

Non magis fabulosa condensatio intelligitur nec ratione, nec fide innixa. Minus hæc igitur admittenda.

II. Compenetrationis hypothesis est vetus, & communis theologorum doctrina: hoc titulo magis reverenda est.

Condensationis hypothesis recens est, inepta & absona in Eucharistiæ mysterio: hac ratione nec philosophica est, nec theologica.

PROPOSITIO II.

1386. *Essentia materia in triplici indeterminata, & variabili dimensione a Cartesii discipulis excogitata sita non est.*

DEMONSTRATIO. Nonnulli Cartesii asseclæ falso putant, magistri sui sententiam de essentia materiæ hoc tantum vitio laborare, quod Eucharistiæ dogmati adversaretur. Quare hoc tollere censuerunt materiæ essentiam in

triplici indeterminata, & variabili dimensione statuentes. Nos iis ostendere pergimus, illos neque hac ratione quod intendunt obtinere. (1360).

I. *Extensio* generatim, seu triplex dimensio generatim Cartesianis est essentia materiæ, seu corporis generatim sumpti.

Ergo *corpus determinatum*, seu determinata materię quantitas essentiam habere debet, sive extensionem, aut triplicem dimensionem determinatam. Quum enim essentia rei a re distincta non sit; patet, essentiam rei determinatæ aliquid determinatum esse debere.

II. Si essentia materiæ in *triplici indeterminata dimensione* consisteret, corpus determinatum, seu determinata materiæ quantitas esset aliquid indeterminatum; corpus enim hoc alicui indeterminato identificatum esset; quod evidenter repugnat.

Ergo essentia corporis determinati, sive determinatæ materiæ quantitatis necessario est aliquid determinatum; ergo nequit esse quid indeterminatum.

III. Nulla in natura datur extensio, seu trina dimensio *in se indeterminata*. Quævis enim assignabilis in natura extensio suas veras, ac determinatas dimensiones habet. Corpus quodvis cujusque speciei semper in se necessario actuales suas, ac determinatas dimensiones habet; quæ quidem augeri, ac minui possunt reproductione, ac compenetratione; sed tamen etiam post quamvis mutationem *in se determinata* erunt.

Ergo essentia determinatæ quantitatis materiæ in extensione indeterminata sita non est, quum hæc neque existat, neque existere possit. Q. E. D.

PRO-

PROPOSITIO III.

1387. *Essentia materiæ in suarum partium impenetrabilitate non est sita, ut censuit Gassendus.*

DEMONSTRATIO. Notavimus jam Cartesii, & Gassendi sententias nomine tantum diversas esse; & partium impenetrabilitatem ab hoc admissam esse re ipsa extensionis inamissibilitatem ab illo assertam.

Ergo Cartesii confutatio Gassendi confutationem trahit; atque hoc eo magis, quod utraque sententia nulla positiva ratione probatur, & tantum quadam apparenti verisimilitudine munitur (1362, & 1378).

I. Etsi *partium impenetrabilitas* semper in materia esset, sive etsi elementorum penetratio dari non posset, non tamen in hac impenetrabilitate essentia materiæ philosophice statui posset. Nequit enim essentia rei in eo statui, quod jam existentem materiæ essentiam necessario supponit.

Atqui hanc essentiam jam existentem necessario supponit partium, sive elementorum impenetrabilitas; debent enim partes hæ, sive elementa prius esse materia, quam impenetrabilis materia sint.

II. Falsum est, partium impenetrabilitate *materiæ essentiam* constitui; existit enim materia, corpus Christi eucharisticum, quod vere materia est, & hac impenetrabilitate caret.

Non nisi compenetratione intelligitur, corpus idem perseverans posse absolutam, & intrinsecam suam extensionem amittere. Atqui hanc amittit Christi corpus in Eucharistia; ergo eam compenetratione amittere dicendum est (1383).

In Eucharistia corpus Christi hac impenetrabilitate caret; ergo hæc corporis Christi essen-

tiam non constituit; ergo pari ratione nullius alius corporis essentiam constituit. Q. E. D.

PROPOSITIO IV.

1388. *Essentia materiæ in simplici impenetrabilitatis, & extensionis exigentia non est statuenda.*

DEMONSTRATIO. Evidens est, si *essentia materiæ* in simplici extensionis, & impenetrabilitatis exigentia statuatur, in re statui, cujus nullam ideam habemus, quæque non modo materiæ naturam non explicat, imo ideas quas natura de illa habemus, prorsus evertit. Hoc posito sic procedo. Quum de essentia materiæ philosophamur, sententiam admittere non debemus, cujus objectum non concipitur, seu quod omnibus, quas natura materiæ habemus, ideis adversatur; nisi extrinseca evidentia, certissimæ scilicet rationes ideis, quas materiæ habemus, extraneæ, eam admittere nos cogant.

I. Sententia materiæ essentiam statuens in simplici extensionis, seu impenetrabilitatis exigentia *sententia est, cujus objectum non percipitur.*

Quid enim est hæc extensionis, sive impenetrabilitatis exigentia in materia, & in corpore, cujus elementares partes ita compenetratæ supponuntur, ut nullam amplius realem extensionem habeant? est ne substantia? est ne modificatio? est ne proprietas activa, aut passiva? hoc nunquam definietur.

II. Sententia materiæ essentiam statuens in simplici extensionis, sive impenetrabilitatis exigentia, *omnibus, quas naturà habemus, materiæ ideis adversari videtur.*

Quidquid enim de materia concipimus, aut sentimus, realem, sive magnam, sive parvam extensionem in ipsa supponit.

Si

Si tentemus materiæ portionem sive infinite magnam, sive infinite parvam omni vera extensione carentem concipere, quæque uno latere ad ortum, altero ad occasum obversa non sit; fieri hoc non posse dignoscemus.

Concipe materiæ extensæ volumen quodvis; tum cogitatione illi omnem omnino extensionem adime. Quum jam nullam extensionem concipis, nec ullam materiam concipis.

Quare idea materiæ in nobis semper alicui extensionis ideæ connexa est. Si vero materia omnino inextensa supponatur, id supponitur, quod non nisi omnino convincentibus rationibus admitti potest.

III. Sententia materiæ essentiam in simplici extensionis, & impenetrabilitatis exigentia constituens *neque solida ratione ulla*, *neque revelationis auctoritate probatur*.

Ideo enim tantum excogitata hæc sententia fuit, ut *phænomenon gratis suppositum* explicaretur; qua ratione scilicet Christi corpus sine ulla vera extensione in eucharistia suam essentiam servet.

At quamprimum ostendemus, nullo absurdo, & salva omnino catholicæ ecclesiæ doctrina de Eucharistia, Christi corpori in hoc Sacramento *aliquam veram extensionem* tribui posse.

Ergo sententia hæc statuens materiæ essentiam in impenetrabilitatis, & extensionis exigentia, neque solida ratione, neque revelationis auctoritate probatur.

Ergo sententia hæc rationibus destituta, nostras materiæ ideas pervertens, materiam simplicitate spiritui ferme æqualem faciens, rectæ philosophiæ adversatur, nec admittenda est. Q. E. D.

PROPOSITIO V.

1389. *Essentia materiæ in partium physicarum, & substantialium multiplicitate non est statuenda; ita ut hæc partium multiplicitas materiam determinet, ut sit potius hæc, quam alia substantia.*

DEMONSTRATIO. Si in partium physicarum, & substantialium multiplicitate materiæ essentia statuatur, in eo statuitur, quod vel nihil cum materiæ essentia commune habet, aut quod materiæ essentiam supponit, non constituit. Ostendo.

I. Si materiæ essentiam in physicarum, & substantialium partium multiplicitate statuas, quin definias, num partes hæ ipsæ materia natura sint, *idem erit, ac si angelorum collectioni attributum materiæ des*, exempli gratia; idem erit, ac si ex hac angelorum collectione Totum materiale efficias; erit enim hoc *Totum partibus physicis, & substantialibus compositum*; adeoque hoc Totum erit necessario materia, quum id habeat, quod materiæ essentiam constituit, nempe partium physicarum, & substantialium multiplicitatem.

Frustra dices, angelorum collectionem esse totum tantum ideale, non totum proprie dictum; quare enim decem, aut viginti angeli totum non sint; sint vero unum totum decem, aut viginti lucis, aut aeris moleculæ?

Frustra etiam dices, totum ex angelorum collectione tandem ad partes simplices & indivisibiles adduci posse; totum vero materiale post quamvis divisionem adhuc in infinitum esse divisibile. Hinc enim sequeretur, aut collectionem angelorum non cessare esse materiam, nisi quatenus ad simplices unitates redacta consideratur; aut materiam desinere esse materiam si, ut censuerunt Epicurrus, Zeno, Gassendus,

Lei-

Leibnitius, elementis indivisibilibus, & insectilibus constaret.

Infinita divisibilitas est, si lubet, præcipua materiæ proprietas; veram ipsa materiæ essentiam supponit, non constituit.

II. Si materiæ essentiam in partium physicarum, & substantialium multiplicitate statuas, ut partes corporum sunt; jam *materiæ essentiam supponis potius, quam explices.*

Non enim materiæ essentiam explicas, definitionem dando, quæ *petitione principii* laborat, nec unquam quod explicandum est explicat. Atqui hujusmodi est materiæ definitio tradita in hac sententia, in qua materia tantum est *partium physicarum, & substantialium collectio.*

Ut hoc pateat, peto ab hujus sententiæ assertoribus quid sit materia? respondent, esse compositum ex partibus physicis, & substantialibus. At vero partes hæ, quæ per illos materiam constituunt, sunt materia. Adhuc igitur ab iis quærendum est in quo earum essentia posita sit, seu quænam proprietas distinctiva sit, quæ illas materiam potius efficit, quam exempli causa, spiritum.

Si quoque reponant, partes has physicas, & substantiales materiæ portionem quamvis constituentes, esse ipsas *Tota subalterna* determinata esse materiam ab hac physicarum, & substantialium partium multiplicitate, quibus ipsa quoque composita sunt; patet eandem instantiam in infinitum fieri posse de horum Totorum subalternorum partibus physicis, ac substantialibus, quæ in materia semper necessario & antecedenter *materia* sunt.

Hæc ergo definitio materiæ essentiam non assignat, aut explicat, semper enim ignotam relinquit distinctivam illam proprietatem, quæ materiam in ratione materiæ constituit, & materiam esse facit, potius quam aliud.

Fa-

Fateantur ergo oportet, falso se *materiæ essentiam* in partium physicarum, & substantialium multiplicitate statuisse, neque hanc essentiam recta definitione explicasse. Q. E. D.

1390. NOTA. Quid de philosopho diceremus, qui ut lucis essentiam explicaret, lucem definiret *partium lucentium collectionem*, seu partium, quæ sunt lux; qui ut aquæ essentiam explicaret, diceret eam esse *aquearum partium multiplicitatem*, seu quæ sunt aqua? Idem omnino de iis dicas, qui materiæ essentiam statuunt in ejus partium multiplicitate.

Posita materia infinite divisibili, ut re ipsa est; dici poterit, inexaustam partium substantialium, & physicarum multiplicitatem esse materiæ distinctivam proprietatem; at nunquam dici poterit, hac partium multiplicitate ejus essentiam constitui; quin enim constituat, jam necessario constitutam supponit.

PROPOSITIO VI.

1391. *Essentia materiæ statui non debet, ut recens auctor contendit, in extensione sine activitate.*

DEMONSTRATIO. Si materia concipiatur necessario aliqua extensione donata, & quavis intrinseca activitate semper necessario destituta; philosophice, & ad rationis, & experientiæ normam materia concipitur. At non inde sequitur, hac extensione, atque inertia materiæ essentiam constitui; ac materiam definiendam esse: *extensum iners*. Ostendo.

I. Ex hac materiæ definitione purum spatium materia erit: in spatio enim puro, ut in materia, vera extensio datur; spatii vero æque, ac materiæ extensio, iners esse videtur (1379).

Frustra dices, Leibnitii sophismata adducens in *spatii infiniti existentiam*, spatium nihil es-

se

ſe rei; purum ſpatium eſſe tantum entium coexiſtentium ordinem, & relationem. Philoſophi non aſſentientur. Per hos dies ita ſpatii ideæ ferme ſtatutæ ſunt, ac geometrica pleraque; neque de ſpatio infinito jam magis, quam de cubi, aut ſphæræ proprietatibus dubitatur (349, & 358).

II. Ex hac materiæ definitione extenſio unum ex eſſentiæ ſuæ conſtitutivis eſſe deberet. At jam oſtendimus materiæ eſſentiam neque in determinata, neque in indeterminata extenſione ſitam eſſe.

Quare ſi extenſio una eſt, ut re ipſa eſt, ex materiæ proprietatibus, non jam eſt ut ejus eſſentiæ conſtitutivum, quo materia fiat (1394).

III. Ex hac materiæ definitione inertia quoque unum eſſe deberet ex ejus eſſentiæ conſtitutivis. At hæc eſſentia, quæ neceſſario *quid poſitivum* eſſe debet, poterit ne ab inertia, quæ quid negativum eſt, conſtitui?

Inertia tantum eſt intrinſecæ activitatis negatio. At vero quid poſitivi ponere poteſt in ente aliquo pura negatio? Poterit negatio eſſe quid limitans, non vero quid conſtituens eſſentiam. Eſſentiæ adnexa eſſe poteſt ut proprietas negativa, qua limitetur, & circumſcribatur, non ut proprietas poſitiva, in qua eſſentia ſita ſit.

Ex his omnibus ſequitur, materiæ eſſentiam non extenſionem inertiæ adjectam; neque ſententiam hanc antea confutatis magis eſſe philoſophicam. Q. E. D.

COROLLARIUM COMMUNE.

1392. *Eſſentia materiæ, ſive intima proprietas ſubſtantiam determinans, ut ſit materia potius, quam alia ſubſtantiæ ſpecies, latet, fortaſſe etiam ſemper latebit.*

DE-

DEMONSTRATIO. Patet, hoc corollarium ex omnibus hactenus demonstratis varias de materiæ essentia opiniones confutando plane sequi.

I. Certum est, hanc *materiæ essentiam*, seu essentialem, & immutabilem proprietatem, qua substantia materialis intrinsece determinatur, ut sit materia potius, quam, exempli causa, spiritus, in materia existere; evidens enim est, essentiam materiæ non posse in materia non existere, cum qua necessario est identificata.

Verum quid hæc essentia est, sive proprietas ista specifica, & distinctiva materiæ? nemo philosophus ab Aristotele ad hæc usque tempora definire potuit. Quare materiæ definitio adhuc desideratur.

II. Ab Aristotele ad Cartesium vix in materiæ essentiam inquisitum fuit. Tantum substantiæ omnes sensibiles materia vocatæ fuerant; nec quærebatur quare substantiæ sensibiles intrinsece determinatæ sint, ut sint materia potius, quam aliud.

At post Cartesium ad hos usque dies plurima præclara ingenia omni conatu in materiæ essentiam inquisiverunt; ex sententiis vero eorum apparet, omnem eos lapidem movisse, ut hanc essentiam detegerent, si humanæ mentis acumine detegi posset.

Materiæ essentia non nisi ex phænomenis detegi potest. Atqui si phænomena materiæ per duo, vel tria annorum millia a philosophis, & a physicis observata materiæ essentiam non detexerunt, sperandum ne melius eam imposterum cognitum iri? multo ergo verosimile est *materiæ essentiam* hactenus ignotam & imposterum ignotam futuram. Q. E. D.

1393. NOTA. Aristoteles omnium primus materiam *generatim*, & *abstracte* consideravit, ut ad ejus essentiam investigandam consideran-

da

da est; ac in metaphysica sua meditatione de materia, & de corporibus ea tradit, quibus fortasse nihil magis philosophicum unquam tradetur.

I. Aristoteles materiam ut materiam tantum considerans, & a proprietatibus specificis, quas in diversis corporibus obtinet præscindens, eam exhibet ut *subjectum primum, & permanens*, a quo emanat quidquid nascitur, & in totum naturale assurgit; & in quod redit quidquid dissolvitur. *Materia est subjectum primum uniuscujusque rei, ex quo insito, & remanente fit aliquod totum per se, & non per accidens, & in quod ultimum, si quid corrumpitur, abit.*

Ut materia, alibi ait Aristoteles, nullam habet ex specificis proprietatibus, quas in diversis corporum speciebus observamus, quasque ipsa non induit nisi in hæc corpora transformetur. In hoc statu, atque ita considerata ipsa est, *id, quod per se neque est quid, neque quale, neque quantum, neque quidpiam eorum, quibus ens determinatur, neque eorum negationes.*

Quod potest nihil aliud significare, nisi materiam posse, quin materia esse desinat, omnes sensibiles qualitates amittere, quas in corporibus observamus, ne triplici quidem eorum dimensione excepta: *neque quantum.*

II. Materiam ipse considerans ut corpora mixta constituentem, puta substantias animales, vegetabiles, fossiles, eam concipit veluti in quatuor primordiales elementorum species divisam, quæ omnes aliquid præter materiam sunt, & singulæ specificam suam formam habent, qua intrinsece determinantur ut sint una *terra* sive elementum terreum, altera *aqua* sive elementum aqueum, alia *aer*, sive elementum aereum, alia *ignis*, sive elementum igneum.

Quatuor hæc elementa, sive quatuor hæ elementares materiæ species, per Aristotelem

ſunt principia phyſica mixtorum hunc viſibilem mundum conſtituentium. Atque hæc per clariores phyſicos recentiores ſunt vera omnium ſenſibilium principia, ſeu primordialia conſtitutiva (Phyſ. 156, 158, 171, 187).

Sane, ut Ariſtotelis ætate hæc de materia differerentur, mira, & omni ætate miranda ingenii vi opus erat.

PROPOSITIO VII.

1394. *Extenſio, ſeu trina ſolida dimenſio, etſi non ſit materiæ eſſentia, eſt tamen proprietas omnino a materia inſeparabilis: ita, ut nunquam materia ſine aliqua triplici ſolida dimenſione exiſtere poſſit.*

DEMONSTRATIO. A triplici ſive determinata, ſive indeterminata dimenſione materiæ eſſentiam non conſtitui jam oſtendimus. Nunc oſtendemus, materiam aliqua triplici ſolida dimenſione nunquam omnino deſtitui poſſe; atque hanc triplicem dimenſionem, etſi variabilem, quum ſemper materiæ inſit, ſatis eſſe, ut ab omni non ipſa optime diſtinguatur.

I. Etſi a triplici dimenſione materia non conſtituatur; certum tamen eſt, nunquam ſine aliqua majori, vel minori, ſemper abſoluta, & poſitiva, exempli cauſa, pollicis cubici, aut centeſimæ milleſimæ, vel deciescenteſimæ milleſimæ partis pollicis cubici, extenſione materiam neque miraculo exiſtere poſſe.

Id enim de rebus affirmandum, quod neceſſario in earum idea continetur; atqui in idea materiæ ſemper aliqua vera extenſio poſitiva ſolida continetur.

Exempli cauſa, ſi de ſubſtantia ſermo ſit veram, & ſolidam extenſionem habente, nec dicatur quid hæc ſubſtantia ſit; mens materiam concipit.

Si de ſubſtantia ſermo ſit nullam extenſio-

nem

nem habente; mens materiam non concipit, seu potius substantiam indeterminatam concipit, nihil cum materia commune habentem.

Ergo vera, & solida extensio semper necessario in materiæ idea continetur. Ergo hæc proprietas est semper necessario materiæ conveniens, & ab illa insepatabilis, etsi infinite variari possit.

II. Sit volumen cujusque materiæ indefinite magnum, cujus *triplex intrinseca, & absoluta dimensio*, demptis poris, & vacuis, sit pollex cubicus. Dico, materiam hanc triplicem suam hanc dimensionem amittere non posse; nisi altero ex tribus hisce modis, annihilatione, condensatione, compenetratione.

Annihilatione tantum extensionis amittet, quantum materiæ ad nihilum redactæ. Scilicet si dimidia tantum ad nihilum redigatur, dimidia tantum extensio amittetur, nec tota amittetur, nisi materia tota ad nihilum redigatur.

Condensatione, volumen materiæ quantumvis magnum nunquam poterit, neque miraculo ad spatium pollice cubico minus redigi; & post condensationem intrinseca, & absoluta extensio eadem omnino perseverabit. Idem prorsus de compressione dicendum (1383).

Compenetratione tandem intrinseca, & absoluta elementorum omnium extensio hoc volumen componentium ad dimidium pollicem cubicum adducetur, si horum elementorum dimidium cum altero dimidio compenetratur, ad quartam ejus partem, si pars dimidia jam compenetratorum cum reliqua iterum compenetretur; atque ita porro.

Verumtamen utcumque pergat compenetratio, elementum, cui cetera compenetrantur, quantumvis minimum, semper in se *veram triplicem solidam dimensionem* habet; quæ eadem quoque erit omnium elementorum miraculo

cum

cum illo compenetratorum. Quare etiam in hypothesi maximæ compenetrationis, quæ haberi possit, nunquam materia sine aliqua vera, solida, positiva extensione existere potest. Q. E. D.

1395. NOTA. Omnis *proprietas essentialis* est a rebus inseparabilis; *at non omnis proprietas inseparabilis est essentialis*.

I. Exempli causa, materiæ proprietas inseparabilis est figura & ubicatio indeterminata; neque enim materia sine aliqua figura, & nullibi sita concipi potest.

At bene concipitur, materiam essentia, & natura non mutata, locum, & figuram mutare posse; & proprietatem variabilem, etsi inamissibilem esse non posse essentialem; hæ siquidem semper & inamissibiles, & invariabiles sunt.

II. Pari modo extensio aliqua solida indeterminata, major, aut minor, proprietas est a materia inseparabilis; non tamen essentialis, & materiæ essentiam constituens.

Materia enim, essentia non mutata, extensionem mutare potest. Corpus cubicam hexapedam extensum poris, & vacuis carens essentiam suam omnino servabit nihil mutatam, si ejus elementa omnia in pollicis, aut lineæ cubicæ spatium compenetratione includantur.

OBJECTIONES DILUENDÆ.

Præcipua, quæ veritatibus hac sectione statutis opponuntur, sunt: philosophiam a fide non pendere: Eucharistiæ Sacramentum sine transsubstantiatione haberi posse: corporum compenetrationem, & reproductionem esse ἀδύνατα: materiæ essentiam ignotam dicere, esse materialismo arma præbere: veram, & positivam extensionem in eucharistico Christi corpore admittere esse Patrum, ac doctorum catholicorum doctrinæ adversari.

PHI-

PHILOSOPHIA A FIDE FORTASSE NON PENDET.

1396. OBJECTIO I. Philosophia a fide, ejusque mysteriis præscindendi jus habet; ergo Cartesii sententia de materiæ essentia jure tamquam vera admittetur, etsi cum Eucharistiæ mysterio conciliari nequeat.

RESPONSIO. Alibi monuimus (1193), Cartesii sententiam, etiam præcisa fide, cui adversatur, fore parum philosophicam. At quoniam hic de jure a fide præscindendi sermo tantum est, de hoc tantum in responsione nostra agemus. (1379).

I. Philosophiæ scopus est veritatis inquisitio. Quicumque ergo alio collimat, deceptor est, fabularum venditor, non philosophus.

II. Veritas sibi ipsi non opponitur. Quidquid ergo certæ, & inconcussæ veritati opponitur manifesto falsum est, nec a philosopho admittendum.

III. Mysteria sunt *veritates revelatæ*, a Deo ipso nobis manifestatæ, quæ quod comprehendi nequeant, non propterea certissimæ veritates esse desinunt; ab auctore enim naturæ infallibili, & veraci proponuntur.

Ergo sententia omnis alicui religionis dogmati, vel mysterio opposita manifeste falsa est. Ergo est velle in errores sponte labi, si quis jus philosophiæ tribuat sententias tuendi fidei Mysteriis repugnantes: hac ratione quis sese pervertit, & reverendas veritates reiicit, ac insana quadam libidine sese illusioni, errori, & mendacio devovet.

Si ergo philosophus jus habet a religionis mysteriis præscindendi ab iis cum ratione conciliandis abstinens; certum saltem est, nunquam posse, quin philosophi, seu veritatis amantis nomen ejuret, sententiam ullam ex-

cegi-

cogitare, aut tueri sacris veritatibus oppositam, quibus fidei mysteria, aut dogmata continentur. (150, & 152,).

IV. Qui philosophiam a fide præscindere posse contendit, is duplex tribunal esse supponit, fidei alterum, rationis alterum, quin hoc ab illo pendeat; & in hoc aliquid verum esse posse, quod in illo falsum sit; quod omnino falsum, & absurdum est, ut contra Ponponacium philosophum contendentem, animæ immortalitatem ex fide veram esse, non vero ratione, definivit sacrum Lateranense Concilium sub Leone X. *Quum verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falsam definimus*.

1397. OBJECTIO II. Cartesius de materia, seu corporis in genere essentia differens *corpus naturale* definire contendit; cui ab ipso allata definitio ad amussim congruit, non vero corpori Christi Eucharistico, quod *corpus supernaturale* est, cum quo definitio hæc nihil commune habere debet.

Dummodo Cartesiana definitio corpori naturali, quod ejus objectum est, apte congruat, nihil interest, si corpori supernaturali, cui extranea est, non congruat. Quæ ergo ex Eucharistia Cartesii sententiæ opponuntur inania sunt.

RESPONSIO. Objectio hæc a præcedenti non differt, nisi quatenus ibi manifesta apparet, hic vero æquivocatione, & sophismate involuta proponitur.

I. Quamcumque corpus aliquod subeat status mutationem, evidens est, quamdiu *idem corpus* perseverat *eandem* quoque *essentiam* servare: essentia siquidem corporis alicujus ab eo diversa esse nequit; nisi si absurde supponatur, rem aliquam a se ipsa differre posse.

Si ergo in Eucharistia existit Christi corpus, sive

sive illud naturale voces, sive supernaturale, ibi *illius corporis essentia* existit.

II. Ex fide in Eucharistia idem re ipsa existit Christi corpus, quod in cruce pependit. Ergo in Eucharistia existit reipsa eadem *corporis Christi essentia*, quam in cruce pendens obtinebat.

Quum ergo in Eucharistia Christi corpus eandem essentiam servet, quam in cruce habebat, nec tamen ibi *eandem triplicem dimensionem* servet; jam triplex hæc dimensio non est essentia corporis Christi.

1398. NOTA I. Frustra dicet Cartesius inani effugio, definitionem a se traditam corpus tantum naturale respicere.

I. Definitio essentiæ materiæ objectum habet necessario quidquid corpus est, quidquid corporis essentiam habet.

Ergo necessario ejus objectum sunt non modo corpora in naturali statu existentia, sed quæ etiam in statu miraculoso existunt, aut existere possunt, si in hoc statu adhuc corpora, & materia sunt.

II. Miraculum, & miracula quotcumque nunquam efficere possunt, ut res eadem perseverans essentiam mutet: nulla enim miracula efficere possunt, ut res sit, & non sit; ut sit quod est, & simul non sit quod est.

Ergo quæcumque miracula in Eucharistia eluceant; quum ibi re ipsa Christi corpus idem sit, fieri nequit, ut ibi essentia hujus corporis diversa sit.

1399. NOTA II. In Eucharistia corpus Christi juxta diversos respectus & naturale corpus est, & supernaturale.

I. *Corpus naturale* est in se, & in suis physicis constitutivis; in Eucharistia enim re ipsa eadem habet constitutiva physica, quibus constabat, quum juxta naturalem rerum ordinem existeret,

II.

II. *Corpus supernaturale* est miraculoso modo, quo existit: non enim modus, quo in Eucharistia existit; similis illi est, quo in naturali rerum ordine existebat.

In statu naturali corpus Christi existebat cum sua triplici naturali dimensione. In statu Eucharistico existit sine hac triplici naturali dimensione miraculo compenetrationis.

In statu naturali existebat, & vivebat ex circulatione sanguinis, ex alimentorum digestione, ex omnibus animalis œconomiæ muneribus.

In statu Eucharistico, ut in statu glorioso in cælis, novo, & supernaturali modo existit, & vivit, quem fides nobis testatur, & potest ratio, si lubet, investigare.

In Sacramento, & extra Sacramentum semper *idem corpus* est, & *eadem essentia*. At hoc idem corpus, hæc eadem essentia, hoc idem ens individuum in statu Eucharistico modum habet existendi admodum ab eo diversum, quem in naturali statu sibi proprium obtinebat.

TRANSUBSTANTIATIO IN EUCHARISTIÆ SACRAMENTO FORTASSE INUTILIS.

1400. OBJECTIO III. Lutherani, Calvinistæ, Zuingliani, Sacramentarii omnes *Eucharistiæ Sacramentum* admittunt, quin transubstantiationem admittant. Ergo hoc Sacramentum sine transubstantiatione haberi potest.

RESPONSIO. Lutherani, Calvinistæ, Zuingliani, Sacramentarii assertum quoddam *Eucharistiæ Sacramentum* admittunt, quod sibi confinxerunt, aut quod proprio arbitrio deformarunt.

At vero hoc Sacramentum ab ipsis confictum, & deformatum illud ne est, quod referunt Evan-

Evangelia, quodque Christiana Ecclesia ab ejus incunabulis ad seculum usque decimum sextum venerata est? minime sane; ut facile probatur ex apertissimis Evangelii locutionibus, & ex perpetua plurium ecclesiæ patrum doctrina a temporibus apostolicis usque ad Concilium Tridentinum. (1373, 1376, 1402,).

Nihil refert, sacramentarios quoscumque Sacramento eucharistico ab ipsis confícto, & deformato eandem spiritualem vim tribuere, quæ vero Eucharistico Sacramento a Jesu Christo instituto, & ab Ecclesia catholica servato tribuenda est. Non hominum mens, sed *divina institutio* vim tribuit sacramentis.

1401. OBJECTIO IV. Quum sensus evangelicarum locutionum obvius, & naturalis adeo rationi adversetur in omnibus ad eucharisticam transubstantiationem spectantibus; quare non eas sensu figurato accipiamus, ut sacramentarii plures fecerunt? Quam multæ sunt locutiones tum in veteri, tum in novo testamento, quæ nunquam nisi sensu figurato acceptæ fuerunt, propterea quia in obvio, & literali sensu absurdæ essent?

RESPONSIO I. Si liceret sensu figurato scripturæ locutiones sumere, quas obvio, & naturali sensu semper catholica Ecclesia intellexit, jam patet, nihil jam in sacris literis certum fore; & tunc licere secundam Trinitatis personam dicere incarnatam sensu figurato; dicere Christum natum fuisse, vixisse, passum, & mortuum fuisse, a mortuis surrexisse sensu tantum figurato. Porro in hac hypothesi quid jam erunt dogmata omnia revelata?

Quare patet, aut scripturæ locutiones *in sensu obvio, & literali* sumendas esse, quum ita semper a fidelium universitate sumptæ fuerunt; aut universas sacras literas considerandas tanquam inania verba nihil significantia,

& quibus quæ magis libuerit ſignificatio appingi poſſit.

II. Si ab evangelicarum locutionum obvio, & literali ſenſu recedendum fuit in iis, quæ ad Euchariſticam tranſubſtantiationem ſpectant, (ſacramentarios tantum hic alloquor), propterea quia ſenſus hic rationi adverſari videbatur; num & a ſenſu obvio, & literali in iis recedendum erit, quæ in evangelio ad Trinitatem ſpectant, ad Incarnationem, ad univerſalem corporum reſurrectionem, ad æternam reproborum damnationem, & ad cetera præcipua religionis chriſtianæ dogmata; quandoquidem ſenſus hic æque ſaltem rationi adverſari videtur?

III. At enimvero quare nam ita rationi oppoſita traſubſtantiatio euchariſtica ſacramentariis videtur, hominibus ſcilicet, qui ſe Chriſtianos dicunt, qui Deum ſe credere profitentur infinite liberum, & potentem, cujus nutu omnia in natura eſſe cœperunt, & ad nihilum redigi poſſunt?

Non ſane mirarer, ſi materialiſtarum ratio a tranſubſtantiatione abhorreret; neque enim cauſam ullam agnoſcunt, a qua fieri poſſit; at in ſacramentariorum principiis utique haberi poteſt; & unice ex ſacris literis, & ex traditione videndum eſt, num eam Deus decreverit, & voluerit.

1402. OBJECTIO V. Cui ſuadeas nonnulla verba ab eccleſiæ miniſtro prolata illico in corpus Chriſti tranſubſtantiare panem, & vinum Euchariſticum? Nulla hic inter cauſam, & effectum proportio.

RESPONSIO. Miraculoſi hujus phænomeni *poſſibilitatem* ſuadebimus cuicumque credenti Deum eſſe infinite potentem; illud vero *re ipſa dari* cuicumque ſacris literis, & traditioni credenti.

Repugnat, verba ſacramentalia eſſe tranſubſtan-

stantiationis causam efficientem; non tamen repugnat, ea esse illius causam occasionalem, sive, ut theologi loquuntur, causam motivam.

I. *Causa efficiens* miraculi transubstantiationis, ut miraculi cujusque, est Deus ipse infinite potens, & liber, a quo libere statutæ fuerunt, & libere interrumpi, ac mutari possunt semper, & in omnibus naturæ leges.

Quare *infinita* hæc *potentia*, quæ unico voluntatis actu initio temporum mundum creavit, & unico quoque voluntatis actu quovis momento temporis universam naturam movet, atque animat, non poterit, quum libuerit, eodem voluntatis actu *substantiam panis*, *& vini in substantiam corporis Christi* mutare? Ratio posse probat; fides velle; ergo facit. (1375).

II. *Causa occasionalis*, sive motiva miraculi transubstantiationis sunt verba sacramentalia ad hoc a Christo instituta.

Pridie, quam moreretur Christus cum suis apostolis cœnans, sumpto pane, ac vino, supra panem dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*; supra vinum: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur* (a). Hæc ipsa fuit sacramenti eucharistiæ institutio: hæc celebris epocha eucharisticæ transubstantiationis.

Ut Deus, efficaciter per se operatus est sacra hæc verba proferens *miraculosam hanc mutationem*. Ut Deus, & ut permanentis religionis institutor, decrevit, & voluit, miraculosam hanc mutationem perseveranter fieri, & renovari, quoties verba ab ipso instituta, & consecrata sacramentaliter supra panem, ac

(a) *Luc.* 22. 19. 20. *Math.* 26. 27. 28. *Mar.* 4. 23. 24. *Joan.* 6. 52. 54. *I. Cor.* 11. 24. 27.

vinum proferentur ab hominibus sacro sacerdotii charactere insignitis, atque ita ad suorum ministrorum & vices hac in re agentium dignitatem elevatis.

Verba hæc *sacramentalia*, & divina sunt transubstantiationis causa occasionalis, aut motiva. Sunt causa occasionalis transubstantiationis, quatenus occasione horum verborum sacramentaliter prolatorum Deus sua sapientia, & fidelitate est efficaciter determinatus ad miraculum a se decretum operandum. Sunt *motivum transubstantiationis*, quatenus verba hæc sacra meritis Christi convestita hæc merita repræsentantia, efficaciter Deum movent ad hoc ipsum miraculum primitus a Christo pridie, quam pateretur, operatum renovandum. Hæc est catholicæ ecclesiæ doctrina de Eucharistiæ Sacramento. Est ne in hoc quidpiam, a quo mens revelatione illustrata abhorrere possit?

1403. OBJECTIO VI. Philosophus tantum id, quod evidenter concipit admittere debet. Quis vero eucharisticam transubstantiationem ita concipiat?

RESPONSIO. Objectionis prima propositio, quæ axiomatis instar effertur, uno sensu vera est, altero falsa.

I. Vera est, si ejus significatio sit, nihil a philosopho admitti debere, quod certis principiis, & solidis rationibus non innitatur; sive, ut ait Leibnitius, sine ratione sufficiente.

II. Falsa est, si significet, nihil philosophum admittere debere, quod plene, perfecteque non intelligat. Ceterum de existentia materiæ dubitare posset, non enim, nisi admodum confuse percipit quid ipsa sit; imo de sua ipsa existentia dubitare posset; non enim nisi admodum confuse percipit quomodo existat, & quid ejus existentia sit.

III. Philosophus tamquam verum admittere debet quidquid agnoscit necessario connexum veri-

veritati in se certæ, aut ab evidentia sive intrinseca, sive extrinseca manifestæ: etsi res hæc in se omnino obscura sit, & percipi nequeat. (56).

Atqui hujusmodi est Transubstantiatio eucharistica: ipsa enim quum divinæ revelationis veritati infallibiliter connexa sit; etsi fortasse in se concipi nequeat, a quovis philosopho divinæ revelationis veritatem admittente omnino admitti debet.

TRANSUBSTANTIATIO EUCHARISTICA CUM CARTESIANA SENTENTIA DE ESSENTIA MATERIÆ FORTASSE COMPONI POTEST.

1404. OBSERVATIO. Sententia Cartesii de essentia materiæ libentissime a sacramentariis omnibus admissa fuit; propterea quia catholicum dogma de eucharistica transubstantiatione oppugnabat.

Cartesius, qui nihil tale sane cogitabat, sententiam suam cum eucharistica transubstantiatione conciliare conatus est. Ipse opus cœpit: ejus asseclæ illud sunt prosequuti; at meditata conciliatio non apparuit; plane siquidem fieri non poterat.

TRANSUBSTANTIATIO PANIS, ET VINI EUCHARISTICI IN SENTENTIA CARTESII.

1405. EXPLICATIO. Cartesius, cui systemata confingere facile erat, cito systema excudit, quo triplicem determinatam dimensionem, in quá materiæ essentiam statuebat, cum vera eucharistica Transubstantiatione conciliaret.

I. Materia, inquit ipse, in omnibus corporibus est homogenea. Quod hodie caro, & sanguis est in homine, antea frumentum fuit,

uva, aqua, fructus, legumen, avis, piscis; reliqua. (119, 120, 1369, (.

Alimenta, quibus alimur, natura in substantiam nostram mutantur: ea quoque, quibus Christus vescebatur, in carnis, & sanguinis sui substantiam natura ipsa mutabantur.

II. Ex hac maxime philosophica positione materiæ homogeneæ, ac generica naturalium transubstantiationum notione Cartesius binas sequentes quæstiones, sive hypotheses proponit, quibus trinam suam dimensionem cum eucharistica transubstantiatione conciliare se posse putat.

Quare nam supponere non possimus, Christum quum Eucharistiam instituit, id miraculo, & divinorum suorum verborum virtute fecisse, quod natura ipse fecisset ex interna, & mechanica suorum vitalium organorum actione; suorum divinorum verborum nempe virtute in carnem, & sanguinem suum convertisse panem, ac vinum, quæ duo accepit, benedixit, ac apostolis distribuit; ut eundem hunc panem, hoc idem vinum in carnem, ac sanguinem suum convertisset intima, & mechanica suorum organorum vitalium actione, si illa in cibum suum sumpsisset?

Quare quoque supponi nequeat, verba sacramenti nunc id ipsum miraculo operari, quod sacra Christi verba in Eucharistiæ institutione miraculo operata sunt?

III. In duplici hac hypothesi, inquit Cartesius, optime in Eucharistia transubstantiatio habetur; & materia transubstantiata trinam suam dimensionem plane servat; neque enim materia transubstantiata existens sub speciebus panis, & vini est totum corpus, totusque sanguis Christi domini; sed tantum *hujus sacri corporis, ac sanguinis pars*, qualis effecta esset, si Christus panem, & vinum, super quæ sacramenti verba prolata fuerunt, comedisset.

1406.

1406. CONFUTATIO. Philosophica hæc explicatio, quæ primo intuitu ingeniosa admodum, & apta videtur, nullo pacto a catholicis philosophis, quibus unice exhibetur, admitti potest; neque enim transubstantiationi Eucharisticæ, ut a sacris literis, & a traditione proponitur, est consentanea.

I. Ex communi ecclesiæ doctrina *Transubstantiatio eucharistica est mutatio totius substantia panis, & vini in substantiam corporis, & sanguinis Christi*; ita ut nihil omnino ex prima substantia remaneat, exceptis speciebus, sive accidentibus; & ut prima substantia identice altera fiat, & quæ substantia transubstantiatur, & illa, in quam transubstantiatur non jam sint duæ substantiæ similes post transubstantiationem, sed una eademque substantia.

In Cartesii hypothesi panis, & vini substantia *transmodificatione intrinseca* fit substantia similis illi corporis Christi, non vero re ipsa, & identice substantia ipsa corporis Christi; Cartesiana siquidem transubstantiatio a naturalibus transubstantiationibus non differt nisi modo miraculoso, quo fit. Porro in naturalibus transubstantiationibus substantia existens A non fit substantia existens B, sed tantum substantia similis substantiæ B.

II. In catholicis principiis *transubstantiatio Eucharistica ipsam panis, & vini substantiam afficit, & intacta relinquit accidentia, quæ eadem prorsus remanent post transubstantiationem.*

In principiis Cartesii transubstantiatio Eucharistica panis, & vini substantiam non immutat, eam, inquam, homogeneam substantiam intrinsece diversarum formarum capacem, & quæ post transubstantiationem sub alia forma eadem remanet.

Per catholicos transubstantiatio eucharistica est vera elementorum mutatio, *vera transub-*

ſtantiatio, quæ facit, ut ſubſtantia A fiat identice alia ſubſtantia B.

Per Carteſium tranſubſtantiatio euchariſtica eſt *ſimplex tranſmodificatio*, quæ facit, ut ſubſtantia A fiat natura ſimilis alii ſubſtantiæ B.

Prima *realem identitatem* producit inter ſubſtantiam, quæ tranſubſtantiatur, & corpus Chriſti, in quod tranſubſtantiatur.

Altera *realem ſimilitudinem* tantum producit inter ſubſtantiam, quæ tranſubſtantiatur, & corpus Chriſti in quod tranſubſtantiatur.

Per catholicos in mille hoſtiis conſecratis non niſi *idem, & unicum Chriſti corpus* exiſtit, in quod æque ubique omnium harum hoſtiarum ſubſtantia tranſubſtantiata fuit.

Per Carteſianos in mille hoſtiis conſecratis *mille* exiſterent *ſimilia Chriſti corpora*; ſeu potius mille ſimiles portiones totidem Chriſti corporum.

III. Juxta communem eccleſiæ doctrinam: *Euchariſticum Chriſti corpus re ipſa idem numerice eſt, eademque individua phyſicarum, & ſubſtantialium partium collectio, quæ pro mundi ſalute in cruce pependit* (1373, & 1376).

In Carteſii hypotheſi, (præter individuæ naturæ alteritatem, de qua ſupra), euchariſticum Chriſti corpus eſſet *pars tantum veluti infinite parva* adorabilis hujus corporis cruci affixi; & Chriſtus apoſtolis fucum feciſſet dicens de pane conſecrato, & tranſubſtantiato: *hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur* (1402).

Sicut enim dici non poſſet ſine manifeſto terminorum, & idearum abuſu, minimam panis, & vini quantitatem, quæ meorum organorum mechanica actione in meam ſubſtantiam convertitur, vere, & ſimpliciter eſſe corpus meum; ita dici nequit ſine pari abuſu, & re ab his terminis expreſſa non mutata, minimam panis, & vini quantitatem miraculo in

æqua-

æqualem corporis Christi quantitatem mutatam vere, & simpliciter esse corpus Christi.

IV. Ex communi ecclesiæ doctrina *corpus Christi nihil magis habet in parva hostia, quam in magna*: æque in utraque totus est.

In Cartesii hypothesi magna hostia plures elementares Christi corporis partes continet, quam parva; plura enim in illa, quam in hac fuerunt elementa transsubstantiata. Si enim ante consecrationem prima erat alterius quadrupla, Christi corpus eucharisticum in prima post consecrationem quadruplum erit Christi corporis in altera.

1407. NOTA. Patet, alia insolubilia contra Cartesianam hypothesim objici posse. At ex dictis satis patet, *veram transsubstantiationem eucharisticam*, cum Cartesiana sententia de materiæ essentia in trina dimensione determinata non conciliari; & quidquid heterodoxum sapit sententia hæc Cartesii, a qua nota eam hac hypothesi Cartesiani liberare conati sunt, æque sapere etiam post hypothesim hanc inventam.

DIVERSA CHRISTI CORPORA EUCHARISTICA, IN QUORUNDAM PHILOSOPHORUM SENTENTIA.

1408. EXPLICATIO. Nonnulli Cartesii asseclæ, ut in Eucharisticæ trasubstantiationis explicatione sibi nomen compararent, supposuerunt, Christianam religionem tantum docere, Christi corpus realiter, & substantialiter esse in Eucharistia: nec definire *quodnam Christi corpus* in Eucharistia sit; num quale erat in mirabili sua conceptione, aut quale quum moreretur, aut quale fuit tempore aliquo inter hæc medio.

Ex hoc facile conciliare sibi visi sunt triplicem essentialem materiæ dimensionem cum triplici Eucharistici Christi corporis dimensione.

I. Certum est, inquiunt, humanum corpus, etsi in incrementis, & decrementis plures subeat mutationes, ab eo tempore quo organis instructum, & animatum esse incipit in materno sinu ad mortem usque, censendum semper esse *idem humanum corpus*: corpus hominis, exempli gratia, octogiuta annos nati censendum esse idem humanum corpus, quod homo hic habebat annos natus quinquaginta, viginti, decem, menses quatuor, quum nasceretur, quum conceptus fuit.

En itaque idem humanum corpus sub dimensionibus admodum diversis. Hoc enim, quod firma ætate duos ferme materiæ pedes cubicos continet, est tantum *molecula organica* quum esse incipit: est tantum *punctum vivens, & saliens* diebus aliquot a conceptione; quartam tantum pollicis cubici partem materiæ habet uno, aut altero mense a conceptione (135, &1347).

II. Verosimillimum est, pergunt illi, humanum Christi corpus postquam mirabili Dei actione conformatum fuit, *per hos omnes incrementi gradus* humanæ naturæ proprios transisse; juxta Apostolum enim Jesus Christus, dempto peccato, cæteris hominibus similis esse debuit. *Debuit per omnia fratribus similari*. Rom. 2. 17.

III. Patet, (addunt), facile ex his trinam dimensionem materiæ essentialem cum variabili, & semper veluti infinite parva eucharistici Christi corporis extensione conciliari.

Quare in minima hostia, sive in vix sensibili hostiæ particula erit cum sua triplici determinata dimensione corpus Christi, ut erat quum conceptum fuit; in hostia indefinite majori erit cum sua triplici determinata dimensione ut erat diebus aliquot a conceptione; at in nulla hostia consuetæ magnitudinis erit idem corpus Christi quale fuit pridie, quam pateretur.

In

In hac hypothesi *perfecta* erit *identitas* inter panem, qui transsubstantiatur, & Christi corpus, in quod transsubstantiatur. Exempli gratia, hostiæ duæ, quæ singulæ cubicam lineam materiæ contineant, poterunt ambæ in idem individuum Christi corpus transsubstantiari, quale erat quum non nisi *cubicam* humanæ substantiæ *lineam* continebat: binæ hostiæ singulæ harum duplæ poterunt singulæ in idem individuum Christi corpus transsubstantiari, quale erat quum duas tantum cubicas humanæ substantiæ lineas continebat.

Hac ratione, tandem inferunt, optime cum sententia hac ecclesiæ doctrina conciliatur, juxta quam in quibuscumque hostis consecratis unum, idemque Christi corpus est, & idem re ipsa est, quod in utero Virginis conceptum fuit, & in cruce immolatum: quæ duo esse nequeunt, nisi in hypothesi, qua humanum corpus sit semper *idem humanum corpus*, etsi plures a conceptione ad obitum mutationes subjerit.

1409. CONFUTATIO. Cartesiana hæc explicatio & *falsa est*, & *parum orthodoxa*; quare non admittenda.

I. Falsa est; supponit enim veram, & realem identitatem inter corpus hominis, puta triginta, aut quadraginta annos nati, & ejusdem hominis corpus quum primum organis instrui, & animari cœpit: quod idem est, ac supponere veram, & realem identitatem inter antiquam quercum, & germen, quo e glande emersit.

Tota hæc explicatio futili æquivocatione innititur, qua in entibus organicis identitas moralis cum individuali identitate confunditur.

Inter corpus hominis, puta, quinquaginta annos nati, & ejusdem hominis corpus in utero datur *identitas moralis*; hac enim in re moralis identitas importat dumtaxat vitam iisdem

vitalibus organis perseveranter continuatam, (135).

At inter ejusdem hominis corpus quinquaginta annos nati, & in utero existentis non datur *individualis identitas*: neque enim utrumque est eadem numerica, & individua physicorum constitutivorum collectio.

II. Explicatio *hæc parum orthodoxa* est; in chistianæ fidei principiis siquidem Christi corpus realiter, & substantialiter idem est *in hostia diametro duorum pollicum, & in hostiæ particula diametro unius lineæ.*

Atqui juxta hanc explicationem Christi corpus non idem esset realiter & substantialiter in hostia, & hostiæ particula, de quibus modo; inæquales enim hæ duæ magnitudines duos respiciunt diversos corporis Christi status; &, ceteris paribus, corpus Christi in prima esset ad corpus Christi in altera, ut quadratum diametri primæ ad quadratum diametri alterius; sive ut 576. ad unum.

Ceterum juxta hanc explicationem corpus Christi eucharisticum nunquam illud esset, quod in cruce immolatum fuit. Et Christus apostolis illusisset iis dicens de pane, & vino consecrato: *hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur* (1402).

1410. NOTA. Quum ecclesiæ Patres, & ex ipsis cathechismi catholici dicunt, eucharisticum Christi corpus *idem* esse, quod in cruce pependit, quod in Bethleem natum est, quod Spiritus Sancti afflatu in sinu Virginis formatum fuit; patet ipsos terminos *identitatis* non eodem sensu sumere.

Priori loco de *individuali identitate* loquuntur juxta ipsius Christi locutiones; altero, & tertio loco de *identitate* tantum *morali* loquuntur, quæ relationem organicam, & vitalem de-

designat corporis cruci affixi cum corpore in Bethleem nato, & cum corpore in sinu Virginis a Spiritu Sancto formato.

CORPORUM MATERIA ESSENTIALIS, ET ACCIDENTALIS JUXTA QUOSDAM PHILOSOPHOS.

1411. EXPLICATIO. Ut triplicem materiæ essentialem dimensionem cum triplici dimensione, quam in Eucharistia obtinet Christi *corpus in cruce immolatum* concilient, nonnulli Cartesii asseclæ, corporum physica constitutiva dividunt saltem in regno animali, & vegetabili in materiam essentialem, & in accidentalem.

I. *Materia* corporis *essentialis* in hac sententia est quidam textus filamentorum tenuissimorum, quem corpus amittere nequit, quin desinat esse quod est.

II. *Materia* corporis *accidentalis* sunt moleculæ illæ accessoriæ, varii succi nutritii, qui perpetuo fluxu sese poris, & primordialibus filamentis insinuantes, illa extendunt, protrahunt, dilatant, evolvunt, & augent.

III. Corpus Christi in hac sententia essentialem tantum materiam, qua in cruce constabat, in Eucharistia continet. Ibi materia omni accidentali, quam tunc habebat, spoliatum est; hæc siquidem essentiam suam non constituebat, eamque amittere poterat, quin desineret esse, quod erat.

In Eucharistia, per hos philosophos, re ipsa existit idem numerice corpus *individuum*, quod in cruce pependit; in Eucharistia siquidem existit *eadem materia essentialis collectio*, quæ corpus in cruce immolatum efficiebat.

Corpus hoc eucharisticum, nulla compenetratione, ad minimum volumen adductum est; *materia* enim *essentialis* corporis in cruce immo-

molati accidentali materia exuta ad minimum volumen nulla compenetratione redigi poteſt.

1412. CONFUTATIO. Patet, ſententiam hanc inane effugium eſſe ad lapſabundam cauſam tuendam excogitatum.

I Sententia hæc omnes, quas habemus animalis, & vegetabilis regni ideas pervertit.

Patet enim, exempli cauſa, nos quum corpus hamanum ad perfectum ſtatum jam adductum dicimus, nihil ſimile illi corpori intelligere, quod Carteſiani hic obtrudunt.

II. Neque Carteſiana hæc ſententia aptius conſentit catholicis principiis de euchariſtia.

Inauditum eſt enim in catholica Chriſti eccleſia, ejus corpus euchariſticum non jam illud ipſum eſſe, quod in cruce pependit, ſed quamdam tantum primordialium, & inamiſſibilium filamentorum texturam, quibus divinum hoc corpus in cruce immolatum confingitur.

DE TRANSUBSTANTIATIONE EUCHARISTICA VARIGNONII SENTENTIA.

1413. EXPLICATIO. Celebris Varignonius ex Regia ſcientiarum accademia magnus idem geometra, ac philoſophus, ipſe quoque Carteſii ſententiam de eſſentia materiæ cum *tranſubſtantiationis myſteriis* in Euchariſtia conciliare conatus eſt. Quare philoſophicum ſyſtema confinxit, quod geometrica methodo propoſuit, & quo fortaſſe nihil ingenioſum magis hac in re excogitari poteſt, poſita in triplici determinatâ dimenſione eſſentia materiæ.

In ſuâ ſententia materiæ homogeneitate, & diviſibilitate in infinitum ingenioſiſſime utitur; at nimis inanibus Leveneockii, & Hartſoekerii inventis indulſiſſe videtur (*Phyſ.* 142, 60, 554, & 557).

I. Supponit, quo momento verba ſacramentalia proferuntur, Deum cuivis *inſenſili* panis, & vi-

& vini *parti* motum quemdam intestinum miraculo indere, ì quo partis hujus insensilis elementa singula novas formas induant, & diverso modo aggregentur, ea ratione, qua opus est, ut ex eorum collectione novum exiguum corpusculum conficiatur ita organis instructum in sua parva mole, ut perfectum humanum corpus instructum est.

In hac hypothesi in pane, & vino eucharistico innumera habebantur *organica corpuscula, ut humanum corpus*, quorum quodlibet in se insensile, aliud non erit, & omnia erunt invicem separata.

Nondum tamen ex hac hypothesi hæc corpusculorum collectio est corpus Christi; erit tamen hac altera hypothesi.

II. Supponit quo momento in pane, & vino eucharistico corpuscula hæc omnia formata sunt, *animam Christi* illis miraculo uniri, ut ea animet, ac vivificet.

Tunc etsi in pane, & vino consecrato innumera sint corpuscula organica humano corpori omnino similia, unicum tamen habebitur Christi corpus; unica enim ibi erit humana Christi anima; & *unitas corporis animati* tantum ab animæ unitate est, quæ singulas ejus partes animat, & vivificat.

1214. NOTA. Ex duabus hisce hypothesibus, sive ex duobus hisce philosophicis postulatis, omnia per Varignonium transubstantiationis mysteria explicantur. Exempli gratia:

I. In hac hypothesi *hostiæ duæ consecratæ*, quarum una Romæ sit, altera Parisiis, etsi tantum distent, *unicum, idemque Christi corpus* continebunt; corpuscula enim organica hostiæ Romæ existentis, & illa Parisiis existentis, etsi re ipsa invicem distincta, tamen animantur, vivificantur, determinantur, ut sint idem humanum Christi corpus ex una eademque anima, nempe Christi.

Lo-

Locorum distantia non obest, quominus eadem Christi anima, & hostiam Romæ positam animet, & Parisiis existentem. Si enim hominis anima, sive toto corpore diffusa supponatur, sive aliqua cerebri parte præcipua circumscripta, simul & caput, & pedem animare potest, etsi ad pedes quinque invicem distent; quare non æque duo corpora animare poterit invicem dissita hexapedas quinque, seu leucas, seu terræ semidiametros; atque ita porro?

II. In hac hypothesi hostiam in plures partes dividendo, non propterea dividetur Christi corpus; *corpora* enim *organica*, quæ separantur, integra remanet, & insecta singula in quavis hostiæ divisæ portione; eaque sive simul juncta, sive separata semper unicum Christi corpus conficiunt, quum ab una eadem Christi anima sint animata.

III. In hac hypothesi eucharisticum Christi corpus Romæ, & Parisiis idem omnino est, quod in cruce pependit, quod in sinu Virginis formatum fuit, quod modo gloriosum in cælis est, etsi materia, qua constat Romæ, & Parisiis non *eadem individua materia* sit, qua in cruce, & in utero Virginis constabat, a qua modo in cælis constat; duplex enim hæc materia eadem individua anima est animata; & plura corpora organica unum, & idem corpus sunt quum unica individua anima animentur.

Eadem ratione eucharisticum Christi corpus idem omnino est Parisiis & Pekini, etsi materia illud Parisiis constituens non eadem sit, qua Pekini constituitur.

IV. In hac hypothesi, quotcumque sint hostiæ consecratæ, *unum tantum* in cælo, & in terra *habebitur Christus*; quum enim homo sit compositum ex corpore humano, & anima humana; ut homo fieret multiplex, deberent corpus, & anima simul hujus hominis fieri multiplices.

IV.

V. Tandem in hanc hypothesi post consecrationem permanebunt *eadem* panis, & vini *apparentiæ*; quum re ipsa mutatio facta non fuerit nisi in insensibilibus panis, & vini partibus; partes vero hæ insensiles sensus non afficiunt.

Insensiles panis, & vini partes quum singulæ seorsim intrinsece transubstantientur, & fiant singulæ infinite minimum humanum corpus, sensibiliter positione non mutantur. Ergo earum collectio eandem sensibiliter in organa, quibus attingetur, impressionem facere debet.

1415. CONFUTATIO. Hoc Varignonii systema methodo, usu, consectariis maxime philosophicum, non æque principiis est. Quum ad Cartesii sententiam tuendam excogitatum fuerit, quæ Transubstantiationis mysteriis non congruebat, quidquid illi deerat suffecit, aptius explicavit, ac protulit; eadem tamen principiorum vitia continet, ac nova adjecit.

I. In Varignonii, ut in Cartesii Systemate Transubstantiatio eucharistica est *simplex transformatio*, & transmodificatio.

Quare Eucharisticum Christi corpus non *idem individuum* est, quod in cruce pependit: ipsum majus est in majori hostia, quam in minori, quod catholicis principiis non est consentaneum.

II. Præter vitia systematis Cartesiani, alia habet propria Varignonianum, quorum præcipuum est singularis illa corporum animatio, & individuatio.

Per Varignonium, & in systematis sui principiis, supponi poterit animam humanam simul animare corpus in terra, alterum in luna, tertium in Saturno, quartum in Syrio, quintum in cynosura, indefinita alia corpora in totidem solitariis syderibus, nulla inter illa communicatione; & omnium horum corporum collectio-

nem

nem ita inter se distinctorum, ac sejunctorum unum tamen, atque unicum corpus humanum efficere; quod sane recta philosophia nunquam admittet.

Etsi enim non satis fortasse dignoscamus qua ratione anima humana simul diversas animet ejusdem humani corporis partes; satis tamen experientia, & observatione scimus, ad habendam *communem animationem* necessarium esse perpetuum organorum nexum inter partes; eamque cessare quum inter animales partes datur *continuitatis solutio.*

Anima brachium animat quum illud organorum machinamento adnexum est. Simul ac vero vel pollicem distet brachium a reliquo corpore; illud non amplius animationis particeps erit, quam ab anima obtinebat.

COMPENETRATIO, ET REPRODUCTIO PHÆNOMENA FORTASSE REPUGNANTIA, ET CHIMÆRICA.

1416. OBJECTIO VII. Philosophus id tantum admittere debet, quod evidenter in rebus concipit. Ergo compenetrationem, & reproductionem admittere non debet, quæ concipi nequeunt, & rectæ rationi adversantur.

RESPONSIO. Philosophus principia meditari assuetus, quæque iis adnexa sunt, atque ex iis fluunt percipere, omnia, quæ *ex certa, & inconcussa veritate* descendere necessario videt admittere debet. Si ergo compenetratio, & reproductio necessario ex certa, & inconcussa veritate descendant, ex catholico scilicet dogmate realis præsentiæ Jesu Christi in eucharistia; illas philosophus admittere debet, sive concipiat, sive non.

I. *Compenetratio* non est dogma formale fidei; at ex formali fidei dogmate consequi videtur; ex eo scilicet, quo docemur, Christum to-

totum, ideoque ejus corpus, & animam, esse in quavis sensibili panis, & vini consecrati particula.

Nunquam ratio directe, & *a priori* demonstrabit, compenetrationem dari posse (70); neque enim formaliter concipit qua ratione miraculosum hoc phænomenon haberi possit.

At nunquam probabitur *a posteriori*, miraculosum hoc phænomenon, cujus possibilitas ex facto probari videtur, in se repugnare; nulla enim solida ratio probat, elementum A existere non posse in elemento B. At vero hoc demonstrandum est, ut compenetratio, quæ non clare concipitur, dari non posse ostendatur.

Jam monuimus, recentiores nonnullos in eucharistia *condensationem* tantum admittere; atque sententiam hanc, quæ nobis non adridet, catholicæ fidei non adversari. Si magis compenetratione sententia hæc placeat, admitti potest: modo in aliam ex confutatis sententiis heterodoxis non dilabatur.

II. *Reproductio* ipsa quoque non est formale fidei dogma; sed omnino ex formali fidei dogmate necessario consequi videtur, quo docemur, Christum realiter, & substantialiter in omnibus hostiis consecratis esse, & in singulis earum partibus separatis. Non ostendet ratio *a priori* mirum hoc phænomenon dari posse; at neque ratione demonstrabitur, phænomenon hoc, cujus possibilitas *a posteriori* demonstrata est, haberi non posse.

Miraculum reproductionis, a quo plerique heterodoxi maxime abhorrent, adeo ne repugnans est, ut contendunt (a)? Anne demonstra-

(a) *Quum de heterodoxis loquimur Lutheranos excipimus; qui quum* consubstantiationis no-

stratum est, *individuam substantiam*, quam Deus alicubi locavit, non posse eodem tempore alibi etiam existere?

Exempli gratia. Individuum quodvis X ex possibilibus contemplemur. Certum est per heterodoxos, ac philosophos omnes Deum credentes, posse ejus omnipotentiam individuum hoc possibile existens efficere.

At qua ratione probabunt, Creatoris actionem semel in hoc individuo exercitam ut illud existens efficiat in loco A, non posse iterum in illo ipso individuo exerceri, ut illud reddat existens in loco B? Qua ratione probabunt divinam omnipotentiam prima creatione in hoc individuo exhaustam esse?

Nequit, inquient, humana mens concipere qua ratione Deus iterum existens redderet individuum X. At vero melius ne humana mens concipit qua ratione Deus hoc individuum efficiat primo existens?

Postremam hanc veritatem admitto, quod solidis, & inconcussis rationibus certissima elucescat. Quare primam quoque non admittam, si aeque solidis, & inconcussis rationibus certissima fiat?

1417. NOTA. Corporum compenetratio, & reproductio duobus posterioribus saeculis ab omnibus philosophis heterodoxis, & Cartesianis acriter impugnata fuit. At enimvero quid tandem objecerunt? nihil solidum, imo nihil solidum apparens; ut enim utramque oppugnarent,

---

nomine realem Christi praesentiam in eucharistia admittant, debent in illa quoque cum Catholicis veram, & realem reproductionem admittere; qua Christi corpus, & anima possint simul existere in caelo, & in terra, Dresdae, & Holmiae.

rent, dixerunt tantum, neutram concipi posse; quasi vero rem negare possis, quod eam non concipias. Concipimus ne exempli gratia, materiæ creationem? & eam ne negare licet, quod concipi nequeat?

Quum Cartesiani vehementius in corporum compenetrationem, & reproductionem insurrexerint; duo hæc, quibus adeo indignantur, cum eorum principiis conferamus.

I. Debet ne Cartesianus adeo a *corporum reproductione* abhorrere, qui entium conservationem perpetuam esse creationem tenet, quique vult, transitum a loco in locum idem esse, ac corpus ad nihilum redactum esse in loco A, & creatum in loco B? (890).

At si Deus quovis instanti potest ad nihilum corpus redigere in puncto A, & hoc ipsum corpus creare in puncto B; quare illud creare non poterit in puncto B quin destruat in puncto A? Si vero potest, & facit, jam habetur reproductio.

II. Adeo ne Cartesianus a *duorum corporum compenetratione* abhorreat, qui in materiali natura omnia plena vult, & in ea tamen Deum, angelos, animas humanas admittit? Si omnia in visibili natura materialibus substantiis plena sunt; quomodo in ea sine vera compenetratione existet divina substantia? Si vero hæc materialibus substantiis compenetratur, quas movet, & perpetuo per Cartesianum creat; qua ratione probabit, materialem substantiam A non posse alteri substantiæ B compenetrari?

Neque melius spiritualis substantiæ cum materiali compenetratio concipitur, quam duarum materialium; & tamen in Cartesianis principiis fatendum est, aut divinam substantiam nullibi existere, adeoque omnino non existere, aut existere compenetratam universæ materiæ, aut saltem alicui materiæ parti (932).

1418. OBJECTIO VIII. *In hypothesi compe-*

ne-

netrationis corporis Christi in hostia consecrata circumscripti, aut hoc non erit corpus humanum, aut monstrosum erit; in hac enim hypothesi caput, pedes, latus dexterum, & lævum simul confusa, & permixta erunt, nullo ordine, nulla humani corporis symmetria.

RESPONSIO. Hypothesis compenetrationis aut descendit, aut descendere videtur aperte ex dogmate realis Christi præsentiæ in Eucharistia. Ergo utcumque hujus compenetrationis consectaria inintelligibilia sint, adhuc admittenda sunt.

II. Deus revelans, Christi corpus realiter, & substantialiter esse in eucharistia, nos non docuit qua ratione ibi existat, neque utrum ibi sit modo simili humano corpori, an secus.

III. Compenetrationis hypothesis nullam monstrosam, ut objicitur; partium permixtionem inducit; utcumque enim parva hostia sit, aut ejus particula; ut corpus Christi contineat, sensibilis esse debet, adeoque hujusmodi, ut infinitas insensiles partes continere possit alias extra alias (1427).

Quare in minima hostia, vel in minima sensibili ejus parte existere poterit exiguo spatio humanum Christi corpus eodem ordine, eademque organorum dispositione, quam in perfecta statura obtinet. Exempli causa, partes caput constituentes ad certum limitem inter se compenetratæ hostiæ extremum occupare poterunt; partes pedum æque inter se compenetratæ aliud oppositum extremum occupare poterunt; atque ita de ceteris.

IV. Non sane philosopho dignum est supponere, corpus aliquod *uno tantum modo* existere posse. Nonne magis philosophicum esset censere, Deum, qui certum cuique viventi, & vegetanti existendi modum tribuit, potuisse, eorum natura non mutata, innumeros diversos existendi modos illis tribuere?

Qua

Qua igitur ratione probabit philosophus, *supernaturalem existendi modum*, quem Christi corpus obtinet in eucharistia, non esse proprium humani corporis existendi modum? imo fortasse perfectiorem, & præstantiorem illo, quem in naturali suo statu obtinet?

1419. OBJECTIO IX. Ut Christi corpus simul esset in cælo, & in terra, Romæ, & Parisiis; necessario unicum esse deberet, & non unicum, in se circumscriptum, & non circumscriptum: quæ repugnant.

RESPONSIO. Quod existit non repugnat. Atqui fide constat, infallibili scilicet Dei testimonio, reproductionem dari; & Christi corpus esse simul in cælo & in terra, Romæ, & Parisiis; ergo reproductio non repugnat.

I. Corpus, quod reproducatur, non propterea *unicum corpus* esse desinit; & in se circumscriptum; hic enim reproductionis idea alteritatem non infert, imo identitatem dicit naturæ.

Locorum multiplicitas in corpore reproducto naturæ multiplicitatem non inducit; corpus enim reproductum cum diversis locis, quæ occupat, non est identificatum, nec quidquam ex illis est.

II. Non concipit mens humana quomodo corpus reproduci possit, & in diversis locis simul esse. Ex his inferes, reproductionem incomprehensibilem esse, non impossibilem (*a*).

REA-

(a) *Ex hac responsione clarius fortasse inteliges quid reproductionis nomine auctor significari velit. Si reproductionis vocem attendamus, videtur ista significare, novum Christi corpus in quavis hostia creari, sive idem Christi corpus iterum in quavis hostia consecrata creari.*

At

REALIS EXTENSIONIS HYPOTHESIS IN EUCHARISTICO CHRISTI CORPORE FORTASSE HETERODOXA.

1420. OBJECTIO X. Si realis extensio in eucharistico Christi corpore admittatur, plerisque Sanctis Patribus, catholicis doctoribus, & orthodoxis cathechismis, qui de eucharistia egerunt, contradicitur. Per hos siquidem,

I. Corpus Christi in eucharistia existit ad modum spiritus; ergo sine ulla reali extensione existit; saltem sine ulla extensione materiæ simili.

II. Christi corpus in quavis hostiæ consecratæ parte totum est; ergo nullam realem extensionem habet. Si enim haberet, quam nos admittimus, in hostia consecrata, non totus esset in quavis hujus hostiæ parte; patet enim, hostiæ partem, quæ caput contineret, pedes non contenturam; & vice versa.

RESPONSIO. Quum in eucharistico Christi corpore realis extensio admittitur, id admittitur, quod in ipso materiæ, & corporis qualitas semper necessario supponit; ut jam alibi ostendimus (1394).

Reliquum igitur est, ut ostendamus, sanctis pa-

At profecto non hæc esse videtur catholica de eucharistico Christi corpore sententia; sed idem omnino Christi corpus, nullo pacto iterum creatum, aut reproductum, esse simul divina omnipotentia miraculo & in cælo, & in quovis terrarum loco, ubi hostia consecrata sunt. Quamobrem supra monuimus quam auctor reproductionem vocat, eam replicationem appellari. Porro postrema hæc vox catholicæ doctrina magis congruere videtur. Interpres.

patribus, catholicis doctoribus, cathechismis orthodoxis non adversari qui realem, variabilem, at semper positivam in eucharistico Christi corpore extensionem admittit.

I. Facile est primæ objectionis hujus parti satisfacere. Quum patres, doctores, catechismi catholici docent, Christum in eucharistia esse ad modum spiritus; non hoc omni terminorum rigore accipiendum esse voluerunt.

Entia omnia specificum suum existendi modum habent aliquo pacto æque ac essentiam ipsam sibi proprium. Ut vero repugnat, *spiritum* omni terminorum rigore ad modum corporis existere; ita quoque *corpus* omni terminorum rigore ad modum spiritus existere repugnat.

Patet itaque, si patres aliqui, doctores, cathechismi catholici docent, Christi corpus in eucharistia existere ad modum spiritus; eorum locutiones necessario aliqua modificatione ad veram suam significationem esse adducendas.

Qua itaque significatione sumendæ sunt? hac ipsa. Ex spirituum proprietatibus una est, ut alicubi existere possint, quin ab eodem loco aut alium spiritum, aut corpus quodvis excludant. Porro hic est Christi in eucharistia existendi modus. Ibi innumeræ adorabilis hujus corporis partes elementares invicem compenetratæ miraculo in eodem spatio existunt, quin sese ex eodem spatio, quod singulæ totum occupant, invicem excludant.

II. Non magis urget altera objectionis pars. Ut diluatur satis est in ejus probatione quod ex fide est ab eo, quod non est, separare.

Ex fide est, Christi corpus totum, atque integrum in tota hostia consecrata existere, & in quavis sensibili ejus parte, quum ab hostia integra pars hæc ejus separata fuit: *separatione facta* (1373).

Non vero ex fide est; Christi corpus totum,

atque integrum esse in quavis hostiæ consecratæ parte ante veram, & effectam hujus hostiæ divisionem in partes.

Quum materia omnis in infinitas partes divisibilis sit, si totum Christi corpus integrum in quavis hostiæ parte esset, jam totus Christus in una, eademque hostia infinities esset. Porro hac ratione frustra, & nulla ratione miracula multiplicarentur, non vero hic est Dei infinite sapientis naturæ, & religionis auctoris agendi modus.

1421. NOTA. Essentia cujusvis sacramenti importat, ex permanente Ecclesiæ doctrina, ut sit *signum sensibile*. Hinc sequitur, ibi sacramentum cessare, ubi sensibilitas cessat. Quare.

I. Juxta ecclesiæ doctrinam si hostiæ consecratæ pars adeo exigua fiat, ut in se amplius sensibilis non sit; tunc quum sacramentum esse desinat, desinit quoque Christi corpus continere; & novo miraculo, aut primi cessatione id redit, quod erat ante transubstantiationem.

At quantumvis parva hostia sit, aut ejus pars, modo sensibilis sit in se, patet veram extensionem habituram, & aptam *reali extensioni* respondere, quam nos eucharistico Christi corpori tribuimus, ut jam supra adnotavimus, & explicavimus (1418).

Ergo intactis fidei principiis vera, & realis extensio eucharistico Christi corpori tribui potest, major quidem, aut minor, sed semper positiva; extensio scilicet major, aut minor, cui hostiæ consecratæ species respondent.

II. Juxta ecclesiæ doctrinam quum hostia consecrata dividitur, Corpus Christi, quod unice totum erat in tota hostia consecrata, totum est post hujus hostiæ divisionem in quibusque libuerit sensibilibus ejus partibus separatis.

Non tamen hinc sequitur, hostiæ consecratæ di-

divisionem esse *novam* veluti hujus hostiæ *consecrationem*. Hinc tantum sequitur, hanc hostiæ consecratæ divisionem esse *generalem*, *& permanentem conditionem*, cui multiplex eucharistici Christi corporis existentia alligata est; seu qua ex unica totius hostiæ consecratione, Christi corpus totum existere debet in omnibus sensilibus, & separatis partibus hostiæ consecratæ (*a*).

1422. OBJECTIO. Qui *materiæ essentiam* ignotam dicit, materialismo arma ministrat, ac scepticismo. Si enim materiæ essentiam ignoramus, sequitur, nos asserere non posse, animam humanam materialem non esse; Deum ipsum non esse puram materiam; realem materiam inter, & spiritum distinctionem intercedere.

RESPONSIO. Ut res a re distinguatur, earum essentiam dignoscere non est necesse. Satis est in illis proprietatem aliquam dignoscere semper necessario ab una inseparabilem, & alteri repugnantem. Atqui in materia, & in spiritu *proprietates peculiares*, *& distinctiva* cognoscuntur, quæ semper sufficiunt, ut aptissime altera ab altero distinguatur.

I. Hujusmodi ex una parte est *extensio realis*, *& solida* planis, & angulis circumscripta; quæ etsi variabilis, ita tamen materiæ propria est, ut nunquam omnino a materia separari possit; & utcumque in se major, aut minor etiam indefinite, nunquam ullo pacto spiritui convenire potest. 1079, & 1394.)

II. Hujusmodi ex alia parte est *facultas intellectiva*, quæ semper necessario materiam a

X 2 spi-

(a) *Hic multiplicitatem loci intelligas velim, non corporis Christi, quod semper unum, & idem est.* Interpres.

spiritu distinguit, nec unquam nisi in spiritu esse potest; materiæ vero nunquam convenire potest (1042, & 1068).

Itaque, quin spiritus, & materiæ essentiam cognoscamus; habere possumus, imo habemus *signa distinctiva*, quibus certissime materiam a spiritu, & a materia spiritum secernamus.

III. Binæ hæ distinctivæ, & incompatibiles proprietates, extensio scilicet realis, & solida in materia, & facultas intellectiva in spiritu, certissime demonstrantur & a diversarum harum substantiarum observatione, & ab evidentibus consectariis ab hac observatione profectis: quæ fuse in animæ humanæ theoria pertractata sunt.

SECTIO II.

QUALITAS SENSIBILIS MATERIÆ

1423. DEFINITIO. *Qualitatem sensibilem materiæ*, seu tantum *materiæ sensibilitatem* hic nuncupabimus id, quo materia nobis sensibilis fit; seu proprietatem quamcumque intrinsecam, aut extrinsecam, quæ materiam aptam reddit aliquem ex sensibus nostris afficere, quicumque is sit, sive oculus, sive auris, gustus, olfactus, tactus; quin hactenus perpendamus num qualitas ista sensibilis, seu proprietas sensus afficiendi causam habeat materiæ intrinsecam, an extrinsecam.

PROPOSITIO.

1424. *Quidquid illud sit, in quo consistat sensibilis materiæ qualitas; certum est, materiam, & sensibilem materiæ qualitatem non idem esse.*

DE-

DEMONSTRATIO. Videtur primo intuitu sensibilis materiæ qualitas, & materia unum, & idem esse; atque hæc peculiaris materiæ sensibilis qualitas necessario esse hæc materia, & unice hæc materia. Non tamen ita se res habet. Siquidem.

I. Ex fide, hoc est ex divina revelatione constat, in eucharistia existere *substantiam corporis, & sanguinis Christi*, quin ejus qualitas sensibilis ibi existat: in eucharistia existere *qualitatem sensibilem panis, & vini*, quin ibi substantia sit panis, & vini.

Ergo existere potest materia quin existat sensibilis ejus qualitas. Ergo sensibilis materiæ qualitas existere potest, quin existat materia. Ergo qualitas sensibilis materiæ, & materia non sunt unum & idem; altera enim sine altera existere potest.

II. Patet, quod miraculo in eucharistia contingit, corpori nempe Christi sensibili qualitate exuto, & sensibili panis, & vini qualitati ab horum substantia sejunctæ, æque pari miraculo cuivis alio corpori evenire posse: puta, arbori, quadrupedi, avi, pisci, metallo, monti, planetæ, ceteris.

Ergo in materia quavis ejus substantia, & qualitas sensibilis non sunt unum, & idem; ambæ enim sejunctim existere possunt. Q. E. D.

1425. NOTA. In philosophicis, ac theologicis scholis passim *accidentia absoluta* vocantur illa, quæ *materiæ sensibilem qualitatem* constituunt, quæcumque horum natura sit quæ absolute sine substantia existere possunt, & extra materiæ substantiam; quæque proinde materiæ accidentalia sunt.

Juxta notionem, ac denominationem hanc, accidentia absoluta, & sensibilis materiæ qualitas generatim unum, & idem sunt duobus diversis terminis, ac synonimis, expressum.

Quum

Quum vero notio hæc, ac denominatio neutiquam repugnet, nihil cogit diversam assumere.

ACCIDENTIA MODALIA, ET ACCIDENTIA ABSOLUTA.

1426. DEFINITIO. *Accidentia materiæ*, seu corporis generatim in modalia, & absoluta dividuntur. Accidens in genere id est, quod res habere potest, & non habere, quin, quod est, esse desinat (132, & 226).

I. *Accidentia modalia* dicuntur diversæ modificationes, seu diversi substantiæ modi existendi; quæ modificationes neque existere, neque concipi possunt sine substantia, & non nisi in substantia, quam modificant.

Hujusmodi sunt, exempli causa, in pane non consecrato ejus figura, resistentia, color, sapor, ubicatio; quæ omnia, quatenus hujus panis modificationes, nequeunt sine hoc pane existere, & tantum in hoc pane, & cum hoc concipi possunt. Idem dici potest de cujusvis alius substantiæ sive materialis, sive immaterialis modificationibus, aut existendi modis. (202, & 209).

II. In eucharistia *accidentia absoluta* vocantur species eucharisticæ, sive hæ apparentiæ panis, & vini, quæ post transubstantiationem subsistunt, quum panis, & vinum non amplius panis, & vinum sunt; quæcumque demum harum *Eucharisticarum specierum* ita sine naturali earum subjecto, pane, & vino subsistentium natura sit.

Eadem ratione *accidentia absoluta* vocarentur similes species, sive apparentiæ, quæ sine earum naturali subjecto existerent; si Deus in aliis materialibus substantiis, puta in arbore, aut flumine, simile miraculum illi operaretur, quod in pane, & vino eucharistico operatur. (1373, & 1380).

1427. NOTA. Maximum inter *modalia*, & *absoluta* accidentia discrimen est.

Accidentia modalia sunt *status realis*, *ac physicus*, seu physicus, & realis existendi modus rei, quam modificant, & cui inhærent: contra vero accidentia absoluta sunt tantum *status apparens*, seu apparens existendi modus rei, quam intrinsece modificare videntur, re ipsa tamen non modificant.

Exempli causa: figura hostiæ non consecratæ, quatenus *accidens modale*, est modus, quo re ipsa hostia hæc intrinsece in se, & in omnibus suis lateribus, seu planis terminatur.

Hujus ipsius hostiæ seu consecratę, seu non consecratæ figura, quatenus *accidens absolutum* est modus, quo hæc hostia apparet, aut apparere mihi potest in omnibus suis partibus terminata; sive ita re ipsa in se terminata sit, sive appareat tantum.

PROPOSITIO

1428. *Aliquod accidens absolutum necessario admittendum est; quacumque ejus natura sit.*

DEMONSTRATIO. Divina fides testatur, & docet, substantiam panis in hostia, & vini in calice post consecrationem non remanere. Hæc eadem divina fides, experientia comite, nos docet, sensibilia panis, & vini accidentia post consecrationem in hostia, & in calice remanere.

Atqui accidentia sensibilia ita sine subjecto subsistentia ea ipsa sunt, quæ nos *accidentia absoluta* nuncupamus. Ergo, quæcumque eorum natura sit, certum est, esse admittenda; sive admittendas esse veras substantiæ apparentias, quin hæc substantia existat. Q. E. D.

VARIÆ DE ACCIDENTIUM ABSOLUTORUM NATURA SEU DE SENSIBILI MATERIÆ QUALITATE, PHILOSOPHORUM SENTENTIÆ.

1429. OBSERVATIO. Non ita pronum est accidentium absolutorum naturam, ut eorum existentiam, dignoscere, atque statuere.

Ut quid amplecti hac in re possimus aptius dignoscamus, de maxime ardua, ac sublimi hac quæstione diversas philosophorum sententias brevi proponam, atque perpendam.

Inter has primæ tres *sensibilem materiæ qualitatem* in re aliqua statuunt, quæ vel directe, vel indirecte ad objectum sensu perceptum spectat; postrema, quam sequemur, eam statuit in re objecto sensu percepto omnino extranea. Primæ tres objectivas, & materiales species admittunt; postrema mentales tantum, & formales species admittit.

MODIFICATIONES SINE SUBJECTO.

1430. SENTENTIA I. Volunt philosophi nonnulli, id omne, quod in eucharistia dicitur *accidens absolutum*, nempe colorem, saporem, figuram, extensionem, resistentiam, gravitatem, ubicationem, esse tantum accidentium modalium collectionem, miraculo a subjecto separatorum, a substantia scilicet, quam naturaliter modificare debent.

1431. ASSERTIO. *Species eucharistica, quas hic ad genericum exemplum assumemus accidentium absolutorum, non sunt accidentia modalia a subjecto separata, sive existentia sine subjecto.*

DEMONSTRATIO. Accidentia modalia, ut alibi ostendimus, aut sunt tantum *entitates per se non subsistentes*, quæ ut existant, & sub-

subsistant essentialiter exigunt inhærere subjecto suo; aut sunt tantum *substantiæ modificatæ relationes*, quæ nullo pacto sunt entia a substantia modificata distincta. (227. & 228.).

In utraque hypothesi accidentia modalia nequeunt, ne miraculo quidem, sine substantia modificata existere, & subsistere. Ergo *species eucharisticæ*, quæ sine panis, & vini substantia existunt, non sunt accidentia modalia panis, & vini miraculo ab eorum subjecto, substantia scilicet panis, & vini, separata. Q. E. D.

QUANTITAS RADICALIS, SEU QUANTITAS INTERNA.

1432. SENTENTIA II. Alii philosophi unicum accidens absolutum admittunt, quod abstracto nomine *quantitatem radicalem* vocant, seu quantitatem internam. Per ipsos enim termini hi, (si tamen quid significant) sunt synonimi.

I. In hac sententia quantitas radicalis est veluti *ens medium* inter substantiam, & modificationem. In ipsa modificationes, seu accidentia modalia existunt, & subsistunt; ipsa vero in substantia existit, & subsistit.

Modificationum omnium, ut figuræ, coloris, saporis, motus, aut quietis, ceterarumque *subjectum immediatum* non est substantia ipsa, quam modificant. Earum subjectum immediatum est quantitas radicalis, cujus subjectum immediatum est substantia modificata, a qua miraculo separari potest.

II. In hac sententia explicatur accidentium sensibilium permanentia in Eucharistia post transubstantiationem. Deus panis, & vini substantiam destruens *quantitatem radicalem* conser-

vat panis in hostia, vini in calice. Hac ratione eadem perseverant, atque subsistunt sensibilia accidentia panis, & vini, quorum unicum immediatum subjectum erat, & adhuc est quantitas hæc radicalis miraculo conservata.

1433. ASSERTIO. *Sententia statuens sensibilem materiæ qualitatem in quadam quantitate radicali miraculo a substantia separata, & naturaliter sustentante modalia substantiæ accidentia, antiphilosophica est, & nullatenus admittenda.*

DEMONSTRATIO. Patet, *quantitatem hanc radicalem* ad sensibilem materiæ qualitatem in genere, & speciatim ad sensibiles eucharistiæ species explicandas excogitatam, *inane commentum* esse; quod in natura non datur, quod obscurum per obscurius explicat, quod nemo philosophus sanæ mentis admittere potest.

Ut hoc aperte pateat, aliquem, si quis hac ætate superest, obsoletæ hujus sententiæ assertorem adeamus, eumque urgentes non inania verba proferre cogamus. Amice, illi dicerem, quid intelligis hac tua quantitate radicali, quam sententiæ tuæ basim facis? quid mente percipis quum de eucharisticis speciebus agens dicis: *quantitatem radicalem* panis, & vini?

I. Est ne hæc *extima superficies* cujusque elementi, seu partis cujusque integrantis panis, & vini?

Ast extima hæc superficies est substantia panis, & vini illuc usque pertingens, & ad illa spatii puncta terminata.

II. Est *ne spatium ipsum*, in quo ante transsubstantiationem erat panis, & vinum, & in quo, illa peracta, existit corpus Christi?

At spatium hoc aderat ante accidentia panis,

nis, & vini; & his cessantibus adhuc perseverat. Spatium hoc itaque ad panem, & vinum non spectat, nec horum accidens est.

III. Est ne *qualitas* aliqua *occulta* panis, & vini hisce corporibus insidens, in his sensibilis, & ab his separabilis? Profecto hoc omnium optime sententiæ tuæ congruere videtur.

Ast, amice, defecit jam qualitatum occultarum imperium: eas sana philosophia victrix profligavit, & gothica hæc, aut araba somnia proscripsit. Neque jam in corporibus quidpiam agnoscit præter materiæ substantiam diversis modificationibus distinctam intrinsecis, & accidentalibus figuræ, & motus. (120. & 177.)

IV. Quid tandem intelligis, aut quid intelligi potest hac radicali quantitate, quæ panis, & vini eucharistici sensibilitatem efficit, imo corporum quorumcumque in natura universa? nihil, omnino nihil. *Verba sunt sensu vacua*, & objecto destituta. Ergo quantitas hæc radicalis a philosophicis lyceis est eliminanda. Q. E. D.

SUPERFICIES, SIVE ATMOSPHAERAE TERMINANTES.

1434. SENTENTIA III. Cartesius ut *sensibilem corporum qualitatem* salva transubstantiatione eucharistica explicaret, excogitavit, corporum substantiam immediate in se sensibilem non esse, sed mediis extraneis substantiis eam involventibus, quin ejus partes sint; has vero concipit tamquam situm quemdam, sive lanuginem, aut atmosphæram circa corpora diffusam, & circa quamvis integrantem corporis partem.

I. Certum est, inquit Cartesius, in corpore quovis, puta in pane, & vino, *innumeros poros* esse, aere, igne, materia subtili, brevi

 di-

diversis fluidis repletos, qui ejusdem corporis substantia non sunt; hic enim aer, hic ignis, hic æther, fluida hæc diversa evolare possunt, renovari, qualitate, & quantitate mutari, quin corpus re ipsa idem esse desinat.

Substantia itaque corporis cujusque propria poris hisce, atque hisce fluidis in innumeras veluti *partes integrantes* divisa est, quarum quælibet veluti in fluido sibi extraneo demersa est; ipsa vero quasi nucleus est in ambientium fluidorum meditullio, quibus atmosphæræ instar involvitur.

Quare *propria* corporis cujusque *substantia*, nunquam immediate in se erit sensibilis; nunquam enim ullo sensu percipi poterit, nisi medio inter illam, & sensum involucro, sive atmosphæra, cujus ipsa nucleus est.

II. Ex hac vere philosophica hypothesi facile est, inquit Cartesius, explicare qua ratione post eucharisticam transubstantiationem adhuc eædem panis, & vini apparentiæ persreverent.

Deus panis, & vini substantiam in Christi corpus, & sanguinem mutans intactum relinquat fluidum, quo panis, & vini substantia involvitur. Post transubstantiationem eadem habebitur sensibilitas, quæ prius; tum antea siquidem, tum postea sensibilitas sita est tantum in impressione, quam faciunt diversa fluida, quibus substantia panis, & vini, & subinde corporis Christi involvitur.

Sensibilitas panis non est sensibilitas vini, neque quæ mellis, & absynthii; diversa est enim corporum sensibilitas juxta fluidorum diversitatem poros replentium; fluida vero unius corporum speciei poros replentia, & partes integrantes involventia, puta panis, non eadem sunt, quæ alterius speciei poros replent, & partes integrantes involvunt, puta vini, mellis, absynthii, silicis.

Hæc

Hæc est de sensibili corporum qualitate Cartesii sententia: quæ a plerisque recentioribus philosophis male percepta, & male confutata fuit.

1435. CONFUTATIO. Physica Cartesii systemata ingeniosæ fabulæ sunt nulla ratione suffultæ, nec rerum naturæ consentaneæ, fucum primo intuitu facientes, & inanes facili animadversione detectæ.

I. Qua ratione probabit Cartesius, *substantiam* corporum *propriam*, atque constituentem materiam, puta, panem, vinum, ferrum, argentum, non posse, etsi assertis fluidis involutam, sensibus, & tactu præsertim attingi?

Quare tactus organum corpus aliquod valide premens, puta panem, pomum, metallum, usque ad immediatum corporis contactum non pertinget; nec fluida maxime mobilia removere poterit, quæ corporis elementis, & organo valide agenti, ut substantiam attingat, sunt interposita?

II. Qua ratione probabit Cartesius, aerem, ignem, diversa fluida, quibus corporum substantiam involutam supponit, natura ab his corporibus esse diversa?

Quare *diversam sensibilitatem* spongiæ, exempli gratia, & tophi diversis fluidis intra poros latentibus, (quæ diversitas conficta videtur) tribuere mavult, quam ipsius substantiæ diversitati, quæ tam aperte vera elucescit?

ACTIO DEI JUXTA MAIGNANUM.

1436. Maignanus ex Minimorum familia vir præclaro ingenio, & proxime superiori sæculo unus ex philosophiæ restitutoribus; cui nulla ex sententiis de eucharisticis speciebus adridebat, novum hac de re systema protulit ingeniosissimum illud quidem, maximeque philosophicum, quod facile iis omnibus, quæ ad *sensibi-*

sibilem corporum *qualitatem* generatim spectant, accommodari potest.

Priores philosophi omnes in corporibus ipsis sensibilitatem quæsierant nec invenerant. Celebris hic Minimus in Dei actione, & in animæ modificationibus illam quæsivit; & invenisse videtur.

Per Maignanum, ut & per omnes catholicos philosophos, ante, & post transubstantiationem eædem species, apparentiæ, aut accidentia eadem habentur; tres hi termini siquidem, quodcumque objectum eorum sit, hic synonimi sunt. At quidnam sunt hæ *species eucharisticæ* ante, & post panis, & vini transubstantiationem? Maignanus problema hoc pacto solvit.

I. Ante transubstantiationem, inquit Maignanus, species panis & vini totidem *realitates* sunt. In pane, & vino consecrando est extensio realis, color realis, sapor realis, figura realis, resistentia realis, quæ sunt totidem proprietates reales, & physicæ, quas panis, & vinum habent diversa nostra organa, & sensus afficiendi.

II. Post transubstantiationem, non ita res procedit, inquit Maignanus; species panis, & vini sunt tantum *apparentiæ*. In Eucharistia nihil amplius habetur reale, & physicum præter corpus Christi; non habetur amplius color realis, figura realis, extensio realis, accidens reale. (*a*)

III.

(a) *Ad dialecticas cavillationes confugere opus est, ut mihi quidem videtur, ut cum Tridentini Concilii verbis concilietur hac sententia. Illud enim sess. XIII. can. II. ait :* manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini; *ergo, nisi cavil-*

III. Qua igitur ratione fit, ut easdem omnino in eucharistia ante, & post transubstantiationem perceptiones habeamus? *Dei actione*, inquit Maignanus, qui in sensus nostros easdem, ut potest, impressiones facit post transubstantiationem, quas ante transubstantiationem faciebant panis, & vinum. (*a*)

Ante consecrationem sensationes nostræ organicæ, & mentales fiebant ex actione, aut resistentia panis, & vini; atque adeo objecta realia extra nos habebant. (460, & 461,).

Post consecrationem sensationes eædem nostræ fiunt sola Dei actione; & extra nos nullum objectum reale habent.

1437. NOTA. Hæc re ipsa celebris est Maignani sententia, quæ plures habuit inter philosophos, & theologos adversarios; quæ tamen illustres habuit assertores, & defensores; atque inter ceteros illustrem Bossuetum in sua catholicæ doctrinæ expositione.

I. Pluribus philosophis; ac theologis hæc Maignani sententia non adrisit, quod *diversam sensibilitatem* ponere videretur in pane, & vino eucharistico ante, & post transubstantiationem.

Faci-

cavillari velimus, sunt ipsa panis, & vini, cujus substantia transubstantiata est, species individua, quæ manent. At in hac sententia non illa, sed illis similes apparentiæ sufficiuntur. Interpres.

(a) *Non manent igitur species panis, & vini; sed apparentiæ illis similes, sed nova, & diversa, actione Dei subrogantur. Explica mihi modo ingenue, & sine cavillatione in hac sententia verba Concilii*: Manentibus speciebus panis, & vini: *Interpres.*

Facile est in hoc illam tueri, aut reformare; & ostendere, juxta Maignani mentem aptius expositam eandem omnino esse in eucharistia sensibilitatem ante, & post transubstantiationem. (1429.)

II. Hæc Maignani sententia, ut primo a suo auctore prolata fuit, unice intendebat sensibilem eucharistiæ qualitatem explicare.

Facile est illam genericam reddere; & ex illa genericam explicationem exhibere eorum omnium, quæ *sensibilem* corporum quorumcumque *qualitatem* respiciunt.

Duplicem hanc sententiæ hujus explicationem tradere pergimus; ut simul magis philosophica fiat, & magis theologica.

PROPOSITIO I.

1438. *Qualitas sensibilis corporum philosophice statui potest juxta Maignani sententiam in actione, aut decreto Dei; unde procedant impressiones sensibiles figura, coloris, saporis, odoris, soni, resistentia, quas in nobis corpora qualibet faciant, aut facere possint.*

DEMONSTRATIO. Certum est, *qualitatem sensibilem cujusque corporis*, quæcumque hujus qualitatis idea concipiatur, consistere in aptitudine, quam habet hoc corpus, ad aliquas sensationes, seu sensibiles perceptiones excitandas in substantia sensus capaci: quum enim quæritur quare, & in quo corpora sensibilia sunt; quæritur quare, & in quo apta sunt excitare sensationes, aut impressiones sensibiles, quæ illa respiciant.

II. Certum est, nullum corpus in se, & ex se hanc *aptitudinem ad excitandas sensationes* habere; cujusvis enim corporis propria est inertia intrinseca, qua ad omnem veram actionem ineptum est; imo si etiam in se, & ex se aliquam veram actionem haberet, nihil agere posset

set in substantiam immaterialem, cujusmodi est quæ est sentiendi capax. (461)

III. Certum est, hanc aptitudinem ad sensationes excitandas in corporibus esse non posse, nisi in hypothesi, quod aliqua daretur primitiva Dei voluntas, quam *Dei decretum*, *genericam naturæ legem* appellabimus; qua corpora occasionem præberent ipsi Deo ex se in substantiis sentiendi capacibus has & illas sensationes hæc, & illa corpora respicientes excitandi; quum enim hanc virtutem ex se non habeant, & ut causæ efficientes; non possunt corpora illam habere nisi ut causæ occasionales, & actione universalis Agentis naturæ materialis.

IV. Hinc sequitur, *sensibilem corporum qualitatem*, sive aptitudinem, quam habent ad sensationes excitandas, re ipsa extra animam non esse nisi aut Dei decretum, aut Dei actionem, ut Maignanus contendit.

Quum corpora aliquam in anima nostra sensibilem impressionem pariunt, cujus objectum sunt, habent *qualitatem sensibilem ad actum redactam*. Porro sensibilis hæc qualitas extra animam nostram non est, nisi *Dei actio*, qui hanc impressionem producit hisce corporibus respondentem; sive corpora hæc re ipsa existant, & tunc impressio hæc est naturalis; sive non existant, & tunc hæc impressio est miraculosa, & supernaturalis.

Quum corpora actu in anima nostra nullam sensibilem impressionem excitant, cujus objectum sint, habent *realitatem sensibilem reducibilem ad actum*. Tunc hæc qualitas est *Decretum Dei*, quod semper perseverat, ratione cujus Deus determinatus est producere occasione horum corporum has, & has sensationes ipsa respicientes, quum a substantia sensus capaci attingi poterunt; sive corpora hæc existant, & tunc eorum sensibilitas reducibilis ad actum

actum est naturalis; sive non existat, & tunc eorum sensibilitas reducibilis ad actum est miraculosa, & supernaturalis.

V. Patet, hanc de corporum sensibilitate sententiam maxime philosophicam esse; eamque ipsam Maignani sententiam esse tantum accuratius propositam, & explicatam. Ergo sensibilitas, seu qualitas sensibilis corporum optime juxta Maignani sententiam in Dei actione aut decreto statui potest. Q. E. D.

PROPOSITIO II.

1439. *Juxta hanc Maignani sententiam ita generatim sumptam habetur in Eucharistia omnino eadem sensibilitas, seu qualitas sensibilis tum ante, tum post transsubstantiationem.*

DEMONSTRATIO. Qualitas sensibilis, seu sensibilitas corporum est *aptitudo ad has vel illas sensationes excitandas* (a). Ergo ubicumque habetur eadem aptitudo, ibi habetur eadem sensibilitas. Atqui in Eucharistia ante, & post transsubstantiationem habetur eadem aptitudo ad has atque illas sensationes excitandas; ergo ante, & post transsubstantiationem in Eucharistia existit eadem sensibilitas.

I. Ante transsubstantiationem sensibilitas panis,

(a) *Si hæc* qualitas *sensibilis est* aptitudo ad sensationes excitandas, *jam est aliquid ipsi corpori proprium, quodcumque tandem sit, quod saltem tamquam occasio movet Deum ad sensationes actione sua in nobis efficiendas. At quæso quum in Eucharistia nihil in hac sententia post transsubstantiationem remaneat* neque de substantia, neque de accidentibus (*quidquid ista sint*) *panis, ac vini; quænam* aptitudo panis, & vini *remanet ad sensationes excitandas? Hoc vero semel tantum a nobis dictum sit.* Interpres.

nis, & vini in hoc sita est, quod vi *divini decreti*, & genericæ legis a Deo statutæ (a) Deus determinatus est semper in nobis producere occasione panis, & vini existentium, & præsentium has, & illas impressiones in materialibus nostris organis, has, & illas intimas sensationes in anima nostra.

II. Post tansubstantiationem sensibilitas panis, & vini in hoc sita est, quod vi *divini decreti* non revocati, genericæ legis a Deo statutæ, & non revocatæ, Deus determinatus est semper producere occasione corporis Christi pani, & vino substituti has, & illas impressiones organicas in nostris sensibus, has & illas intimas sensationes in anima nostra: easdem, scilicet, omnino utrinque, quas occasione panis, & vini existentium, & præsentium produxisset.

III. Qualitas sensibilis, seu *corporum sensibilitas* est eorum aptitudo ad has, aut illas sensationes organicas, & mentales excitandas. Hæc aptitudo est *Dei decretum*, aut actio. Hoc de-

---

(a) *Sensibilitas panis & vini non sita est in divino decreto, non in generica lege ulla; sed in illa quacumque re (nomine rei substantiam non intelligo), qua existente in pane, & vino Deus ex suo divino decreto, ex generica lege ab ipso statuta determinatus est semper in nobis producere has, & illas sensationes. Memineris sensibilitatem corporis esse qualitatem corporis, esse* aptitudinem ad sensationes excitandas. *Porro decretum Dei quodcumque, lex quavis natura non est qualitas corporis, non est aptitudo ad sensationes excitandas; sed est voluntas Dei, ut quum in corpore invenitur illa aptitudo, tunc (posito corpore in opportunis circumstantiis) hæ, atque illæ sensationes excitentur.* Interpres.

decretum, aut actio hæc perseverat, & eosdem tum ante, tum post transsubstantiationem effectus operatur.

Ergo tum ante, tum post transsubstantiationem *eadem* re ipsa in Eucharistia habetur *sensibilitas*, etsi hujus sensibilitatis causa occasionalis, nempe substantia panis, & vini in primo casu, & substantia corporis Christi in altero, omnino diversa sit. Q. E. D.

OBJECTIONES DILUENDÆ

Præcipuæ difficultates contra Maignani sententiam sunt, eam videri oppositam Concilii Constantiensis sanctionibus: in hac sententia Eucharistiam non esse signum sensibile, adeoque nec Sacramentum; species eucharisticas non esse quid miraculosum, quum nihil reale sint.

MAIGNANI SENTENTIA CONCILII CONSTANTIENSIS DOCTRINÆ FORTASSE OPPOSITA.

1440. OBJECTIO I. Maignani sententia in Constantiensi Concilio damnata fuisse videtur; facile probatur.

Hoc Concilium sectione octava Joannis V Viclefi hæresiarchæ sæculo decimo quarto Parochi Lutervothi in Anglia propositionem hanc damnavit: *In Eucharistia non manent accidentia sine subjecto*. Ergo hujus damnatæ propositionis contradictoria vera est, nempe: *in Eucharistia manent accidentia sine subjecto* (626).

At si in Eucharistia accidentia sunt fine eorum subjecto, accidentia scilicet panis, & vini; nonne pronum est censere, hæc accidentia esse quid reale, & in se permanens, atque a Dei actione, aut decreto distinctum? Qua igitur ratione cum sententia Maignani Constantiensis Concilii definitio concilietur, quæ a catholica ecclesia unanimiter admissa est?

RES-

RESPONSIO. Nihil neque proxime, neque remote est Maignani sententiæ cum VViclefi doctrina. Ergo hujus damnatio illius censuram non inducit.

I. Unus ex VViclefi hæresiarchæ erroribus erat velle in Eucharistia post consecrationem manere substantiam panis, ac vini. Hoc vero ita probare nitebatur. Accidentia panis, & vini non manent, neque subsistunt sine eorum subjecto. Atqui in Eucharistia accidentia panis, & vini post consecrationem perseverant; ergo cum his accidentibus post consecrationem perseverat in Eucharistia substantia panis, ac vini, quæ est subjectum, seu suppositum horum accidentium necessarium. Porro hæc ipsa doctrina est in Concilio Constantiensi damnata.

II. Propositio itaque VViclefi damnata est in sensu auctoris sui, quo scilicet transsubstantiationis eucharisticæ dogma tollebat.

Concilium Constantiense definivit, *Accidentia eucharistica* substantiæ panis, & vini non adhærere; non tamen definivit, illa in se, & per se esse quid reale, & extra animam permanens; quid a Dei actione, & ab animę sensatione distinctum.

Atque hunc genuinum esse Constantiensis definitionis sensum docet celebris Cardinalis Petrus de Ailli, qui adeo in omnibus illius Concilii actibus versatus fuit; quum de diversis christianarum scholarum sententiis agens de eucharisticorum accidentium natura disputantium, asserit, atque testatur, a Concilio eorum dumtaxat sententiam damnatam fuisse, qui cum VViclefo *inseparabilitatem absolutam* admitterent accidentium a substantia; non vero eorum sententiam damnatam fuisse, qui veram transsubstantiationem admittentes accidentia absoluta reiicerent, aut vellent, species eucharisticas non esse realitates objectivas.

Ecclesia in suis definitionibus semper sapiens audacis hæreseos heterodoxa principia damnat, qui-

quibus dogma evertitur; religiosæ vero philosophiæ hypotheses, & sententias intactas relinquit, quæ dogma reveritæ, & admittentes illud rationi conciliare nituntur. Quare Constantiensis Concilii definitio VVicleſi doctrinam damnans Maignani doctrinam nullatenus respicit.

1441. OBJECTIO II. In Maignani sententia non dantur *accidentia absoluta*; videntur tamen reiici non posse, quin vetus cogitandi, & loquendi mos ecclesiæ deseratur.

RESPONSIO. Æqivocatione tantum, & falsa suppositione innititur objectio. Utraque facile diluitur.

I. Si accidentium absolutorum nomine intelligantur *apparentia corporis sine corpore*, certum est, hæc accidentia dari; & Maignani sententia non modo hæc non reiicit, imo hoc tantum conatur, ut veritatem hanc explicet modo rationi consentaneo (1428).

II. Si accidentium absolutorum nomine intelligantur *apparentia corporis, quæ sint quid reale, & physicum corpori adnexum, quin corpus hoc sit*; profecto hæc accidentia a Maignano non admittuntur; at neque ratio ulla ea admittere cogit.

1442. NOTA. Terminus hic: *accidens absolutum* non ita antiquum est, ut fortasse creditur. Non nisi post sæculum undecimum in scholis philosophicis admissum fuit.

Antea ad idem significandum adhibebatur terminus: *species eucharistica*; quem unice sacra Tridentina synodus admisit, & speciatim consacrare, atque in pristinum restituere voluisse visa est.

Qua de re incidenter pro Maignani sententia observari potest, postremum hunc terminum quo Sancti Patres utebantur, quo ecclesia Græca semper usa est, quem tantum Tridentina Synodus admisit, magis directe & expres-

presse videri aliquid indicare ad animam spectans, quam ad objectum.

MAIGNANI SENTENTIA FORTASSE CONCILIARI NEQUIT CUM NOTIONE SACRAMENTI, ET CUM NONNULLIS EUCHARISTIÆ PHÆNOMENIS.

1343. OBJECTIO III. Cuique Sacramento essentiale est, ut sit *signum sensibile*; quum vero Eucharistia sit Sacramentum permanens, debet esse permanenter sensibile. Atqui in Maignani sententia:

I. Eucharistia non est signum sensibile saltem in se, & ex se; neque enim sensibile est nisi actione Dei, que illi extrinseca est, & extranea (1421).

II. Eucharistia non est signum perseveranter sensibile; nullam enim realem, & effectivam sensibilitatem habet, nisi quatenus Deus producit, sensationes ipsam respicientes in subjecto aliquo apto organicas, & mentales impressiones admittere; quod innumeris in casibus non contingit; puta, quum hostia consecrata pyxidi inclusa est.

RESPONSIO. Certum est Eucharistiam, ut aliud quodvis Sacramentum, esse debere signum sensibile invisibilis gratiæ, ad quam conferendam est ordinatum ut causa sive efficiens, sive occasionalis; hæc enim permanens est ecclesiæ Christi doctrina. At enimvero Eucharistiæ Sacramentum in se ne, & per se sensibile esse debet? & qua ratione in se, & per se sensibile esse debet? Hoc nunquam ecclesia definivit; neque privatus quispiam definiendi jus habet.

I. Essentialis signi finis, ejusque essentiale munus est aliquid significare, & de aliqua re sentientem, atque intelligentem substantiam monere; aut erudire. Quid igitur interest sit ne signum per se, an per aliud sensibile, modo

do æque finem suum, ac munus impleat? (256, & 257).

Quare Sacramentum Eucharistiæ æque veram signi qualitatem haberet, etsi per se sensibile non esset; modo Dei actione semper re vera esset sensibile.

II. In Maignani sententia, ut binis præcedentibus propositionibus a nobis exposita fuit, & explicata, Sacramentum Eucharistiæ *in se sensibile* est æque, ac quodvis aliud Sacramentum; exempli gratia, æque ac Sacramentum baptismi; in utroque enim Sacramento *sensibilitas*, sive aptitudo ad organicas, & mentales impressiones excitandas nihil est, præter Dei actionem, aut decretum, a quo impressiones istæ procedunt (455, & 457).

III. In Maignani sententia Eucharistiæ Sacramentum *permanentem sensibilitatem* habet; actio enim Dei, sive ejus decretum, quod omnem sensibilitatem constituit, semper perseverat (1428).

Occasione hostiæ consecratæ nostris sensibus expositæ perseveranter sensationes experimur ipsam respicientes; ergo omnem, quæ exigi possit, sensibilitatem habet.

Quum hæc eadem hostia pyxidi inclusa est, non amplius impressiones illam respicientes in nobis excitat. At in illa actio Dei non cessat: atque hac permanente in illa Dei actione, ut corpus Christi considerata, reipsa eadem habet & servat phænomena gravitatis, resistentiæ, dispositionis ad organa nostra quælibet afficienda, quæ in ipsa contingerent, si panis esse non desiisset. Ergo re ipsa & eandem sensibilitatem & eandem sensibilitatis permanentiam habet. Idem de vino consecrato in calice dici potest.

1444. OBJECTIO IV. In sententia Maignani *specierum eucharisticarum permanentia* nihil habet miraculosum; hæ siquidem species, sive apparentiæ eucharisticæ sunt semper ante, & post

post transsubstantiationem eadem actio Dei. Porro hæc quum nihil miraculosum habeat ante transubstantiationem, neque illa peracta quidpiam miraculosum habere debet.

RESPONSIO. Miraculum est alicujus genericæ, & permanentis naturæ legis interruptio; ergo quoties hujusmodi legis interruptio datur, verum miraculum habetur (139).

Atqui generica, & permanens naturæ lex est, Deum in nobis sensationes panis, & vini non producere, nisi re ipsa existat, & præsent. t panis, & vinum: Deum panis, & vini ... ram, colorem, saporem, gravitatem, odorem, soliditatem, seu fluiditatem non conservare, quin existat substantia panis, & vini: Quum ergo Deus omnia hæc phænomena in speciebus eucharisticis operetur nulla existente panis, & vini substantia; verum, & permanens in eucharisticarum specierum conservatione habetur miraculum.

I. Ante transubstantiationem substantia panis, lux ab illa reflexa, impressio organica in oculi nostri fibris lucis hujus occasione a panis substantia reflexæ, *causa* sunt *occasionales* mentalis sensationis visus, quam hostia non consecrata in nobis excitat.

Hinc facile intelliguntur causæ occasionales mentalis visus sensationis ex vino.

II. Post transubstantiationem lux miraculo reflexa occasione eucharistici Christi corporis, impressio organica in oculi fibris occasione hujus lucis miraculo reflexæ, *causa occasionales* sunt mentalis visus sensationis in nobis ab hostia consecrata excitatæ.

En igitur *diversas duas causas*, substantiam scilicet panis, & vini ante consecrationem, & substantiam corporis, & sanguinis Christi post consecrationem, quæ *eidem organicæ, & mentali visioni* occasionem præbent. Porro in hoc situm est specierum eucharisticarum miraculum

respectu visus. Idem de tactus, gustus, ceterisque sensibus dici potest.

1445. NOTA. Nulla in universis eucharisticæ transubstantiationis phænomenis *illusionis, aut erroris causa* habetur a Deo procedens; ipse enim, qui hoc miraculum in ecclesia sua operatur, ipsam prius erudire & certissime docere voluit de iis omnibus, quæ miraculo in Eucharistia contingunt, & quæ sensibus illusionis, aut erroris causa esse possent.

1446. OBJECTIO V. Ex doctrina catholica Christi corpus in Eucharistia esse desint, quum *species panis, ac vini* corrumpuntur, & naturam mutant. Ergo in speciebus eucharisticis aliquid est, quod corruptioni, & naturæ mutationi obnoxium est. Porro hoc non corpus Christi (a), aut Dei decretum, aut actio esse potest. Ergo hac ratione Maignani sententia cum catholica doctrina conciliari nequit.

RESPONSIO. Difficultas hæc, quæ tanti ponderis in Maignanum esse videtur, re ipsa omnibus de eucharisticis speciebus sententiis communis est.

I. In quavis sententia a Maignani sententia diversa æque difficile est assignare quid in speciebus eucharisticis corrumpatur, & naturam mutet. Corrumpi enim debet, & naturam mutare aut spatium, quo Christi corpus continetur, quod spatium in se natura incorruptibile est; aut aer, & æther, qui in hoc spatio continentur; atqui hæc quoque natura incorruptibilia sunt, nec causa peculiaris adest, qua corrumpantur; aut aliqua intima, & radicalis panis, & vini destructorum quantitas, quæ in spatio remanens supponeretur, & quæ re ipsa non

(a) *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur: mors illi ultra non dominabitur.* Rom. 6. 9.

non nisi mente conficta esse potest) 1433, & 1434).

II. In Maignani sententia nihil explicatu difficile habet *cessatio existentiæ* corporis Christi. Specierum eucharisticarum mutatio apparens tantum est: cessatio existentiæ corporis Christi post datum mutationis apparentis tempus vera est.

Deus, inquiet Maignanus, Eucharistiæ Sacramentum instituens decrevit, corpus Christi re ipsa substantiæ panis, & vini substitui. Quare decrevit Christi corpus in hostia, & calice existere, & perseverare eo ipso tempore dumtaxat, quo ibi substantia panis, & vini permansisset: corpus Christi in hostia, & calice esse desinere ea prorsus ratione, qua dato tempore, & datis rerum conditionibus substantia panis, & vini ibi esse desiisset.

Perfecte novit Deus, perget Maignanus, qua ratione, quo ipso tempore, quibus rerum conditionibus substantia panis, & vini corrupta fuisset, naturamque mutasset. Et positis his ipsis rerum conditionibus in pane, & vino consecrato præsentiam Christi corporis cessare facit eo ferme pacto, quo substantia panis, & vini non consecrati tunc existere desiisset.

MAIGNANI SENTENTIA FORTASSE NONNULLIS VERÆ PHILOSOPHIÆ PRINCIPIIS NON CONSENTANEA.

1447. OBJECTIO VI. Sæpius antea diximus & ostendimus, *sensibiles* corporum *qualitates* esse tantum eorum materiam, motum, textum, affinitatem, partium elementarium commixtionem. Nunc vero contendimus sensibilem corporum qualitatem esse Dei decretum, aut actionem. Qua ratione hæc duo concilientur?

RESPONSIO. Qualitas sensibilis corporum aut in anima eorum perceptionem recipiente,

aut in corporibus hujus perceptionis caussis considerari potest.

I. Qualitas hæc sensibilis corporum in anima ea percipiente considerata est tantum *spiritualis animæ modificatio*; quæ nullam cum materiali substantia, ad quam refertur, & quæ ejus vera causa physica est, efficiens, aut occasionalis, habet similitudinem (30, 461, 489, 491).

II. Qualitas sensibilis corporum in ipsis corporibus considerata est tantum eorum materia, eorum motus, textura, affinitas, partium commixtio; quibus apta fiunt diversas in nobis organicas, & mentales sensationes excitare.

At quum materia in se, & natura sua *substantia iners* sit; nullam in nobis sine Dei decreto, & actione organicam, aut mentalem sensationem excitaret.

Unice ergo ex Dei decreto, & actione re ipsa apta fit impressionem in nobis facere; atque sensibilem qualitatem, de qua sermo, respectu nostrum acquirit.

III. Corpora duo diversa, puta saccharum, & absynthium, malum assyrium, & silex, ferrum, & lignum, amphora aquæ, & amphora vini, diversam habent sensibilitatem, seu sensibilem qualitatem; propterea quia diversam habent naturam, partium elementarium texturam, atque mixtionem diversam, quæ, ut *causæ occasionales* diversam esse faciunt Dei in organa nostra, & in animam actionem. (267, & 272).

Quare nihil arduum est quod alibi de sensibilibus corporum qualitatibus tradidimus cum iis, quæ hic de *sensibilis* materiæ *qualitate* generatim dicimus, conciliare; ubique enim id ipsum dicimus; materiam nempe non esse natura sua, nisi substantiam inertem, quæ neque in spiritus, neque in corpora agit, nisi quatenus illi agens universale naturæ Deus actionem præbet.

SE-

SECTIONIS HUJUS SYNOPSIS.

1448. OBSERVATIO. Ex expositis universa hac sectione consequi videtur, *sensibilem materiæ qualitatem æque, ac ejus essentiam in obscuro positam esse.*

I. Ante Maignani sententiam de speciebus eucharisticis ostenderat Cartesius, mundum realem cum mundo apparente nullam habere similitudinem (491, & 495).

Hac sententia apte percepta philosophos disposuerat ad aptius perpendendam *sensibilem materiæ qualitatem*; & ad magis philosophicas de illa notiones adipiscendas, quam quas cæca consuetudo confinxerat.

II. Patet, nullam hypothesim ex hactenus de sensibili materiæ qualitate excogitatis, præter Maignanicam, esse vere philosophicam.

At quantumvis philosophica sit Maignani sententia, semper hypothesis est, nulla ratione fundata, saltem in iis, quæ ad eucharistiam spectant. Rem ita esse posse demonstratum est. Verum re ipsa ita ne est?

III. Maignani hypothesis ut a nobis explicata fuit, & reformata, plane ingeniosa est, & philosophica; simplici enim modo, opportuno, recentioris philosophiæ principiis maxime analogo magna duo naturæ, & religionis phænomena explicat; *sensibilem* scilicet *materiæ qualitatem*, & *species eucharisticas.*

At vero hypothesis hæc ita ingeniosa, atque opportuna aliquid ne est præter hypothesim; veritas ne physica est, & re ipsa naturæ conformis? nulla de hoc probatio solida habetur in iis saltem, quæ eucharistiam respiciunt.

II. Physica, seu scientia corporum in su subjecto, in humana scilicet mente, considerata, in duobus indivisibiliter sita est, in *phænomenorum*, & in horum *causarum* cognitione.

In visibilis naturæ studio si *causas physicas* noscere velis, earum phænomenis ignotis; præpostere finem voles, quin media ad finem necessaria velis.

Si vero *phænomena physica* tantum inquiras quin ad eorum causas usque progrediaris; jam in sensationibus tantum humanam mentem detinebis; & nobiliora intelligentiæ, & ingenii munera illi interdices.

III. Physica in methodo sua, in suoque progressu considerata est *scientia analytica*; qua scilicet ab effectibus notis ad causas ignotas ascendere oportet; sive in qua genericarum causarum inquisitio ab observatione, & analysi phænomenorum sensibilium facienda est, quæ causæ istæ insensibiles producunt.

Quænam, exempli causa, sunt *generica motus leges*, sive quibus modis seu variabilibus, seu constantibus oritur, perdurat, communicatur, mutatur, extinguitur motus in corporibus hanc rerum universitatem constituentibus? Hoc sola experientia addiscere possum; neque ulla metaphysica meditatione a phænomenorum observatione sejuncta id assequi potero.

IV. Physica quum cognitiones experientia comparatas genericas efficit, atque perpendit sive ut in diversas classes observata distribuat, sive ut hæc ad primitivas, & communes causas referat, est veluti *metaphysica applicatio* ad materialia, & sensibilia; tunc enim in materialibus, ac sensibilibus ita generice sumptis, & abstractione metaphysica evolutis operatur ex idearum theoriis, quæ initio a sensibus pependerunt quidem, in progressu vero non amplius pendent.

PHYSICÆ, ET METAPHYSICÆ OBJECTA.

1451. OBSERVATIO. Alibi ostendimus, *eandem rerum speciem* diverso modo consideratam diversarum disciplinarum objectum esse posse (251).

Non abs re erit hic ostendere qua ratione, & in quibus in visibili natura nonnullæ rerum species physicæ simul, & metaphysicæ objectum esse possint.

I. *Mundus visibilis* in se consideratus, nempe in principiis physicis illum constituentibus, in materialibus proprietatibus illum distinguentibus, in diversis motus legibus illi adnexis, quibus animatur, & conservatur, physicæ objectum est; in his omnibus enim ad sensus spectat, & objectum sensibile est.

Hic idem mundus visibilis consideratus ut necessario a *causa increata*, & *creatrice* procedens infinite activa, & intelligente, a qua primo extitit, a qua perpetuo ordine regitur, metaphysicæ objectum est; hæc enim causa, quæ cognoscenda est, & ad cujus cognitionem mundi visibilis observatio certissime adducit, objectum non est sensibus percipiendum.

Hac ratione Metaphysica in iis, quæ ad Dei theoriam spectant, est veluti necessaria ad physicam dispositio, & introductio. Quo illa explicit, hæc incipit.

II. *Primitivæ naturæ visibilis leges* consideratæ ut naturæ huic visibili adnexæ, & ut ejus constitutionem, & actionem ingredientes, physicæ objectum sunt. Ita enim inspectæ objectá sensibilia sunt, quæ sensus nostros afficiunt.

Leges hæ eædem consideratæ ut totidem *Dei voluntates*, metaphysicæ objectum sunt; hac enim ratione inspectæ, ut tandem inspici de-

debent, objecta insensibilia sunt, quæ sensibus attingi nequeunt.

Tres sunt primitivæ visibilis naturæ leges, a quibus ceteræ omnes pendere, & ad quas ceteræ omnes referri videntur; leges scilicet, *impulsionis*, *attractionis*, *affinitatis*: ut primo physicæ nostræ tractatu adnotavimus. Physicus ex observatis phænomenis leges has detegit, & demonstrat: tunc vero sistit, nec ultra progreditur.

Pete a physico, exempli causa, qua ratione phænomenon contingat: ostendet, qua ratione a primitiva naturæ lege procedat. Perge porro ab eo petere cur hæc potius, quam alia lex in natura existat. Respondebit, ut philosophum decet, nullam de naturæ legibus rationem reddi posse, nisi naturæ auctori placuisse *hunc rerum ordinem* in natura haberi ab his legibus perpetuo servatum, potius quam ordinem diversum a diversis legibus emanantem. (Phys. 77, & 1429,).

III. *Regnum animale* in iis omnibus, quæ sensibilia habet consideratum Physicæ objectum est; hac enim ratione consideratum cognitiones parit, quarum objectum sensibus attingi potest; hujusmodi illæ sunt, quarum objectum est diversarum animalium specierum incrementum, interitus, reproductio, diversa figura, magnitudo, organa, motus mechanici.

Hoc idem regnum consideratum ut necessario respiciens *sensibilem*, *& intelligentem substantiam in homine*; *sensibilem*, *& non intelligentem substantiam in brutis*, metaphysicæ objectum est; hæc enim substantia sive intelligens, sive non ab innumeris hujus regni phænomenis supposita, nequaquam sensibus percipi potest.

Hinc apparet qua ratione regni animalis theoria necessario vinculo metaphysicæ conjuncta sit ex sensitivo principio, quod anima est.

Patet enim, hujus regni phænomena non a solis mechanicæ legibus pendere, sive a genericis naturæ legibus materiæ actionem tribuentibus.

Non ita se res habet in vegetabili, ac fossili regno, & in reliqua inanimata natura. In his omnia a solis mechanicæ legibus pendent, omnia solius physicæ objectum sunt.

PRINCIPIA METAPHYSICA IN PHYSICA

1452. OBSERVATIO. In humanis omnibus disciplinis *scientificum artificium* est, ut a noto ad ignotum inductione, & ratiocinio transeamus. In hoc a ceteris disciplinis non differt physica.

I. Certum est primo, *experientiam, & observationem esse universæ physicæ basim; ac fundamentum*. Patet enim, nullam homini esse ideam innatam, nullum principium metaphysicum, a quo diversas corporum proprietates inferre possit, aut eorum diversam existendi, & agendi rationem; sola vero experientia, & observatione scire ipsum posse num marmor solidum sit, aqua liquida, aurum ductile, planetæ mobiles, mare æstuans, cortex Peruvianus febrifugus, manna alvum solvens; cetera.

At *experientia, & observatio sola physicam non efficiunt:* innumera enim experimenta, observationes innumeræ omni solertia iteratæ in eadem re, aut in innumeris diversis primordia tantum parant, in quibus humana mens exerceri debet, ut ad ignotas causas pertingat ex notis phænomenis; ut genericam rerum catenam ex aliquibus ejus ansulis detegat, ut naturæ visibilis communem nexum ex aliquibus ejus partibus dignoscat.

II. Certum est præterea, physicam, postquam experientiæ, atque observationi firmiter inhæsit, quæ veluti inconcussa fulcra sunt, quibus insi-

insistens ad abstractas, & genericas veritates ascendere possit, quæ solæ veram scientiam efficiunt; posse *principia metaphysica* auxilio vocare, ut cognitiones ipsas suas perpendat, genericas reddat, inter se connectat; & ut in his physicis cognitionibus experientia, & observatione comparatis operari possit, ut in pure metaphysicis, & geometricis operatur metaphysicus, & geometra.

Exempli gratia: postquam experientia, & observatione detexit physica, mobile quodvis a duabus motricibus viribus impulsum procedere per diagonalem parallelogrammi, cujus latera vires has, earumque directiones exprimant; posse ipsam, hanc motus compositi ideam genericam efficiendo, determinare quam directionem tenere, & quod spatium dato tempore percurrere debeat hoc mobile, aut aliud quodvis, aut cæleste corpus, sive in terræ superficie, sive in cælorum immensitate; quin ad hoc experientiæ, aut observationis consilio amplius indigeat.

III. Certum quoque est, quasdam esse physicæ partes, quæ abstractione metaphysica genericæ effectæ (336, & 592,) principiis geometricis subiici possunt; tunc vero physica in objectis hisce genericis ita versari potest, ut in pure geometricis geometria. Illustriores hæ sunt physicæ partes, eæque, quas *physico-mathematicas disciplinas* nuncupamus: cujusmodi sunt mechanica, optica, catoptrica, astronomia, aliæque.

IV. Certum tandem est, *physicam scientiam esse necessario & ab experimentorum observationibus, & a metaphysicis disquisitionibus pendentem*. Hoc enim duplici medio dumtaxat arcte conjuncto mentem humanam illustrare potest, & scientiæ nomen sibi promereri.

Aufer a physica *principia metaphysica*, & *geometrica*; erit tantum cæca, & empyrica

disciplina, cujusmodi apud circulatores ars medica est.

Amove a physica experientiam, & observationem; jam mentis disquisitionibus tantum immersa, & discordibus, inanibusque hypothesibus, erit tantum scientia fabulosa, & somniorum congeries sapiente, & philosopho prorsus indigna.

UNIVERSÆ HUJUS THEORIÆ SYNOPSIS.

1453. CONCLUSIO. Ex omnibus universa hac entium insensibilium theoria statutis, atque ex universa hac metaphysica sacra, & prophana plane consequitur, ut jam supra monuimus;

I. *Metaphysicam disciplinarum omnium maxime opportunam esse, ac necessariam*: ejus enim objectum est id omne, quod magis humani intellectus interest, ut apte cognoscat; & veluti universalem faculam esse, qua in omnibus disciplinis, quas ediscere potest humana mens, est illustranda.

II. *Metaphysicam scientiam esse non ita arduam, & inaccessam, ut nonnulli putant*. In universa hac enim nostra metaphysica nihil est, quod ingenium rectum, ac solidum arripere nequeat.

III. *Non recte de metaphysica sentire, qui illam tenebris obsitam, & nulla solida basi consistentem esse arbitrantur*. Talis enim non est nisi apud quosdam, qui illam apte pertractare non noverunt.

IV. *Universam hanc metaphysicam physica esse connexam*; eadem enim methodo ambo hæc opera elaborata eundem finem habent, nempe universam naturam ob oculos ponere; alterum insensibilem, & immaterialem; alterum materialem, atque sensibilem. Porro ex ambobus omnium absolutissima atque facillima habetur philosophiæ tractatio, quæ hactenus quovis idiomate traditæ sint.

F I N I S.

INDEX
RERUM ALPHABETICUS,

cujus ope totum hoc opus Lexici metaphysici, & philosophici vices gerit.

Signum : *significat* usque ad. *Exempli causa*, 349 : 360 *significat*, *rem indicatam pertractari a numero* 349 *usque ad numerum* 360. *Secundi voluminis numerus primus est* 577. *Tertii voluminis est* 1035.

A

Actus,

Cau-

Com-

D

Ego

E

Exten-

Fu-

G

H

Homo

I

Im-

L

Logi-

M

N

O

P

acci-

Ter-

V

Vi-

Finis Indicis.

E R R A T A.

P. 4 l. 25 similia; similes 14 39 disceris; dixeris 21 14 quare; quare, quave 62 24 communis: communi 74 36 dicere; diceret 96 21 quarundam; quorundam 120 12 anime; anima 21 anima; animæ 125 1 4 eorum; earum 128 28 animæ; anima 133 10 necessitatis immune; necessitate immunis 185 36 numera; munera 225 31 interno internos 269 40 ipsa; re ipsa 290 7 pane; parte 294 3 quem; quam 316 36 invenirent; inveniret 319 18 puta; pura 349 5 neutra; neutro 365 33 ipsi, ipsos 380 13 bruti; brutis 383 7 hujus; huic 397 28 ætate; æstate 429 30 *initialibus*; *initiandis* 447 31 non; non esse